


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 82

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

HERMANNI CONRINGII

DE

ORIGINE JVRIS GERMANICI

Liber Vnvs.

Editio tertia plurimis locis aucta.

Adjecta sunt opuscula ejusdem argumenti varia, nova, & quædam vetera.



Helmestadii
Typis & sumtibus HENNINGI MVLLERI
Academiæ Typographi.

CIↃ IↃ C LXV.

Cum privilegiis perpetuis Vicar. S. R. I.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

SVMMA PRIVILEGIORVM.

PRoximo interregno cautum est privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S. R. I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringij curâ scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, intra limites Vicariatuum imprimat, aut alibi impressos divendat: pœna delinquentibus dicta, amissionis omnium ejusmodi librorum, & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsis Privilegiorum tabulis.

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
D. GEORGIO WILHELMO
DVCI BRVNSVICENS. ET
LVNEBVRGENSIVM

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QVod ante hoſce quindecim amplius annos Sereniſſimo Celſitudinis Veſtræ nomini conſecravi, illud denuo offero, ſed innumeris locis auctum, atque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

appendicibus nonnullis haud leviter locupletatum. Credidi tum officij mei esse, literario munusculo aliquo oblato lætitiam illam in publico etiam ostendere, quæ privato mihi, ex regiminis auspiciis illius Principis, quem adhuc puerum colueram, piè nata erat, neque commodum versabatur tum aliud in manu. Quoniam illa autem editio facta sic est ipsissimet Serenitatis Vestræ, si loqui ita fas est, bonis avibus: inauspicatum utique fuerit, huic vel aliud numen quærere, vel nullum. Sed & nihil perinde decet Principes, quam jura populo cum dare tum dicere (in hoc sane primùm ab aliis electi, in hoc à Deo constituti sunt,) eoque saltim Principis tutelæ submitti abs me debuerunt quæ toto hoc libro disputavi. Protuli scilicet in medium, ab omni retro memoria repetitam Germanici juris historiã; quæ vulgo aut plane erat ignota, aut fabulis quibusdam ita contaminata, ut ipsi reipublicæ ab illis haud leve discri-

men

phiandrum agere. Nec ita tamen, ceu post audivi, mordere clanculum Gryphiander ille desiit: forte & nonnullis persuasit. Virulentum sane hominis in me animum ostendunt, quæ penes me sunt ipsius literæ, cum aliæ tum quas ad Bartoldum Nihusium adversarium meum exaravit. Neque me fugit quæ sit calumniæ vis, si præsertim auctorem habeat virum præstantem, qualis utiq; fuit Gryphiander, & illam audiant non mali duntaxat, sed boni etiam qui ex sua integritate alios judicant. Verum enimvero possum equidem etiam nunc pari ut ante sanctitate testari, nescire me qua in parte cum Gryphiandriis mea conveniant, quoniam illa nunquam vel hactenus mihi lecta sunt, malo tamen ad cujusvis candidi arbitri judicium provocare. In medio scilicet & Gryphiandria illa sunt & mea. Ut in nonnullis eadem cum illo senserim (quî enim hoc non fiat, si eadem monumenta uterq; volverit?) certus tamen sum, saltim tractandi rationem multum adeo diversam reperturos omnes, ut omnium calculo possim à plagij quidem crimine absolvi.

Qui aperte porro nonnullas ipsiusmet libri mei sententias improbaverint, hactenus non nisi quatuor mihi innotuerunt. Princeps omnium Bartoldus Nihusius, sicut scriptioni pariter & editioni

Paucis me adortus etiam est ejusdem inclytæ Academiæ Jureconsultus in Hodogeta *suo, Tabori quidem doctrinu multum impar Johannes Rebhan, fastu tamen & maledicentiâ plane geminus, ut jugales facile agnoscas. Ausus fuit meis prolixis disputationib⁹ de Jure Romano non reducto in usum Lotharii auctoritate, testimonia adversa Petavii, Sleidani & Alstedij opponere: quasi illa satis sint: & mox contumeliosè ex Taboris instituto invehi non dubitavit in meum in fabula illa explodenda studium. Quo nemini non pateat, quanta judicij inopia pariter & animi impotentia homo laboret, rogo excuti libelli illius notas ad chartam primam quam vocat, n. 12. Miror sanè, nisi legenti isthæc & mores vitamque hominis expendenti obversaturū sit statim animo illud Hieremiæ cap.* XVII, 11. Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas: & in novissimo suo erit insipiens. *Cum nihil præter Taborica attulerit in medium, Tabori autem abunde jam respondérim, non est tanti, ut ego quidem illi seorsim vel unum reponam verbulum.*

Præter quatuor hosce, qui nominatim reprehenderit nonnulla libri hujus mei, equidem hactenus novi neminem. In duorum tamen adhuc aliorum, præclarorum

clarorum sanè doctissimorumq; virorum, scriptis videor me deprehendisse nonnihil dictum, in id quod asserui, in potestate Ordinum Imperii esse collocatum Romanas leges jam admissas iterum repudiare. Et vero Alter existimat, ab eo quod semel placuit non esse fas recedere. Sed quandoquidem de legibus mere positivis nobis sermo fuit, quid est notius, quam cuilibet legum ferendarum potestate instructo licere, si reipublicæ exigat necessitas, mutare vicissim quod non nisi mero arbitrio receptum erat? Quid notius, quam Romanos ipsos suas duodecim Tabularum leges, sua Senatusconsulta, Plebiscita, Edicta Prætorum, Principum constitutiones infinitis vicibus flexisse? Quid notius, quam ab omni ævo omnes respublicas hanc licentiam circa jura positiva reapse exercuisse? Imo quid notius, quam eam libertatem exigi plane ab ipsa reipublicæ necessitate? Illa igitur quidē dubitatio prorsus nihili est. Alterum duntaxat hoc male habuit, quod cum Jus Romanum ab universis Imperij Ordinibus sit cooptatum, singulis adscribam facultatem omne illud jus abrogandi. Verum enimvero agnosco utique & ego, illis solis fas esse abrogare legem qui eam condiderunt aut probarunt, quod itaq; universis placuit id mutare singulorum auctoritatis non esse. Ast totum Romanum

jus ab Universis in legem esse acceptatum, vero haud est consentaneum. Id quod nos & demonstravimus capite tricesimo tertio, & Jurisconsultorum principum aliquot consensu roboravimus, hujus operis pag. 301. Quæ singulatim vero Ordines quique probaverunt, illa abrogari per eos posse, si opus sit, ipsemet vir eximius fatetur.

Cæterum ceu ante diximus, nihil non horum, imo si quid etiam mihi haud visum, repugnans tamen meis sententiis, vel hactenus prodierit, vel imposterum videbit lucem, id omne Tuo, Benevole Lector, judicio haud invitus submitto: memor humanæ videlicet sortis, cui falli interdum est proprium: quali lapsui humanitus vicissim indulgendum esse, neque Tu indubie fueris immemor.

Ut porro adjungerentur nonnulla tertiæ huic libri de Origine Juris Germanici editioni, pene expressit necessitas, certe interfuit utilitatis non tam meæ quam Lectorum.

Etenim quæ primo loco apparent Excerpta primæ Præfationis, docere apta sunt primam Commentarij hujus cum scribendi tum edendi occasionem: quam nescire forte nemo velit candidior Lector, perinde atq; ego talium perquam soleo esse curiosus indagator. Quoniam autem idem qui occasionem de-

derat

derat Bartoldus Nihusius, prater alia & pro communi errore nonnulla in suo Anticritici Parergo edidisset, egoque omnibus ipsius opposuissem integram Responsionem, reliquis sepositis, non oportere hic saltim illa deesse arbitratus sum, quæ in libri hujus defensionem tum disputavi. Etiam hæc itaq; Excerpta non debuerunt desiderari.

Post Anti Nihusiana etiam Anti Taborica, Excerpta partim partim & Opuscula, subjungere volui. Quoniam Tabor nunquam ausus quidem est pedem figere pro oppugnandis libri mei sententiis, sed ad alia nunquam non delapsus est, quo callide falleret judicē Lectorem, atq; ita immanibus convitiis ac calumniis omnem disputationis aleam sophistice corrupit: quandoquidem tamen nihil eorum non ad doctrinam hanc de Origine Germanici Juris pertinet, eoq; cunctum illud illustrat undiquaq; hoc argumentum, quæ sparsim habebantur in unum hunc locum conduximus, ordine tantum temporis observato.

Accipe igitur & hic Benevole Lector, cen jam factū erat editione secunda, opusculum nostrū de Auctoritate Iuris publici Justinianei. Cui si Tabor, prout par & æquum erat, sua opposuisset, jamdudum omnis isthæc controversia fuisset sopita, idq; cum usu quodam orbis eruditi. Verum ille mox in suis Criminalium

minalium Racemationibus *quod caput erat ne tetigit quidem; atrociter tamen in famam meam passim invectus, satis habuit quædam mei libelli de Origine Germanici Juris contumelioſe vellicare. Quibus proinde coactus fui nonnulla reddere in meo ad Lectorem, ſecundæ Taciti de Germanorum moribus editioni præfixo, Proœmio: cujus huc pertinentia Excerpta adjunximus. Iis autem viſis plane in ſcurrilem rabiem Tabor idem prolapſus eſt, publicato & ſparſo Programmate, ſine exemplo turpis & fœdæ maledicentiæ pleniſſimo. Vt famæ ſervandæ cauſſâ iterum quamvis invitus fuerim coactus, Epiſtolâ Operi de Finibus Imperii Germanici tunc prodeunti ſubnexa, me defendere. Quam etiam proinde hîc quoq; volui abs Te, Candide Lector, & legi & expendi. Calumniarum plurimarum jam manifeſtus ſiluit quidem ad iſthæc omnia Tabor, ſuum tamen* novum Cereviſiarium Jus *coquens, nova me calumnia non potuit non onerare; mortuus ſcilicet ſi non aliqua nocuiſſet, ut ille in Eclogâ Maroniana. Dilui autem iſtam injuriam, ſed paucis: ceu videre fuerit pag. 322. Exinde aliquamdiu inter nos quieta omnia fuerunt, illo ad Aulicos* cancellos *nonnihil admoto, quos tantopere hactenus, ſuæ ineptitudinis parum præ faſtu gnarus, ambierat*

men etiamnùm immineat: quo factùm, ut multorum odia mihi conciliaverim, quorum interest nimirum fabulis illis secure supineque credere. A Principe igitur profectò patrocinium mihi petendum est, vera quidem, παρόδοξα tamen, docenti de genuina Germanici nostri juris ratione, ne quæ opprimat me indocta & improba malignitas. Ego vero, ne quid dissimulem, velim etiam hoc meo libro impetratum, ut ii penes quos in Germania ferendarum est legum potestas, aliter illas atque passim sese habent componant: eo majore videlicet reipublicæ usu, quo hodie ipsismet suis legibus illa misere laborat. Hoc sanè si tantùm Serenitatis Vestræ longe maximis Viris illis, quorum humeris potissimum civitas isthæc vestra incunbit, fuerit abs me persuasum, Vestræque Celsitudinis probatum assensu, haud dubito plures alios in sententiam istam concessuros, votique adeo me abunde futurum compotem.

(·) 3 Quod

Quod si tamen & illa spes decollet, saltim meos de republica bene merendi repetitos conatus hosce, Clementia Vestra denuo uti excipere dignetur, submisse rogo.

Serenissimæ Celsitudinis

Vestræ

devotissimus

H. Conringius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

HERMAN. CONRINGIVS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

IAm aliquot ante annos, quod ſecundæ etiam editionis exempla omnia cito fuiſſent divendita, ut tertia vice publicarem hunc librum, perpetua ferè plurimorum deſideria imo flagitationes, me urſerunt: quandoquidem autem dare illam nullo augmento meliorem indecens duxi, nec permiſere occupationes iſthoc ſerio agere, huc uſque coactus ſum recenſionem iſtam differre. Nec tamen ego hodie minus quam antehac negotioſus vivo, quin otii minor nunc quàm prius mihi conceditur copia; omnia verò ſuperavit tandem firmum illud propoſitum, nihil non meum, imminente jam ſenectute, quæ, ut ille ait, ſpem vetat inchoare longam, denuo recenſitum quaſi ultimâ manu abſolvere, idque ab Hiſtoricis argumenti ſcriptis facto initio. Sic inter curas, ac negotia infinita, & emendavi hujus libri omnia & addidi paſſim quàm plurima; ut infinitis locis pene novus videri poſſit, fortaſſis & multa priſtino rectius ſeſe habeant. Neque verò ultimum hoc ego definiverim: ſed aliorum qui talia judicandi valent facultate liberis exiſtimationibus relinquo.

Et verò ejusmodi quidem cenſuras tantum abeſt me

me defugere, ut non dubitem iis submittere & illa, quæ mihi sequiora circa opus hoc acciderunt. Simulac videlicet ante hosce viginti duos annos vidit primam lucem commentarius iste, scriptis huc illuc literis passim plagii me accusare non dubitavit Ioannes Gryphiander, non magnæ quidem dignitatis eximiæ tamen doctrinæ, quod ex præclaro de Insulis volumine dudum didici, Iurisconsultus. Serius quidem mihi id intellectum, quia clanculum traducebar; cum autem iterato illius jussu quæ ad Georgium Calixtum περὶ πάπου exaraverat, in manus meas pervenissent, non potui quidem non tantam calumniam ægro ferre animo; satis tamen purgatum me existimavi, si Calixto, viro summo & utrique amico, integritatem probarem, atque ille porro apud suspicacem illam animam me defenderet. Eoque ego quidem scriptâ ad Calixtum epistolâ sanctè Deo in animam vindice invocato (id quod poteram utique optimâ conscientiâ) nunquam antehac vel paginam mihi lectam in Gryphiandri de Colossis Weichbildicis libro, unde mea ille furtivè descripta commentus erat, omnia porro & mea & Gryphiandria candidæ collationi cujusvis æqui hominis subjicere, contentus fui; Calixtus verò comparatione isthac per alios fide dignos diligenter instituta, haud gravatus fuit etiam causam meam apud Gryphian-

erat. Simulac vero joeante fortuna relapsus in scholam fuit, rediisse statim homini pristinum furorem, docere Te, Benevole Lector, poterit recocti nuper Cervisiarij juris d^a Dizytho quod appellavit Corollarium. Totum quidem illud est refertum convitiis & calumniis in me sparsis; invito tamen quemvis ad illius lectionem, famæ scilicet meæ securus: tantum in id tamen, ut ingenium illius sycophantæ quisq; discat, quoniam vere & plus quam in speculo effigiē & inepti & maledici hominis hîc deprehendere fuerit: utq; simul æquus quisq; me excuset, quod nolim amplius cum istiusmodi excetra committi. Enimvero qui oppugnare mea, & pristinas de Romani juris apud nos cum origine tum auctoritate defendere sententias ausit, is prodeat, & agat tam nobilem caussam rationibus ceu par est non maledictis. Paratus sum docere, paratus discere. Sit ille Tabore saltim melior si non doctior. Hæc enim quidem controversia coram orbis judicio facile finem suum assequetur: tantum si illa, quæ de auctoritate Iuris publici Iustinianei disputavi, justa lance expendantur, præsertim cum omnia pene illa etiam ad jus privatum Iustinianeum transferri facile possint & debeant. Ipsemet Taboris gener vir bonus & doctus, quam multum diversa à socero sapiat, (usque adeo lucet hic veritas)

(:)(:)(:) haud

haud dubitavit publice profiteri, elegante libello nuper vulgato de Vero & personato Iurisconsulto. Et possem ego jam applausores hîc multos summi inter eruditos ordinis laudare, si opus fuerit: interim unus esto pro multis Ioannes Limnæus, honoris hîc caussa nominatus, quoniam Iuris Germaniæ publici scriptorum citra controversiam hodie tenet principatum. Legis Corneliæ de sicariis reum vel illum vel me vel quem alium isthoc nomine agere, malitiosa scurrilitas est, indigna homine in doctorum classe nomen suum profitente, præsertim si & larva velit scelus tegere.

Anti Taboricis vero subjunxi mox elegantissimos Senarios nunquam ex merito satis laudandi Georgij Calixti quondam nostri, ad Amplissimum & Consultissimum Virum Ioannem Lûningium, amicum & in Illustri Aulico Senatu Collegam meum, quondam scriptos. Idq; quandoquidem planè exprimunt & illi meam de componenda Legum nostrarum ratione sententiam. Et uero summi illius in omni doctrinâ Viri consensu non dubito equidem gloriari.

Irnerium Nihusii aut Bononiense potius de Irnerio responsum jam tum præcedenti editioni libri de Origine Iuris subjunxi, quo rectius pateret quam contra illam institui disputatio. Eadem de caussa nunc illud reddo: præsertim cum Nihusiana editio nusquam pene compareat, sed cum aliis Nihusianis quisquiliis piper thus aut scombros amiciat, ueritatis tamen interfit, posteros quoq; haud ignorare, quam nihil præsidij habuerit vulgi fabula etiam in ipsa Bononia.

Addidi

Addidi hac uice ad ultimum Caroli Magni de Saxonicis rebus uetuſtiſſima bina quæ uocantur Capitularia. Eruit illa ex antiquiſſimis membranis Palatinis Vaticanæ Bibliothecæ Ferdinandus Furſtenbergius, omni meliore literatura excultiſſimus & cum quouis aurei temporis comparandus Poëta, doctrina autem iſta & uirtute Paderbornenſem Πατροπολὶν adeoq; inter Eminentiſſimos Imperij ſacros Principes locum ſummo jure conſecutus. Ab eo excitatus Lucas Holſtenius V. Cl. cum Romæ illa publicaſſet, ex illo quod magni iſtius Principis liberalitate nactus fui exemplar, ego hæc nunc curaui recudi. Facta illorum jam tum abs me eſt mentio capite tertio decimo: ut hic adderem uero cauſa fuit, quod judicauerim monumentum hoc non alienum eſſe ab opere de Germanicis legibus, digniſſimum autem quod omnium, ſaltim illorum quibus primordia Chriſtianæ in Saxonibus religionis intelligere curæ eſt, manibus uoluatur. Et uero huc etiam facit illa Fidei profeſſio: quâ docemur ſimul, quantis ex dæmonum tenebris populus Saxonicus tum emerſerit, licet hodie ratio priſcorum ſacrorum quæ ibi indicantur fere nobis lateat, perinde ut Græcorum etiam & Latinorum myſteria plæraq; feliciter jam ignoramus.

Hæc omnia, Beneuole Lector, comprehendit hic liber mole non magnus. Vtinam uerò Tuo uſui non minus proſint quam abs me ſtudioſe ſunt confecta! Non dubito tamen facto jam multiplici experimento inſignia quæq; polliceri. Quod ſi autem ſaltim fauere perrexeris, nec ego induſtriæ quidquam in me patiar deſiderari. Helmeſtadij in Academia Iulia, XV Februar. Anno CIↃ IↃC LXV.

INDICV-

INDICVLVS EORVM
quæ libro de Origine Juris Germanici adjecta sunt.

Excerpta ex H. Conringij in libri de Origine Iuris Germanici editionem primam Præfatione. Pag. 251.

Excerpta ex H. Conringij Responsione ad Bartoldi Nihusii novas objectiones. p. 258.

Herm. Conringij De Iuris publici Iustinianei in Germania auctoritate Dissertatio, ex Prolegomenis ad Germaniam Taciti excerpta. Cum præfatione Apologetica contra I. O. Taborem ICtum Argentoratensem. p. 273.

Excerpta ex H. Conringij Proœmio ad Lectorem Editionis secundæ de Moribus Germanorum. p. 293.

Herm. Conringij Epistola ad Lectorem Operi de Finibus Imperij Germanici annexa, contra I. O. Taboris nequissimas calumnias. p. 309.

Excerptum ex H. Conringij Epistola præfixa Hopperi Veræ jurisprudentiæ. p. 321.

Georgij Calixti τὸ πάνυ Senarij ad Amplissimum virum Ioannem Lüningium Consiliarium Brunsvico Luneburgicum. p. 323.

Quæstiones de Irnerio Historicæ à Iuris Pontificij & Cæsarei Collegiis Bononiensibus excussæ Decembri M DC XLI. p. 327.

Caroli Magni Capitularia duo de rebus Saxoniæ juxta exemplar Romæ editum. p. 359.

HER-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

HERMANNI CONRINGII DE ORIGINE JURIS GERMANICI LIBER UNUS.

CAPUT I.

Gentes Germanicas olim nullas Leges scriptas observasse.

GEntes Germanicæ initio, ut literarum non secreta tantùm sed & usum omnem ignorarunt, ita & nullas leges scriptas observavêre. Etenim serò in universum apud Germanos literæ, ipsa scriptionis elementa, cœperunt, nec aliundè quàm à Romanis acceptæ : quo tempore jam plurimis seculis steterat literatæ doctrinæ gloria apud Asiæ & Africæ multos populos, cumprimis in Græcis, quos Romani exceperunt, floruerat. Neque vero tutò possumus fidere iis, quæ de antiquis, nescio quibus, Germanicarum quarumvis gentium characteribus, cum alii, tum in opere suarum peregrinationum vir laboriosissimus Samuel Purchassius Anglus, prodiderunt. Forte enim & septentrionalium Runica literatura quam vocant nato jamdudum Christo cæpit. Nullo certè indicio firmiter antiquiora ejus exordia probaveris.

Quamvis autem recentiore instituto literæ à Germanis cæperint excoli, interea tamen habita apud illos indubiè legum aliqua ratio fuit ; ut sine quibus nulla societas ne latronum quidem coëat. Ipsi verò Germanorum hostes olim, Julius Cæsar & Cornelius Tacitus, quibus antiquissimam re-

rum noſtrarum memoriam debemus, non efferos mores aut promiſcua & nullo ordine concilia, ſed planè reſpublicas ſic ſatis benè inſtitutas,&mores laude haud indignos,majoribus noſtris attribuunt.Id quod alibi plenius docemus.Enimvero, id quod Pomponius Mela ſcribit: *jus in viribus habent,* aut quod Tutor Batavus *l.IV.hiſtor. Taciti* inquit: *Germanos non juberi non regi,ſed cuncta ex libidine agere*, convitium ſapit: niſi quod interdum, ut fit, magna populi libertas in licentiam, potentia in vim abierit. Habuerunt ſanè majores etiam tum, qui jura per pagos & vicos redderent ac controverſias minuerent, ex nobilitate electos, additis ex plebe comitibus in *conſilium & auctoritatem.* Quæ diſertè teſtantur & Cæſar *l. VI,* & Tacitus *l. de moribus Germ.* Ex quorum narrationibus nemini non Romanarum ejus ævi rerum perito etiam id liquet, mores Germanicos longè tum ſanctitate Romanis præſtitiſſe, eòque veriſſimum Taciti fuiſſe elogium: *Plus apud eos valent boni mores, quam alibi bonæ leges.* Loquitur autem omninò Tacitus de Legibus ſcriptis Romanis,quarum tum numerus jam in immenſum excreverat:ut illi maximo ſcriptori familiare eſt Germanorum res cum ſui ævi Romanis tacitè contendere. Cùm judicia itaque ſua habuerint tum Germani benè conſtituta, per ſingulos pagos & vicos, cumque eâ fuerint morum ſanctimoniâ, oportet ſanè eos etſi non chartis, menti tamen inſcriptas optimas leges habuiſſe: quod jure præ altero commendatur Iſocrati *in Areopagitico.*

Verùm has majorum leges (ſive conſvetudines potiùs appellare malueris) non niſi perexiguam partem, ex Cæſare, Tacito, aliiſque ſcriptoribus petere eſt. Laudant alii,interque eos etiam Joannes Aventinus, ſpeciatim Manni, Hermionis, aliorumque conditorum gentis noſtræ conſtituta: ſed quâ fide, patet: utpote quum rerum noſtrarum memoria

omnis

omnis antiquior non nisi ex solis Romanis ac Græcis scriptoribus queat peti, (quod alibi demonstratur) qui nihil hujusmodi memorant. Neque dubium est in eâ libertate, quâ præ multis usi tum Germani, haud adeò constantem fuisse consuetudinum omnium morumque normam: ceu vivendi fibula solet laxari, si ex arbitrio pleraque agere cui permittas.

CAPVT II.

Nonnullas gentes Germanicas legibus scriptis cœpisse uti, post annum Christi quadringentesimum.

AB hâc verò legum non scriptarum observatione haud videtur discessum ante seculum Christianum quinctum. Certè nullum legis scriptæ vel tenuissimum indicium in Germanico quodam populo ante hæc tempora reperias. Et tamen neque tum ab omnibus hujusmodi quid est institutum, sed ab iis solùm, qui cultissimas Romani Imperii provincias victores incoluere, assumtis paulatim suorum hostium quos devicerant, Romanorum inquam, moribus, cum victo populo in unum quasi corpus coalescentes. Quo in numero præcipui tum, Franci, Burgundiones, Westrogothi, Ostrogothi, Langobardi. Hi sanè omnes seculo illo quincto vel paulo pòst leges sibi conscribere cœperunt, & Romanâ quidem cùm linguâ tùm literis; quod suæ linguæ voces literis exprimere nescirent, & propriis characteribus destituerentur, minimè id sanè facturi, absque hâc fuisset necessitate, quo erant in Romanos hostili animo. An à reliquis gentibus Germanicis, Vandalis, Suevis, Herulis, qui itidem Romanas tum provincias insederunt, simile quid tentatum sit, haud perinde constat. Wisigothorum, Ostrogothorum, Francorum, Burgundionum, Langobardorum labores ab illo us-

que ævo ad nos pervenerunt. Inter hos verò primi Franci manum huic negotio admoviſſe videntur, & quidem jam circa annum Chriſti ccccxxii, nondum occupatâ, Pharamundo ſive Waramundo duce, vel eâ Galliæ parte quæ ad Moſellã eſt. Apud Wiſigothos initium rei factum Eurico rege, circa annum ccccLxx, florente jam populo illo per Galliam Narbonenſem. Circa annum ccccLxxx videntur latæ leges Burgundionum, rege Gundebaldo. Non multo pòſt nata ſunt Oſtrogothica Theodorici regis in Italiâ. Vltimi horum Langobardi ſua ſcribere cœperunt. Verùm hæc clariora erunt, ubi de ſingulis nonnihil dixerimus.

CAPVT III.

De Legibus VViſigothorum.

WISIGOTHOS igitur quod attinet (nam de populis qui Germaniam ita deſeruerunt, ut pòſt nihil cum illa commercii habuerint, primo loco diſſeremus) apud illos Ataulphi ætate leges parum vel nihil valuiſſe diſcas ex iis quæ habet Oroſius lib. 7. cap. 29. Vbi Ataulphus fatetur: *Neque Gothos ullo modo parere legibus poſſe propter effrenatam barbariem: neque reipublicæ interdici leges oportere, ſine quibus reſpublica non eſt reſpublica.* Eſt tamen ibi ſermo non niſi de legibus Romanis; ut *reipublicæ* etiam nomine ſola Romana eſt intelligenda. Cæterùm apud Wiſigothos initium ſcriptarum legum factum eſſe Eurico rege, teſtis eſt locuples Iſidorus Hiſpalenſis in *Chronico*, cujus primam editionem Petro Pithœo debemus; *Era Hiſpanicâ* DIV: *Sub hoc rege* (Eurico) *Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt, nam antea tantùm moribus & conſuetudine tenebantur.* Præfuit autem hic Euricus in Galliâ Narbonenſi & plæriſque partibus Hiſpaniæ ſuis Weſtrogothis ab anno Chriſti ccccLxv uſque ad annum ccccLxxxiv. Qui cùm aliis Theodoricus audiat, meruit ut leges Wiſigothicæ omnes audie-

audierint Theodoricianæ, ceu probat Savaro *ad ep. 2. l. 2. Sidonii Apollinaris.* Nisi forte & Theodoricus rex qui & Ostrogothis imperavit & ex parte Wisigothis, Leges correxerit, atq; ita à nomine suo illis titulum concesserit. Quod tamen quoniam Isidorus tacuit, non ausim tutò definire. Post Euricum certe in legum curam incubuit & Levvigildus, ille Suevorum victor feliciſſimus sed Arianus. De illo idem Isidorus *Era Hispanica DCIIX. In legibus quoque illa quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adjiciens, pleraſq; superfluas auferens.* Hæc mutatio ergo contigit circa annum Christi DLXXX. Tum enim maximè Levvigildus floruit. Adjecta sunt autem nonnulla & à secutis quibusdam regibus; pauca à Sisebutho & Gundemaro, multa ab Wamba Ervvigio ejusq; genero Egica, plura à Chindesuindo & Recesvvindo, qui emendatæ legis auctores passim audiunt.

Et verò Chindesvvindi regis decreto hæ solæ leges in forum per omne Westrogothorum regnum, quod tum universam Hispaniam & in Gallia Septimaniam comprehendebat, receptæ sunt. Extat illud *lib. II. leg. VVisigothorum tit. I. cap. IX. Alienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui & permittimus & optamus: ad negotiorum verò discussionem & resultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeò cum sufficiat ad justitiæ plenitudinem, & præscrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ Codicis hujus series agnoscitur continere, nolumus sive Romanis legibus, sive alienis institutionibus à modò amplius convexari.* Nec veto audet ipsemet etiam Antonius Dadinus Alteserra, vir doctissimus *l. 3. Rerum Aquitanicarum cap. 8.* negare, ex eo in ipsa quoque Septimania solas Gothicas leges obtinuisse. Scilicet hactenus in foris Hispaniæ atque Septimaniæ, saltim inter veteres incolas, adhuc supererat usus aliquis Romana-

manarum legum, quarum usus ibi, ut alibi passim, cœperat statim simulac Romanorum armis fuerunt domitæ. Et quidem verosimile est depromi eas denique solitas ex Corpore illo juris, quod jussu & auctoritate Alarici Wisigothorum regis id nominis secundi, (quo tempore illi à consilijs erat, & Wisigothi Tolosæ sedem regni tenebant) quondam circa annum DIV Christi, Anianus Vir spectabilis, ex Theodosiano Codice potissimum, aliquâ ex parte verò & ex Hermogeniano atque Gregoriano, Novellis item Theodosii Marciani Majoriani & Severi Cæsarum, ac denique quibusdam Ulpiani Gaji & Pauli libellis collegerat, vel potius per alios prudentes juris collectum (ceu indicat præfatio) ediderat, & interpretationibus suis illustraverat: quodque adeo Theodosiani codicis nomine & jam olim passim circumlatum per fora, & à Joanne Sichardo Basileæ anno MDXXVIII est editum. Perperam tamen; utpote quum Theodosiani codicis omnia minime comprehendat, multa contineat aliena, quædam etiam mutaverit fortassis, ceu innuit ipsa Alarici regis præfatio, atque ex genuinorum Theodosiani Codicis librorum à Joanne Tilio & Jacobo Cujacio editorum collatione est jam omnibus manifestum. Alaricus certe rex sua auctoritate promulgavit illum Aniani codicem, *ut in foro* (inter Romanos scilicet, non vero ipsos etiam Gothos) *nulla alia lex neq; juris formula proferri vel recipi præsumatur*, & quidem capitis pœna aut dispendio omnium bonorum secus agentibus proposito: quod habet ipsa Præfatio Alarici, quâ tamen Sichardi editio destituitur. Etsi vero altero post anno Alaricus ille rex in prælio occubuerit, & *regnum Tolosanum*, ubi codex ille est confectus, teste Isidoro, *occupantibus Francis fuerit* destructum, eoque fortassis alicubi novum illud Alarici Corpus amiserit pristinam auctoritatem, tamen nihil obstat quo minus alibi in Gothicis terris

terris vim ſuam retinuerit. Imo verò Alteſerra *l. 3. Rer. Aquitanic. cap. 8.* doctiſſime probat, in Aquitania à Francis occupata, ut & in Provincia Narbonenſi, Romanas leges ſequenti etiam tempeſtate diu obtinuiſſe: & tamen Aianeam illam editionem præ ipſo vetere Theodoſiano codice in Gallia fuiſſe in uſu, infra à nobis probabitur.

Verùm quicquid hactenus erat Romanæ Legis obſervatum, id omne Chindeſvvindi decreto illo abrogatum eſt. Confirmavit idem filius ejus Receſvvindus: cujus lex habetur *libri II tit. I cap. X. Nullus prorſus ex omnibus regni noſtri, præter hunc librum qui nuper eſt editus, atq; ſecundum ſeriem hujus à modò translatum, librum alium legum, pro quocunque negotio in judicio offerre pertentet. Quod ſi præſumſerit XXX libras auri fiſco perſolvat. Iudex quoque ſi vetitum librum ſibi poſtea oblatum diſrumpere forteſſe diſtulerit, prædictæ damnationis diſpendio ſubjacebit. Illos tamen à damno hujus legis immunes eſſe jubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, ſed ad comprobationem præteritarum cauſarum proferre in judicio forteſſe voluerint.* Quamvis verò poſtea Egica Rex emendationem legum Gothicarum in morem Chriſtianum commiſerit Epiſcopis Hiſpaniæ, illa tamen quæ à Chindeſvvindo & ſucceſſoribus fuere inſtituta noluit mutari. Illius verba recitantur in Concilio Toletano decimo ſexto: *Illis procul dubio legum ſententiis reſervatis, quæ ex tempore divæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Domini Chindeſvvinthi regis uſq; in tempus Domini VVambani Principis ex ratione depromtæ, ad ſinceram juſtitiam vel negotiorum ſufficientiam pertinere noſcuntur.* Hiſce ergo ſolis legibus tota Hiſpania & Septimania Gallica Gothico imperio tum ſubdita, fuit in foro uſa, nullo relicto antiquis Romanis legibus loco, etſi plerique incolarum minimè Gothici eſſent ſanguinis. Quod tamen non eſt cur multum miremur, quum conſtet ſic ſatis duro imperio priſcos

priſcos incolas à Gothis illis oppreſſos eſſe: licet, Iſidoro Hiſpalenſi teſte *in chronico*, mitius fuerit tributis Romanorum Cæſarum. Ejus indicium inſigne capere eſt ex *l. III. tit. I. cap. I.* quo à primo Receſvvindo rege laxatur grave illud interdictum, *de connubio inter Gothos & Romanos* (quo nomine priſci incolæ veniunt) *non ineundo.*

Hæc auctoritas verò Codicis hujus Wiſigothici non tantum florentibus gentis illius rebus ſuperfuit: verum etiam diu poſt Roderici regis (quem unà cum Wiſigothorum potiſſimâ parte Sarraceni interemerunt circa annum DCCXV) tempora, apud Hiſpanos & Gothos, qui Sarracenicum jugum vel non ſubierunt vel excuſſerunt, ſacroſancta habita fuit. Quin & in Galliâ Narbonenſi ſive Septimania adhuc ætate Joannis IIX Papæ circa annum DCCCLXXX, (etſi illa provincia jamdudum in Francorum fuiſſet ditione) magno & in uſu & in pretio fuit lex Wiſigothica. Recitatur Joannis Papæ ad Epiſcopos & Comites Hiſpaniæ & Gothiæ (hæc autem eſt Narbonenſis illa Gallia ſive Septimania) epiſtola, ex concilio Tricaſſenſi miſſa, *in Decreto Ivonis p. 3. c. 98. Venit ante præſentiam noſtram filius noſter Siſeboldus Narbonenſis Epiſcopus, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de ſacrilegiis; & in eiſdem legibus ſcriptum erat, ut cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur à judicibus illius patriæ, atq; ita jus ſanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ & Hiſpaniæ.* Gothis ſanè, qui provincialibus Galliæ erant immixti, integrum manſiſſe Legis ſuæ uſum nono ſeculo Chriſtiano, liquet ex hiſce verbis quæ recitantur in vitâ Ludovici Pii: *In Palatio quoque Bera Comes Barcinonenſis, cum impeteretur à quodam vocato Samila, & infidelitatis argueretur, cum eodem ſecundum Legem propriam, utpote quia uterque Gothus erat, equeſtri prelio congreſſus & victus eſt.* Imo vero inter eas conditiones, in quas cum deditiis Narbonenſibus pepigere Fran-

Franci, fuit & permissio Legis Gothicæ. Hoc enim utiq; significat illud, quod ex manuscripto veteri Chronico adducit Antonius Dadinus Alteserra *l. 3. Rer. Aquitanicar. cap. XI. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo nono Franci Narbonam obsident, dato sacramento Gothis, ut si civitatem traderent partibus Pipini, permitterent eos legem suam habere. Quo facto Gothi Sarracenos occiderunt, & civitatem partibus Francorum reddiderunt.* Conatur quidem Alteserra persuadere, inter solos Gothos Hispaniæ incolas, non vero inter reliquos provinciales Gothicam Legem fuisse jam amplius observatam, provinciales enim, fractâ Gothorum potentiâ, ad Leges Romanas rediisse; verum nullo vel levissimo testimonio huic sententiæ suæ facit fidem. Ex adverso illud ex Ivone paulo ante adductum significat, etiam in Ecclesiasticis negotiis solas Leges Gothicas tum valuisse, & simpliciter etiam tum judicibus fuisse prohibitum, *ut causæ quas illæ leges non habent non audirentur*; jam verò Ecclesiastica negotia non utique inter solos Gothos agitabantur, & Iudices illi non solis Gothis sed & aliis provincialibus jus dixerunt. Nec vero *labes aliqua inuritur Septimaniæ provincialibus* (quod credit Alteserra) *si jam liberi Gothicis legibus ultro audientes fuerint, quas olim servi fastidierant*: non enim Francis licet subditi plenã sunt libertatem nacti, etiam sic nimirum prævalentibus reliquo populo Gothis.

Notat porro Petrus Pithœus mansisse harum legum usum in Hispaniâ usque ad annum MCCXLI: donec scilicet Alphonsus Rex Jus Romanum in Partitas suas digeri curasset. Diu ante id esse factum, & quidem in Regno Castiliæ Sancio Ramiri filio Rege, circa annum MLXVIII videtur probasse Joannes Mariana l. 9. cap. VII Rerum Hispanicarum historiæ. Verba ejus sunt: *Sancium Ramiri successorem memorant Gothicas leges abrogasse, Barcinonis exemplo, sanxisse Cæsareas & secundum eas jura populis dari.* Verùm hoc quidem minus

nus verosimile videtur, saltim de Justinianeis Legibus. Ipsemet Mariana *l. cit. Didaco Pelagio Compostellæ Pontifice in Hispania Lex Toletana & lex Romana recepta*. *Sic historiæ Compostellanæ auctor. Legem nos Toletanam sacrarum ritus interpretabamur, sive divina hostia sacrificandum esset, sive laudes divinæ decantandæ, ex Gallia Toletum advectos, inde in alias urbes & oppida fusos Gothicis antiquatis, uti competente loco explicandum est. Legem Romanam, cælibatus necessitatem viris sacratis impositam, invectamq; in Germaniam, Galliam, Hispaniamq;, Pontificum Romanorum diligentia*. Hæc Mariana. Quæ tamen vereor num satis sint consentanea illi quod eodem capite jam memoraverat, nempe laudatum esse à Gregorio VII Papa Sanctium Regem, quod *primus Hispanorum Regum Toletanæ superstitionis (sic Gothicam precandi rationem vocat) per gentes fusæ, & quæ mentes hominum stulta persuasione imbuerat, repudiatis erroribus, majestatem Romani moris & cultus lucem in Hispaniæ terras invexisset*. Nec vero eodem tempore Toletani ritus simul abrogati simul introducti sunt. Repugnant vero & hæc iis quæ idem prolixe narrat cap. 18. Vrbano demum secundo Papa *de Gothica precum ratione antiquanda actum*, in ejus locum traducta Romana. Vt & iis quæ habentur cap. XI. *Alphonso Castiliæ rege in omni regno exemplo Aragoniæ precandi ritus ex Romano more sancitos, & prisca Gothorum instituta rebus divinis procurandis & propitiando numini antiquata*. Certe adeo parum sibi constanti historiæ de tempore antiquatarum Legum Gothicarum non est ut credamus. Id certum, non nisi serò cæpisse Hispaniam Gothica instituta mutare, ipsismet literis Gothicis diu superstitibus. Ita enim Rodericus Toletanus *l. c. rer. Hispanicar. cap. 30: Concilio Toletano Anno MCXVI patres cum Bernardo Toletano primate multa de officiis Ecclesiæ instituerunt: sed & illud, uti deinceps scriptores omnes omisso charactere Toletano quem Gulfilas Gothorum Episcopus invenerat Gallicis literis uterentur*. Quam rem etiam Mariana tangit, *cap. 18*.

Verùm.

Verùm hæc plenius narrare non pertinet ad noſtrum inſtitutum. Id addendum: tametſi hæ Gothicæ leges initio Latinè fuerint ſcriptæ, pòſt tamen in Romanam quam appellant, h. e. vulgarem Hiſpanicam, linguam ſunt, alijs tamen mutatis, alijs additis, verſæ: quæ translatio ab Alphonſo Villadiego fuit edita. At ipſum Codicem Latinum debemus Petro Pithœo, magno illi JCtorum ornamento.

Præter hæc verò ab iiſdem regibus Wiſigothicis, uſque à Recaredo qui primus catholicam fidem eſt amplexus, plurima ſunt de rebus Eccleſiaſticis, per varia Epiſcoporum concilia, conſtituta: imò jam ante, eorum adhuc Arianorum, Alarici præcipuè & Theudis, indultu multa in Eccleſiis Gothiæ & Hiſpaniæ per catholicos Epiſcopos decreta ſunt: ſed illa nunc non attingemus. Vel obiter autem codicem illum perluſtranti ſatis apparet, plurima hic & prudenter & ſanctè præcepta inveniri, adeoque gentem Wiſigothicam illâ ætate morum culturâ reliquos Germanicos populos longo intervallo ſuperaſſe.

CAPVT IV.

De Legibus Oſtrogothorum.

OStrogothos ad modum Wiſigothorum conſuetudines & leges ſuas ſcriptis mandaſſe atque in codicem retuliſſe, haut legas. Tantùm Jornandes homo Oſtrogothus in *lib. de reb. Goth.* ſcribit Diceneum olim Gothos propriis legibus vivere feciſſe, *quas*, inquit, *uſque nunc conſcriptas Bellagines vocant.* At non eſt veroſimile hos diu ante Wiſigothos uſos fuiſſe lege ſcripta; adhæc, ſi verum dixit Jornandes, etiam illi per Diceneum leges ſcriptas accepiſſent, quod tamen falſum eſt. Et verò videtur Jornandes ſua illa ex Probo, Dexippo, & aliis tranſcripſiſſe, qui Getarum res cum Gothicis per imperitiam miſcuerant. Quos ille imitatus, quum

Gothi Schytica gens fuerint, Schyticum omne suis Gothis adscribere pari ἀνοησίᾳ non dubitavit.

Cæterum Ostrogothi nec tum quando Theodorico rege Italiam occuparunt, antiquas & hactenus receptas Romanas leges abrogasse videntur, sed eas potius stabiliviſſe. Demonstratu id facile est plurimis Cassiodori testimoniis. In ipsius Theodorici Edicto disertè cavetur: Edictum illud promulgari *salvâ juris publici reverentiâ & legibus omnibus cunctorum devotione servandis.* Quibus verbis leges Romanas indicari certum est. Hinc Gelasius Papa ita affatur regem illum, prout legitur hodieque apud Gratianum dist. 19. *Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa reverentiam B. Petri Apostoli, pro suæ felicitatis augmento, velle servari.* Eundem Theodoricum Galliæ etiam Arelatensi usum Romanarum legum reddidisse, liquet ex Cassiodori *l. 3. epistola 17. & 43.* Quod haud dubiè contigit, partim quoniam non ea Ostrogothorum in Italia quæ in Hispania Wisigothorum potentia fuit, nec Italia Romanis ab Ostrogothis vi erepta, sed potius his tradita fuit Zenonis Cæsaris concessu, quamobrem & Theodorici successores Imperatorium aliquod in Italiam jus summum agnoverunt: partim quoniam Theodoricus alijq; studuere omnibus modis benevolentiam popularem Romani Imperij sibi subditi conciliare, quo res suas magis roborarent. Non tamen non & nova Edicta condendi potestatem Ostrogothi habuerunt. Exstant hujus generis multæ constitutiones in *Variis* Cassiodori, Theodorici Regis cancellarii. De quibus proinde doctè Pithœus *præfat. in Edictum Theodorici* loquitur: *Cassiodori Variarum libri ad jus Romanum sic pertinent, ut Theodoriciana & Ostrogothica, pleraq; admixta habeant: quæ qui non satis discernunt hybridas sæpe nobis pro merè Romanis obtrudunt.* Cumprimis autem nobile est

est Edictum, quod κατ' ἐξοχὴν ita appellatur, Theodorici. Primus illud edidit Petrus ille Pithœus, cui & Wisigothica & tam multa alia debemus.

Verum omnes hujus generis constitutiones, deleto regno, per Justinianum Imperatorem procul dubio abrogatæ sunt. Sed & per est verosimile, Ostrogothis ipsis alias quasdam proprias fuisse leges, secundum quas viverent, à Romanis distinctas; utpote quum idem alii observaverint victores Romanarum provinciarum, interque eos ipsi Wisigothi, ceu ante narravimus.

CAPVT V.

De Legibus Gothorum, Scandinaviæ incolarum.

ANtequam à Gothicis legibus abeamus, operæ fuerit pretium adjicere, quæ de Gothorum in Scandiâ hodieque superstitum legibus, earumque cum Wisigothicis convenientia, disseruit Andreas Bureus Svecus. Illa in *descriptione regni Suecici politicâ* habentur hisce verbis. *Fuerunt* (inquit) *olim in regno Sveciæ unicuiq; provinciæ sua jura legesq; propriæ, quarum varios fuisse perhibent auctores, quorum nomina majori ex parte ob vetustatem ignorantur. Vplandicæ tamen Vigero Spa, Vestrogothicæ verò Lumbero cuidam adscribuntur. Suntq; Vestrogothicæ illæ ejus vetustatis, ut procul dubio latæ videantur eo tempore, quo Gothi hinc exiverunt, vel paulò pòst. Mentionem enim faciunt Gothorum in Græciâ & Thraciâ habitantium; videlicet ne quis eorum sit particeps alicujus hæreditatis in Sveciâ vel Gothiâ, nisi illùc redire ibiq; degere voluerit. Constat autem Gothos ante Alexandri Magni tempora ibi habitasse, quos ille vitandos pronunciavit. Iidem etiam ante natum Christum sæpius terrori erant Romanis, quo minus Imperij sui fines trans Danubium propagare auderent. Conveniunt autem leges illæ majori ex parte cum Isidori legibus Visogothorum.*

quamvis multò sint breviores. Quare veritati non absonum videtur, easdem Isidori Visogothorum leges à nostratium Vestrogothorum constitutionibus primum derivatas, ac postea, ut ipsi testantur tituli, à Visogothorum in Hispania regibus augmentatas esse. Ex *supra dictis autem provincialibus legibus, aliisq; regni constitutionibus, Episcopi & senatores regni ante annos plus minus CCLXX generale Ius totius regni compilarunt, legi naturæ valdè congruum, nec à jure civili multum discrepans, nisi quod hujus vigore lites multò citius ad finem perducantur.* Hæc omnia Bureus. Quamvis autem non negaverim Wisigothos & Ostrogothos olim è Scandinaviâ egressos, nec Philippo Cluverio *l. III. German. veter. cap. XXXIV* id refellere conanti accesserim, adeoque vero non sit absimile, leges Gothorum Septentrionalium cum institutis Wisigothorum Hispaniæ (ut gentis ejusdem cum Hispanicnsi illa originis) plurimùm convenire: non temerè tamen cuiquam persuadebitur, quo tempore Gothi Scandinaviam deseruerunt vel paulò pòst, leges aliquas in Scandinaviâ fuisse conscriptas, multò minus antecedere illas ætatem Alexandri magni. Scilicet ante Gulphilam ne Runicas quidem literas Septentrionalibus illis fuisse usitatas, vero est haud absimile. Neque enim ille excogitasset novos characteres, si quæ literæ Gothis jam fuissent in usu: & tamen novarum literarum inventum ipsi adscribunt Socrates *histor. Eccles. l IV. c. XXIII.* Isidorus Hispalensis *in chronico Era CCCCXV.* & Paulus Diacon. *historiæ miscell. l. 12.* ut alios testes non adducam. Quin Runicas illas ex Gothicis à Gulphilâ repertis, & per Gothos nonnullos in Scandiam redeuntes adductis natas esse, variis modis inflexa, ut fieri assolet, figurâ, argumento videtur esse, illa quæ Runicis omnibus est cum Græcis affinitas. Constat autem Gulphilam Valentis Cæsaris ætate Episcopum fuisse Gothorum. Neque verò non ridiculum est, id quod Joannes Magnus prodit *l. 7.* Runicis

nicis illis literis monumenta saxea ante diluvium fuisse exarata. Nullius etiam roboris est, quod viri quidam docti pro Runicorum vetustate probanda adferunt argumentum à rupe Haraldianâ, Saxoni Silandico memoratâ *præfatione sui operis:* cum & ejus vetustas omninò incertæ sit fidei, jam Saxonis ævo inscriptione illius rupis per ævi injuriam detritâ. Cæterùm ut Gothorum literæ fuerint ipsis quoque Græcis antiquiores, si verum tamen est in illis Suconum legibus mentionem fieri Gothorum in Græciâ & Thraciâ habitantium, latæ illæ sint oportet post Valentis Cæsaris tempora. Ille enim primus omnium Visigothos in Thraciam & Mœsiam recepit, ubi ad Theodosii II imperium permansere. Ostrogothi verò primum Marciano Cæsare in Pannoniam admissi sunt. Tantùm abest jam Alexandri Magni ævo loca illa Gothis esse habitata. Verùm error hic natus est ex vicinitate nominis Gethici & Gothici, quos populos tamen longè diversissimos esse, rectè demonstravit Cluverius: utut illa soni affinitas jam olim non Jornandem tantùm, sed & Dexippum & Ablabium & Priscum (quos exscripsit Jornandes) Orosium item aliosque plurimos deceperit. Certè Gothos in Germaniâ, ætate Trajani, adhuc trans Lygios h. e. in Pomeraniâ vixisse, Tacitus abunde testatur. Quinque porro regum sibi succedentium ætate in illis ad Oceanum, seu mare Balthicum, locis cis Vistulam Gothos vixisse, ipse Jornandes antiquorum Gothicorum carminum fide asseverat: neque ante Philippum Cæsarem ad Pontum & Danubium illos penetrasse, alibi ostenditur.

Quicquid verò hujus sit, non profectò ea est legum Gothicarum antiquitas, quam vult Bureus: utut etiam hoc nomine meritò eas admiremur. Malumus sanè cum Cujacio *l. II. tit. de feud.* asserere, *quod sint in ijs* (Wisigothicis) *omnia ferè petita ex jure civili*, quàm cum Bureo affirmare harum fontem

tem esse septentrionales illas. Nec verò ex eo, quod nonnulla Septentrionalis illius juris cum VVisigothicis Hispaniæ conveniant, benè colligit Bureus, illud hujus fontem esse: in multis enim & Suecicum Gothicumque Jus (quale quidem illud per Regualdum Ingermundum anno M CCCC XLI Latine versum Stockholmiæ prodiit seculi hujus anno quartodecimo) cum Romano convenire clarissimum est, quorum illud tamen ex hoc minimè profluxit. Ad hoc fortassis leges scriptæ nullæ fuerunt Sueonibus antequam iisdem usi sunt Dani: hi verò solent sui illius juris auctores principes laudare reges VValdemarum primum alterumque illius nominis, quorum ille Scanicas & Sialandicas anno M CLXIII, hic Cimbricas anno M CC XL promulgaverit & has quidem magnam partem ex Juris Saxonici Speculo acceptas, teste Arnoldo Huitfeldio magno Danici regni cancellario *præfat. leg. Provincial. terræ Fioniæ.* Sed de Gothico Jure satis.

CAPVT VI.

De Legibus Burgundionum.

PEnè autem eodem quo VVisigothi tempore, & BURGUNDIONES, gens itidem Germanica in Galliam progressa, leges cœperunt conscribere, curante Gundebado vel ut alii scribunt Gundebaldo rege. Extat libellus legum hodieque, in procœmio Juris indicans & locum & tempus scripturæ. *In Dei nomine, anno secundo regni domini nostri gloriosissimi Gundebaldi regis, Liber constitutionum de præteritis & præsentibus atq; in perpetuum conservandis legibus, editus est sub die VI Kal. April. Lugduni.* Notat doctissimus Lindenbrogius in uno ms. non Gundebaldi sed Sigismundi, qui filius fuit & successor Gundebaldi, nomen legi: sed indubiè id mendosum, quum aliunde satis constet Burgundicam legem illam Gundebaldo ascriptam esse. Certè in Capitularibus Carolinis, Legibus Lan-

Langobardicis, alibique lex Gundebada laudatur: quâ voce non aliam, quàm hanc Burgundionum, intelligi certum est. De hoc Gundebaldo ejusque legibus Gregor. Turonensis *l. II. hist. Francor. cap. XXXIII. Ipsé* (Gundebaldus) *regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in suo dominio instauravit, Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.* Vixit autem Gundebaldus Rex, cùm Francis Clodovæus Wisigothis Alaricus secundus imperaret, regiamque habuit Lugduni; adeoque liber hic legum editus est non multò ante annum Christi quingentesimum. Videntur autem nonnulla ab ipso Gundebaldo emendata: qualia sunt illa *titulo XLII & XLV* Avieno Consule, & alia *titulo LII* Agapeto Consule conscripta. Est autem Agapetus ille, qui in Fastis consularibus Hippatius nuncupatur, cujus consulatus in annum D ut Avieni in proximum, incidit. Additamenta autem illa duo fortè Sigismundo rege accesserunt. Id certum quod dicit Turonensis, leges Gundebaldi Romanis vel priscis Galliæ incolis admodum esse æquas. Plurima sanè in iis legas in favorem indigenarum, ut qui pari jure cum Burgundionibus censeantur: quod in Francorum Gothorum Langobardorum legibus haud solet fieri, victore populo meliore præ victis Romanis conditione vivente.

CAPVT VII.

De Lege Salicâ Francorum.

SEd Burgundicæ illæ, ut & VVisigothicæ & Ostrogothicæ leges fortasse non ita ad nos pertinent, quum hi populi (Burgundis exceptis) nunquam Germaniæ sint redditi, & in peregrino solo jura conscripserint. FRANCORVM res & jura propius nos contingunt. Horum imprimis celebris est lex SALICA dicta. Quæ tamen quando, ubi, quibus au-

ctoribus, & in quorum gratiam sit lata, controversum hodie fecerunt eruditorum quorundam studia.

Cæterum fortassis ex re fuerit, proponere prius quam dicamus sententiam, antiquissima argumenti hujus monumenta. Itaque Auctor quidam incerti nominis à Marquardo Frehero primum editus, quem Theodorico II Francorum rege circa annum Christi DCCXX vixisse & liquet & omnes fatentur, libro de Gestis Francorum ita scribit: *Defuncto Sunnone Franci petierunt consilium à Marcomiro, ut regem unum haberent sicut & cæteræ gentes: & ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramundum filium Marcomiri, & levaverunt eum super se regem crinitum. Tunc & legem habere cæperunt, quam consiliarii eorum priores gentiles, his nominibus, VVisogast, Arogast, Solagast, in villabus Germaniæ, id sunt Bodacheim, Salecheim, VVidecheim tractaverunt.* Testatur Gotfridus Wendelinus V.Cl. hujus Anonymi verba in Msto Cameracensi sic legi: *Francis Marcomirus dedit consilium, & elegerunt Faramundum ipsius filium, & eleuaverunt eum regem super se crinitum. Tunc habere leges cæperunt, quas eorum priores gentiles tractaverunt VVisovvastus, VVisogastus, Arogastus in villabus quæ ultra Rhenum sunt, VVibothagia, Salechagia, & VVidochagia.* Adducit idem Wendelinus verba Chronici Moissiacensis hæc: *Tunc & legem habere cæperunt, quam consiliarij eorum priores his nominibus, VVidegast, Visogast, Arogast, Salegast in villabus Germaniæ, Idsteo, Iubothagia, & VVindigatin tractaverunt.* Ado Viennensis quem constat vixisse usque ad annum DCCCLXXX, *Franci*, scribit, *egressi à Sicambria pervenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida, ibiq; aliquot annos cum Principibus suis Marcomiro & Sunone resederunt. Vbi primum regem Pharamundum sibi postmodum statuunt, legibusq; se subdunt, quas priores eorum VVisivastus & VVisogastus Arogastus Salogastus invenerunt.* Adonis verba seculo Christiano duodecimo circiter in Chronicon suum transtulit Ivo Carnotensis

tensis

tenſis Epiſcopus. Nonnihil plenius rem hanc narrat ad annum Chriſti 422 in Chronico ſuo Sigebertus Gemblacenſis Monachus ætate Ivoni ſuppar. *Franci uti cæperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis ſuæ proceres electos de pluribus, his appellatos nominibus: VSogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, VVidigaſt, in villis Germaniæ Salehaim, Bodohaim, VVindoheim. Hi quatuor proceres per tres mallos convenientes, & cauſſarum origines ſollicitè tractantes, ſicut lex Salica declarat judicare decreverunt.* Hæc Sigebertum ex ipſo Prologo Legis Salicæ accepiſſe paulo poſt apparebit. Nunc ſubdere placet Ottonis Friſingenſis Epiſcopi & Conradi Vrſpergenſis Abbatis, illud ex ſeculo duodecimo hoc ex tertiodecimo, teſtimonium. Scribit Otho l. 4. Chronicor. cap. 32. *defuncto Sunnone, communicato conſilio Marcomiris filium Faremundum ſibi Regem creavere. Leges quoq; VViſigaſtaldo & Salegaſto auctoribus ex hinc habere cæpere. Ab hoc Salegaſto legem quæ ex nomine ejus Salica uſq; vocatur, inventam dicunt. Hac nobiliſſimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur.* Conradi verba ſunt: *Franci habuerunt conſilium inter ſe, ut unum regem haberent ſicut & cæteræ gentes: acceptoq; conſilio à Marcomiro Faremundum ipſius filium regem conſtituêre; & ex eo tempore leges habere cæperunt, quas gentiles eorum conſiliarii VViſigaſtaldus & Salegaſt fecerunt. A quo Salegaſt etiam lex Salica inventa dicitur & nominata. Erant autem Franci Pagani.* Hæc ita Hiſtorici ab anno uſque DCCXX per ſecula integra ſex conſtanter tradiderunt. Recentiora addere, non eſt pretium operæ.

At vero cum duplex ſuperſit editio Legis Salicæ haud parum inter ſe diverſa, altera I. Baſilii Heroldi, altera Pithœi, quem poſt Fridericus Lindenbrogius in Codicem Legum antiquarum transferens ſuum quaſi fecit, utriuſque verò vetus præfatio ad hoc noſtrum inſtitutum itidem faciat, etiam illas hîc legi profuerit. Heroldina itaque quam tamen

ſuæ itidem præfixit Lindenbrogius ſic habet ſeſe. *Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, firma pacis fœdere, profunda in conſilio, corpore nobilis & incolumis, candore & forma egregia, audax velox & aſpera, nuper ad catholicam fidem converſa, immunis ab hæreſi: dum adhuc teneretur barbarie, inſpirante Deo inquirens ſcientiæ clavem, juxta morem ſuorum, qualitatum deſiderans juſtitiam, cuſtodiens pietatem, dictavit legem Salicam, per proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor his nominibus, VViſogaſt, Bodogaſt, Salogaſt, & VVindogaſt, in locis quibus nomen Salageheue, Bodogheue, & VVindogheue. Qui per tres mallos convenientes omnes cauſſarum origines ſollicite diſcurrendo, tractantes de ſingulis, judicium decreverunt hoc modo. At ubi Deo fuvente Clodoveus comatus & pulcher & inclytus rex Francorum primus recepit catholicum baptiſmum, quicquid minus in* Pacto *habebatur idoneum, per præcelſos reges Clodoveum, Childebertum & Hlotarium fuit lucidius emendatum & procuratum decretum hoc. Vivat qui Francos diligit Chriſtus, eorum regnum cuſtodiat, & rectores de lumine ſuæ gratiæ repleat, exercitum protegat, fidei monumenta tribuat pacis gaudia & felicitatem, tempora dominantium Dominus Chriſtus Ieſus pietate conducat.* Hactenus Præfatio illa. Hanc vero ſaltim ante tempora Carolina florente adhuc Merovingica Regum familia ſcriptam eſſe, haud obſcure liquet: nec enim neglexiſſet aliàs & Carolum Magnum memorare inter Salicæ legis emendatores auctoreſque. Quin imò per eſt veriſimile, ſcriptam dudum ante tempora Dagoberti: cum nec Dagobertus debuiſſet non laudari. Quod tempus incidit ante annum Chriſti DCXXX. Dagobertus utique laudatur prologo legum Bajoaricarum quam maxime hoc nomine, uti docetur capite IX. De tempore ſcriptæ Præfationis præfixæ Pithœanæ editioni minus certò conſtat. Eſt autem hæc: *Placuit atque convenit inter Francos & eorum proceres, ut propter ſervandum inter ſe*

pacis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [42] - 20
PUBLIC DOMAIN

pacis ſtudium omnia incrementa veterum rixarum reſecare deberent. Et quia exteris gentibus juxta ſe poſitis fortitudinis brachio præeminebant, ita etiam Legum auctoritate præcellerent, ut juxta qualitatem cauſſarum ſumeret actio criminalis terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri his nominibus, VViſigaſt, Bodogaſt, Saligaſt & VVindigaſt, in locis quibus nomen Saleheim Bodoheim & VVindoheim: qui per tres malles convenientes, & omnem cauſſarum originem ſollicitè diſcutiendo tractantes, de ſingulis judicare decreverunt hoc modo. Ita Pithœana editio. Lindebrogiana hoc differt quod poſt nomina legislatorum addat: *in villis quæ ultra Rhenum ſunt Salahaim & Bodoheim & VVidohaim.*

Hiſce tanquam veritati conſentaneis, admiſſis, de tempore quidem quo prima cæperunt incunabula Francorum legis, videtur ſic ſatis eſſe liquidum. Cæpiſſe nempe illam tum, cum Franci ſimul unum ſibi communem regem elegerunt. Omnes ſane illi hiſtorici quos adduximus conſtanter idipſum affirmant. Ex Prologis colligere & hoc eſt, prius nonnihil conditam legem quam Rex ille fuerit electus. Diſerte enim legitur Præfatione prima, quod Gens Francorum per proceres ſuos qui tum temporis gentis erant rectores legem condiderit: Præfatione autem ſecunda, Placuiſſe inter Francos & eorum proceres, pacis inter ſeſe ſtudio omnia rixarum fomenta tollere: neutro loco facta alicujus regis mentione. Ut liceat affirmare, cæpiſſe ferre ſibi leges Francos circa annum CCCCXXII. Nec vero quiſquam temerè ea ſuper re movit controverſiam.

Eadem fide autem pronunciare etiã illud licet, primordia legum illarum condita in Germania non autem in Gallicõ ſolo. Utiq; enim audivimus diſertis verbis id aſſertũ ab Auctore anonymo illo libri de Geſtis Francorum, ab Auctore Chronici Moiſſiacenſis, ab Adone Viennenſi, ab Ivone Carnotenſi, ab ipſa altera Præfatione Legis Salice, ſi quidem ſequamur e-

ditionem Lindenbrogianam. Tacite vero idem & illi significaverunt, qui narrant legem latam quo tempore Pharamundus est rex constitutus: multo magis illi, qui paulo ante id factum memorant. Pharamundus enim utique rex fuit creatus in Germania à Francis, qui sui non Romani erant juris, & quibus hactenus præfuerant Sunno & Marcomirus: quos in Germania vixisse, liquet ex ijs quæ Gregorius Turonensis l.1. c.9. ex Sulpitio Alexandro refert. Jam tum scilicet Rheno trajecto in Belgium nonnulli Francorum secessérant: verùm illi pars erant facti Imperii Romani, adeoque subditi Cæsarum non vero ἀυτοξόσοι amplius erant. Cumprimis vero notatu dignum est, omnes illos quos adduximus auctores, solo Othone Frisingensi & Conrado Urspergensi exceptis, non in Germania sed Gallia isthæc sua scripsisse, ac proinde minime suspectam debere esse narrationis illius fidem, quasi scilicet amori Germaniæ patriæ suæ aliquid dederint. Nemo porro, quod equidem sciam, secutorum temporum de illius narrationis fide quidquam dubitavit, ne inter Gallos quidem; nisi quod nuper admodum Joannes Jacobus Chiffletius *Vindiciarum Hispanicarum cap. V. & Lumine Salico primo*, Gothofredus item Wendelinus singulari libro, Galliæ Belgicæ primos legis illius natales vindicare fuerint conati, in dubium vocata omnium productorum testimoniorum fide. At verò si hac in parte nutat fides illorum testimoniorum, qua securitate non dubitaverunt viri illi eximij reliquis fidem tutò adhibere? Quod tamen feciſſe illos apertum est. Omnis narratio ejusdem est fidei: partem si luxaveris totam jam fregisti.

Nec verò illorum argumenta quibus Germanicos natales Salicæ legi detrahunt cujusquam sunt ponderis. In Chiffletij operosa disputatione non nisi unicum hoc deprehendere est; quod lex Salica sit condita in usum gentis Salicæ,

licæ, nulli autem unquam fuerint Salij Franci Transrhenani, sed hoc nomine solos qui in Galliam migraverant Francos Orientales audiisse olim, dictos ita à Salia amne qui ortus à Lindrio lacu apud Metas influit in Mosellam, quem accoluerint, Transrhenanos verò dictos fuisse Ampsivariorum nomine. Verumenimvero primum debuisset Chiffletius non sumere tanquam certum sed probare, Salicam legem à Salijs dictam, cum multi dissentiant. Nec tamen hoc equidem nunc multum urgebo, quandoquidem nec mihi videtur vero esse absimile. Esto autem deinde, Transrhenanos Francos nunquam esse dictos Salios: minime tamen hinc est consequens, Legem Salicam non in Germania conditam. Forte enim illa lex non statim primo initio Salica audijt, sed demum ubi Franci in Galliam effusi Saliorum sibi nomen acquisivissent. Transrhenanis porro nullis Saliorum aut Salicorum nomen datum, non profecto evicit Chiffletius. Enimvero Notitia Imperij, Honorio & Gratiano imperantibus circiter conscripta, sub Magistro peditum in Occidente inter cohortes & legiones recenset cum simpliciter *Salios*, tum *Salios Gallicanos* : sub Magistro item intra Gallias, *Salios seniores*, intra Hispanias vero *Salios juniores Gallicanos*. Unde patet fuisse tum Salios præter Gallicanos. Hos vero fuisse Transrhenanos saltem per est verosimile. Pertendit tamen Chiffletius *Luminum Salicorum primo*, Salios illos simpliciter ita dictos esse *Salios Ligures* Plinio memoratos. At Ligures illi Pliniani non Salii sed *Salyes* & *Salvij* dicti: gensque obscura aliisque scriptoribus indicta non profecto meruit cohortibus Romanis quarto seculo accenseri. Ammianus quoque qui primus nobis Salios Francos memoravit, ita loquitur de illis, ut non in Gallia primum ita dictos haud obscure significet. *Quibus*, inquit *lib. 16. c. 17.* de Juliano, *paratis petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo*

ſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxiandriam locum, habitacula ſibi figere prælicenter. Non diu illi hæſerant tum in ſolo Romano ſeu Gallico, & tamen *conſuetudo* eos jam *appellaverat Salios:* nomen itaque illud ex Germania jam attulerant. Et vero ipſe Julianus epiſtola ad Athenienſes, hos qui Toxandriam occupaverant Salios vocat μοῖραν τὴν Σαλίων ἔθνους: quod ſcilicet & alibi viverent tum Salij. Vixiſſe autem tum temporis in Gallia Salios etiam alibi, oſtendi non poteſt; at certum eſt illos Toxandrianos Salios ex Germania recens tranſgreſſos, pulſos nempe ex Batavorum inſula à *Chamavis* (ita enim non vero *Quadis* legendum, colligere eſt ex ipſiuſmet Juliani Epiſtola Ammiano & Hiſtoriæ Eunapianæ excerptis) & Saxonibus, ceu conſtat ex Zoſimi *l. 3.* Quo patet ſimul, perperam à Chiffletio traditum, illos Salios iſthuc ex partibus Saliæ amni vicinis perveniſſe, & ab illo amne Saliorum nomen profectum. Quod poſtremum etiam liquet ex eo, quod late patuerit Saliorum illa appellatio, ad amnem illum exiguum autem non niſi pauci conſidere olim potuerint, ut indignum fuerit hinc amplum Saliorum cognomentum derivare. Manifeſtò denique falſum eſt & illud Chiffletij, Francos Tranſrhenanos non niſi Ampſivarios dictos. Pars ſane illorum fuere Ampſivarij: præter illos autem in idem cognomentum & Bructeros, & Chattos, Tencteros, & Uſipios adoptatos, facillimum eſt oſtenſu, alibique à nobis probatum.

Chiffletij igitur quidem argumentum nullius eſſe ponderis jam abundè patet. Æquè invalida autem ſunt & Wendeliniana. Etenim *cap. 3.* hoc potiſſimum affert: illam quæ hodie dicitur Franconiam ante Clodovæum partem fuiſſe Alemanniæ, idque liquere ex tabula Peutingeriana. Aſt ut hoc verum ſit, hinc tamen non ſequitur, in Germania leges Francorum non ſumpſiſſe originem ſuam. Agnoſcit enim

nim utique ipsa illa tabula Chamavos Francos, & seorsim FRANCIAM contra Castra Herculis usque ad Agrippinam longo per Germaniam tractu. Mox habet & Bructeros, qui itidem Franci audierunt usque ad Borbetomagum, inde Sueviam ad Argentoratum, & hinc demum Alemanniam. Vnde liquet, tum temporis terram Franconicam non fuisse Alemanniæ partem: & satis amplum Germaniæ tractum Franciam audivisse, ubi leges illæ componi potuerint. Sed & Sidonio Apollinari teste, jam tum

Ulvosa Francum Nicer alluit undis.

Quod circa Nicrum ceu hodie, factum esse, constat ex Tabula Itineraria. Imo jam Ausonii ævo fuit

Francia mixta Suevis.

Et Cattos usque ad Thuringicam sylvam habitantes dudum in nomen Francorum transiisse, alibi clarissimè demonstravimus. Ne nunc dicamus, quam infinitis etiam Peutingeriana illa tabula erroribus scateat: ut non liceat tuto ad illam semper provocare.

In altero argumento caput libri tertii occupavit Wendelinus. Salicas nempe leges latas in regione pecuniosa, non ergo in Germania. At vero initio statim illam mulctam delictis dictam quæ nunc habetur in Legibus istis, non satis constat. Deinde ex mulctarũ magnitudine pecunia aut situs regionis nequaquam colligi potest: sed rigor potius legis & severitas in mulctandis peccatis. Æque ineptum est argumentum quo nititur *capite VI.* nempe in Germania nullas fuisse urbes, adeoque nec solidos, quippe qui in urbibus cudi soleant; & tamen in legibus illis mulctam solidis definiri. Quasi vero nummorum nullus sit usus nisi ubi cuduntur: & quasi non omnis compositio (ut tum loquebantur) more Francorum facta fuerit solidis, pretio rerum nummis adæquato si solidi ipsi deficerent, ceu patet etiam ex Capitularibus

bus Saxonicis Caroli Magni; quæ huic operi subjungemus. Id perquam vero ridiculum, ausum Wendelinum Legum Salicarum natales Brabantiæ tribuere propter loci opulentiam *cap. 4.* cum tamen vis veritatis hæc verba homini extorserit in Glossario, voce Basilica: *Lignea fuerunt ad annum fermè à Christo millesimum apud nos omnia prope monasteria & basilicæ:* Fateatur quoq; ipse, nullam Belgio auri & argenti esse fodinam, nulla etiam olim fuisse commercia: quæ duo sunt potissimi divitiarum fontes. Audet quidem divitias illas petere à magnorum Principum habitationibus. Verum illæ in Brabantia aut illa omni Belgicæ parte nullæ olim fuerunt, sed Coloniæ, Treviri, Moguntiaci. Adhuc perpetuis Germanicarum gentium incursionibus Belgica utraque isthac ætate prope in solitudinem jam redacta fuit. In alia Wendeliniana animadvertere nullum est pretium operæ.

Quum illa autem, quæ constanti tot seculorum consensum ausi fuerint opponere Chiffletius pariter & Wendelinus, uterque magnæ licet eruditionis, nullius sint roboris, licet utique tutò jam credere, Legis Salicæ natales Germaniæ solo deberi. Cui tamen Germaniæ loco illi tribuendi sint, non perinde liquidum est. Goldastus Tomo tertio Constitutionum Imperialium inter alia Salicas leges exhibet hoc præfixo titulo: *Faremundi primi Franconiæ regis Leges Salicæ in Comitiis quondam Salzensibus per Francos & eorum Proceres decretæ, & per Regem postea cum iisdem Francis & toto cœtu populi confirmatæ & sancitæ anno Domini CCCCXXIV.* Subjungit mox ad vocem *Salzensibus* asteriscо notatam hoc glossema: *Qui locus hodie Salzburch ad Salam fluvium in Franconia: olim Saleheim in pago Salico.* Idem Goldastus post titulum 58 quasi novum librum exorditur hoc titulo: *Clodovæi regis Francorum Augusti, Consulis Romani ac Patritij Decretiones, Faramundi legibus Salicis addendæ, in Comitiis Aquisgranensibus, anno Imperij sui V, cum univer-*

universi cætu populi promulgatæ, ac postea in Theodorici villanis Comitiis confirmatæ & pro lege haberi jussæ. Hæc Goldastiana si integræ fidei essent jam quæstio esset decisa. Verum sunt hæc omnia illaudabili facinore, perquam tamen Goldasto familiari, efficta. Quo nomine Goldastum ex merito acerrime increpavit Wendelinus *cap. 2.* Marquardus Freherus *parte 2da Originum Palatinarum cap. V,* id quod hodie circa Lupodunum est *VVinheim*, suspicatur esse unam villarum natalitiarum Salicæ legis, idq; quoniam in tabulis fundationis cœnobij Wisensteig scriptis anno DCCCLXI is locus appelletur *VVindenheim.* Reliquas tamen villas indicare haud potuit. Matthias Vander Hove Hollandicâ vernaculâ linguâ Antiquitates Batavicas describens, Salicas leges magnæ Bataviæ vindicans, unam villarum Solichaim *Solleck* Transisalaniæ, Bodochaim *Bodograviam* Hollandiæ, VVingenhaim *VVinckeidum* VVestfrisiæ esse voluit persuadere, at nullâ vel verisimili adductâ conjecturæ suæ probatione; quod vel liqueat ex illa suarum & veteribus laudatarum villarum multũ diversa appellatione. Quo solo argumento rejicere possis & omnia VVendelini quamvis speciosiora commenta, quæ adfert *cap. XV.* Cæterum quoniam villarum Germanicarum nomina à librarijs dudum multis sint modis corrupta, facies quoque & appellationes locorum plurimum mutaverint, non est fortasse quod hodie natalitias Salicæ Legis Villas certò queamus ostendere. Illis locis vero fuisse in usu linguã, non inferiori sed superiori Germaniæ usitatam, nomina indicant quantumvis huc illuc flexa, haim, heim, chovve.

Auctores legis Salicæ (de quibus tertio loco agendum diximus) primarios quidem esse ipsam universam gentem Francorum, manifestum est ex testimonijs initio adductis. Utique enim omnia simpliciter legum lationem genti tribuunt: & Prologus uterque Legis Salicæ toti

Francorum genti illam acceptam fert. Conveniunt tamen omnia illa teſtimonia in eo, quod auctoritate populi nonnullis ſingulatim fuerit commiſſa conſtituendi juris illius poteſtas. Hi verò audiunt *priores gentiles, primores, conſiliarij priores, proceres electi, rectores gentis Francorum*. Unde colligere eſt, fuiſſe illos ex nobiliſſimo ordine iſto Principum Francicæ gentis *qui jura per pagos & vicos dixere*, uti Tacitus loquitur: quos ſequior ætas ſemigermanicâ voce Graviones & Latinè Comites appellavit. Hos autem oportuit ſane præ alijs juris & æqui peritiâ polluiſſe. Ex hoc numero autem tantum quatuor electos eſſe, conſtans utique eſt omnium conſenſio. Apud Ivonem enim tantum tres quidem memorantur, ſed videtur librarij culpâ unius nomen excidiſſe: quum in Adone quatuor laudentur, Adonem autem Ivo deſcripſerit. Otto Friſingenſis & hunc ſecutus, ceu liquet, Conradus Urſpergenſis, non niſi duorum mentionem faciunt: ſed non eſt quare illorum narratio nos moveat à fide & complurium & melioris ævi teſtium. Nomina porro illorum quadrumvirorum nonnihil diverſimodè audiunt: attamen non niſi levi diſſenſione, & quæ librarijs adſcribenda eſt. Plerique conveniunt, dictos illos, Wiſogaſt, Arogaſt, VVendegaſt & Salegaſt. Cum inſolens autem videatur illorum quatuor nominum eadem planè terminatio, hinc conjectura viris quibuſdam doctis nata eſt, non tam propria eſſe quam appellativa, & in ſignificationem inquiri cæpit. Et vero placuit nonnullis quod primùm Hadrianus Junius eſt ſuſpicatus, *Gaſti* voce olim dictum hominem ſapientem, quâ origine apud Romanos natum Catonis cognomentum. VVendelinus *cap. V.* & in *Gloſſario* tradit Gaſt ſignificare potentem in aula hominem vel toparcham. At verò utraque explicatio omni caret ſolida probatione. Nec vero hodie quidem ꝛc. *Gaſt* ulli Germanico populo

populo tale quidquam notat, sed duntaxat hospitem. Eoque commodè accipienda sunt illa VVendelini: Gast *nobis hominem notat corporis animiq; bonis præstantem nobilem ac toparcham*: aut vero falsi accusanda fuerint.

Possit nihilominus verosimilem forte reddere VVendelini interpretationem *Gastaldi* vox: qua terminatione apud Ottonem Frisingensem est *VVisigastaldus*. Et sanè Gastaldum Langobardis dictum olim præfectum alicujus loci, patet vel ex Glossario Lindenbrogiano. At vero hanc vocem & Francis fuisse in usu, nusquam reperias. Neque veterum quisquam terminationem illam agnoscit in quadrumviris illis Francicis præter solum Ottonem, sequioris ævi scriptorem: qui integrum nihilominus reliquit Salegasti nomen. Igitur quandoquidem diserte veteres illi omnes tradunt, ijs quæ dixi *nominibus* appellatos istos quadrumviros, mihi quidē verisimilius videtur nomina esse propria. Et vero in Excerptis Eunapianis de Chamavis, etiam legas Nebogasti nomen: Arbogasti (quomodo ille qui alijs est Arogast Ivoni dicitur) clara est memoria in rebus Valentiniani junioris, & ne nunc quidem in usu esse desiit: ignotâ licet utriusque nominis origine.

Cæterum quadrumviros illos tribus in villabus Germaniæ, in tribus præterea judicialibus conventibus (hoc enim significat *malli* vocabulum) leges illas communicato consilio tulisse, apertum quidem est. Nomina tamen ipsa villarum à librarijs adeo diversè & ineptè scripta sunt, ut hodie quidem ἀδύνατον videatur illa integre proponere. Nec vero est cur in illis desudes. Satis est ad laudem Salicæ Legis quod primi ejus auctores fuerint Francicæ gentis selecti primores, quodque illi nonnisi post sæpius institutas deliberationes commisso sibi officio fuerint functi.

Majus erit operæ pretium, si de usu Legis Salicæ nonnulla.

nulla definiamus paulò accuratius. In quorum scilicet usum sit condita, & quamdiu vim aliquam obtinuerit. Et verò Chiffletius *cap. V. Vindiciarum Hispanicarum* ita disputat, quasi Lex illa pertinuerit olim ad solos Austrasiæ Gallicæ incolas Francos, ut qui soli fuerint Salij dicti à Salia amne. Idem ferè asserit Wendelinus: voluit tamen Salios olim dictos solos Francorum nobilissimos, qui à plebe pulsi concesserint in Toxandriam. Jacobi Cujacij hæc verba sunt *l. 1. de Feud. tit. 1. Separatis libris habetur lex Salica & Lex Francica: hæc est Occidentalium illa Orientalium*. Dubites autem, num Orientalium nomine Austrasicos Gallicos appellet an vero Germanicos. Addit exemplum Conradi secundi Imperatoris: hunc Salicum vocatum *quod Dux esset Francorum Orientalium, qui Salij dicti sunt.* Franciscus Hotomannus Francogalliæ cap. 8. scribit: *Quemadmodum duo Francorum regna* (Orientale & Occidentale) *ita duæ Francorum leges, Salica quæ ad Salios, & Francica quæ ad Franco Gallos pertinebat.* Paulò ante dixerat: *Meminisse oportet quod superius attigimus, Francorum duas sedes duoq; regna fuisse: unum in Gallia quod ad hunc usque diem permansit, alterum ultra Rhenum ad flumen Salam, unde Salij & Salici Franci conjunctè, plærumq; autem Salici præcisè appellati: quorum & regnum & jam prope nomen obsolevit.* Ex hisce liquet, in eo quidem hosce omnes consentire, quod Lex Salica non nisi Orientalium Francorum in usum sit condita: dissentire tamen quod Cujacio & Hotomanno Orientales hi sint Germanici, Chiffletio autem & Wendelino Gallici.

Ut autem quod sentio dicam, nihil hujus est verum. Et verò Francis Leges duas fuisse, alteram Francicam, alteram Salicam dictam, nullo licet testimonio probare. Nusquam certè hodie supereſt lex vetus quæ seorsim Francorum appelletur: sed unica Lex Salica etiam Francorum Lex audit. Legem porro Salicam in usu olim fuisse etiam Austrasiæ

Gallica

Gallicæ, liquet plane ex ijs quæ à Chiffletio disseruntur in *Vindiciis Hispanicis Capite quinto.* Ipsemet vero non dubitavit *Lumini V. Salico* hoc præscribere : *Salicæ Legis usus communis fuit Francis occiduis, Italis, Burgundionibus, Germanis.* Idque vel hinc apparet, quod titulo L. fiat Ligeris fluvij mentio. Ne nunc dicam quod frequentissimè fiat mentio Romanorum hominum: qui in Francia Germanica nulli, in Austrasia Gallicâ rari, in Neustria autem Francica plurimi. Quod porrò Wendelinus scribit, Salios Francos nobili fuisse genere natos, pulsos vero à plebe, figmentum est & fabula ingenioſi hominis. In Lege Salicâ certe nihil apparet, quare credi possit in solius nobilium hominum ordinis usum esse conditam: imo ad populum plæraque ejus pertinere, liquidum est.

Illis igitur sententijs rejectis, omnino videtur adserendum, Salicam Legem fuisse communem omnium originariorum Francorum. Idverò colligere est primùm ex ipsa legislatione: quoniam scilicet ab universa gente Francorum Lex illa condita est, ceu paulo ante demonstravimus. Secundò ex usu ipso: quoniam ubicunq; vixit aliquis origine Francus, aliquot seculis lege Salica vixit, idque simul extra Germaniam & Franciam Gallicam, in Italia scilicet etiam & Burgundia: quod fatentem ipsummet Chiffletium modò audivimus, & nos seorsim *cap. 22.* de Italicis ostendemus.

Tria tamen videntur & hoc dubium posse reddere. Primum est, quod diserte olim scripserit Eginhartus: *Franci duas habent leges plurimis in locis valde diversas.* Alterum, quod ipsa vox Salicæ legis denotet, tantum ad Salios illam pertinere, hi autem portio duntaxat fuerint Francorum integri populi. Tertium, quoniam Otto Frisingensis de Lege Salica scribat l. 4. Chr. cap. 32. *Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur.*

Verum enimvero Eginhartus non nisi de duabus diverſisque

versisque unius Salicæ legis editionibus loquitur. Quod perspicere est ex ijs quæ subjungit, Carolum nempe voluisse quidem omnia emendare & *discrepantia unire*, *pauca* tamen duntaxat *Capitula Legibus addidisse*. Illa autem addita soli Legi Salicæ hodieque superant. Et vero nunc etiam licet multum diversitatis deprehendere inter editiones binas Legis Salicæ, Heroldinam & quam post Pithœum Lindenbrogius deprompsit.

Salicam porro Legem à Salijs nomen mutuatam, non est perinde certum. Et vero Otto Frisingensis eumque secutus Conradus testantur, credi illud nomen à Salegasto legislatore profectum esse: quod tamen fateor mihi non fit probabile. Salegastus enim nõ nisi quatuor Legislatorum fuit minimus: nec hoc quisquam antiquior prodidit. Alij Salicum illud cognomentum derivant à voce antiqua Germanica Sale: quæ significet aulam. Hinc etiamnum dici Saalbuch librum in quo bona aulæ sint consignata: & Saalguth/bonum aulicum. At vero vox Saal Germanicè non aulam sed spacioſum aliquod atrium sive conclave notat. Nec quivis libri in quibus aulæ bona consignantur Saalbücher aut quævis aulæ prædia Saalgüter appellantur. [illegible] Saal sit aula quid hoc ad legem Salicam, quæ [illegible]ica plane nihil facit, sed ad communis humanæ [illegible]e varias injurias? Igitur mihi quidem perquam videtur verosimile, Salicæ legis nomen à Salijs esse: Salios autem olim dictos omnes Francos. Nec enim verba illa Ammiani de Juliano, *quod primos omnium petierit Francos quos consuetudo Salios appellat*, de illa parte Francorum accipio ut fit à multis, sed universim de Francis omnibus: hos consuetudinem Salios appellasse. Confirmor, quod hosce Salios & hanc partem Francorum Julianus ipse in Epistola ad Athenienses scribat, fuisse μοῖραν τοῦ Σαλίων ἔθνους. Eoque non moveor illo Zosimi: τὸ Σαλίων ἔθνος, φεύγων

Φράγκων ἀποίμοιεγν: cum fortassis & hîc sit legendum: τὸ ἔθνος Σαλίων Φράγκων ἀποίμοιεγν. Maximè huc inclinare me facit, quod, ceu ante probavi, omnes in universum Franci originarii, ubi etiam cunque vixerint, diu quoq; post Salici audierint. Nec tamen significationem illius appellationis ausim docere: imò ignorari illam abs me, ultro fateor. Trahor tamen ut pene credam, libertatem indicari perinde ut Franci cognomento. Enimvero ut olim *terra Salica*, ita etiam hodie in Germania passim audiunt Saalfreygûter (imperitè enim nonnulli Sattelfrey vocant) prædia à servitutibus & oneribus quibusvis immunia. Apud Marcolphum *Form. 164.* sunt *bene Franci Salici*, homines vere liberi, & non obstricti præstandis servitiis. Et hodie Saalbûcher sive libri Salici audiunt libri censuales bonorum liberorum Principis. Penè inquam ita credo: cùm nemine super hac re contendere certus.

Quod ex Ottone Frisingensi allatum est, nullius est roboris. Nec enim ille affirmavit aliud quidquam, quam suæ adhuc ætate, nobilissimos Francorum Lege Salica usos. In populo scilicet Francico jam obsoleverat tum lex illa Salica: nobilissimi tamen quique Francicæ prosapiæ illam adhuc observabant. Et vero hoc etiam alia docent istius ævi monumenta. Vnde jam etiam hoc discimus sensim Legis illius Salicæ vim exspirasse. Nec vero in Germania quidem post seculum duodecimum (quo vixit Otto) ullum observatæ illius Legis hactenus ego deprehendi vestigium.

Quæ primam quidem igitur Salicæ legis originem attinent omnia sic satis prolixe persecuti sumus. Observandum vero est, hodie primam Legis illius Salicæ ἔκδοσιν nusquam forte amplius reperiri. Enimvero omnium antiquissima nunc est illa quæ à Joanne Basilio Heroldo ex codicibus Fuldensibus producta est. Et tamen jam Regum illa & Sylvæ Carbona-

bonariæ Belgii, & Ligeris Galliæ Celticæ fluvii mentionẽ facit. Prologus quoq; ejus diserte affirmat, *quicquid in Pacto* (primo videlicet) *habebatur minus idoneum per Reges Clodoveum Childebertũ & Clotarium fuisse lucidius emendatum & procuratum.* Ex quo simul manifestum est, hanc ἔκδοσιν non plene paganam esse quod voluit Chifletius & Wendelinus: eoque & basilicas, quarum ibi fit mentio, non de monumentis sepulchralibus sed sacris ædibus tutò accipi posse.

Fortassis vero fuerit haud absre, nonnihil dilucidius loqui de ipsa illa primi Pacti emendatione. Igitur legem Salicam insequutis temporibus Franci multum auxerunt, ex parte & emendaverunt. Autor præfationis primæ in hæc verba loquitur: *At ubi Deo favente Rex Francorum Chlodovæus florens, & pulcher, & inclytus, primus recepit Catholicum baptismum, & deinde Childebertus & Clotharius in culmen regale pervenere, quicquid in Pacto habebatur minus idoneum, per illos fuit lucidius emendatum, & sanctiùs decretum.* Is Chlodovæus omninò est Chlodovæus magnus, qui victoriâ ex Alemannis ad Tolbiacum parta Christianismo est initiatus anno circiter ccccxxciv. Childebertus autem & Chlotharius fortè sunt duo filii majores natu Chlodovæi, quorum ille Parisiis hic Suessionibus regiam sedem collocavit, alter Celticæ alter Belgicæ Galliæ imperans. Pene tamen credideris, intelligi potius Childebertum Austrasiæ regem Sigeberti filium, qui præfuit rebus illius provinciæ ab anno DLXXVII ad DXCVII. Nam quæ Salicæ legi subjunguntur decreta Childeberti regis, conscripta sunt Coloniæ, & lata partim Trajecti partim Atiniaci: quæ loca ad regnum Austrasiæ pertinent, quod tum temporis non in ditione Childeberti illius Clodovæi magni filii, sed ejus fratris Theodorici fuit. Quæ tamen his decretis adduntur, Clotharium appellant germanum Childeberti: mox etiam sequuntur quædam communi consensu Childeberti & Clotharii lata: in-

ta: inter Childebertum autem Sigeberti filium & Clotharium ſecundum nunquam ita convenit, neq; eâ ætate fuit tum Clotharius ille, ut cum Childeberto potuerit de legum negotio conſultare: neque Childebertus huic Chlotario frater ſed patruelis fuit. Taceo, auctorem præfationis ſupra laudatæ ita Chlodovæo ſubjungere Childebertum & Clotharium, quaſi proximè ſucceſſerint. Vt omninò illa adjectanea Salicæ Legis ſint profecta ab illis fratribus natu majoribus, Chlodovæi magni filiis, ſed demum extincta jam poſteritate Theoderici Auſtraſiæ regis, adeoque poſt annum DLV: quo ad binos illos fratres Childebertum & Clotarium regnum omne Francorum pervenit, mox unus Clotharius omnia occupavit. Forte verò & Theodoricus ejuſdem Chlodovæi filius nonnulla Salicæ legi addidit: ut enim mox audiemus, etiam ille dicitur legem Francorum conſcripſiſſe, quo nomine, κατ' ἐξοχὴν appellari olim ſolita eſt Lex Salica. Verùm iſta Theodoriciana (ſi qua eſt) legis Salicæ editio, hactenus non prodiit in lucem.

Tanti autem olim in omni gente Francica fuit Lex Salica pretii, ut hodieque ſolo illius prætextu fœminæ à regni Francici ſucceſſione excludantur. Verba legis ſunt *tit. LXII. De terrâ Salicâ nulla portio hæreditatis mulieri veniat: Sed ad virilem ſexum tota terræ hæreditas perveniat.* Non loquitur illa quidem de regni negotiis, aut regiâ ſucceſſione, ſed de re agrariâ, nec olim juxta illius legis normam regum Francicorũ ſucceſſio inſtituta fuit, etiam ad illa nihilominus denique admota eſt, quum de regiâ ſucceſſione ingens illa lis agitaretur inter Eduardum Anglum & Philippum Valeſium. Quæ tamen controverſia rectius potuiſſet decidi perpetuo uſu regni illius, quo ſemper à ſucceſſione regiâ excluſæ ſunt fœminæ, quàm iſtâ lege Salicâ: ut rectè monet Franciſcus Hottomannus *Francogall. cap. IIX.* Verùm hoc obiter.

Cæterùm conferentibus legem Salicâm cum Wisigothicâ, fatendum omninò venit; illam ut sermonis Latini puritate, ita & sententiarum æquitate & gravitate ab hâc longo intervallo superari. In decretis tamen Childeberti multa satis rigidè proposita, qualia sunt de cædis & furti pœnis, quæ cum hactenus antiquo Germanico more fuissent pecuniariæ, imposterum capitales esse jubentur.

CAPVT IIX.

De Francorum Regno Austrasico, & Orientali.

QVemadmodum autem sibimetipsis leges scriptas tandem dederunt Franci, ita & paulatim earum usum in populos Germaniæ á se devictos introduxerunt. In illorum autem numero primi fuere Alemanni & Bajoarii, á Chlodovæo magno circa annum D sub jugum missi. Succesſere in eandem fortunam Thuringi viginti quatuor circiter annis pòst, Hermenfredo rege felici scelere interemto á Theodorico Chlodovæi filio quarto. Huic obtigerat á patris obitu regenda imperii Francici, per omnem Galliam & latissimas quasdam Germaniæ provincias jam diffusi, pars orientalior, cujus illud quod inter Rhenum & Mosam, ut Aimoinum nunc sequamur, interjacet, Austrasia vel Austria semigermanicâ voce tum appellatum. Semigermanica dico: neque enim ab austro id nomen, sed à Germanico *Oſt*, quod antiquis Germanis per diphthongum **auſt** fuit pronunciatum. Vnde illius ævi scriptoribu Austrasia vel Austria rectè audit Latinè, *regni orientalis* illa pars: quibus *regnũ occidentale* est, omne quod Francici juris fuit per Galliam Celticã. Aliter tamen acceptis vocabulis, atque cum Francia Occidentalis dicta est omnis Francorum ditio illa Gallicana quæ trans Mosam est, Orientalis autem eorundem ditio Germanica

nica cis Rhenum, Media regnum Lotharingicum. Superat hodieque, si nonnullis credimus, utriusque vocabuli ab antiquâ illâ Imperii Francici divisione orti vestigium, in Neustria Galliæ, & Austriâ seu Osterreich Germaniæ. Illa voce detortâ ex Germanico Westerreich: hâc etiamnum inter Germanos integrâ, sed vera significatione pene utrobivis obliteratâ. Ast longe est verius Austriam nostrâ Germanicam esse ita dictâ, non quòd Franciæ sed Bavariæ sit pars orientalis. Certè utraque provincia non nisi exigua portio, illa quidem Francorum regni occidentalis, hæc eorundem regni orientalis est; neutra olim simpliciter vel Westrasia vel Austrasia aut Austria appellata. Hinc sanè Marchiæ aut Marchionatus titulus Austriæ nostræ semper olim adjunctus: quòd nimirum sive Bajoarici Ducatus sive regni Francici Orientalis limitanea provincia esset contra Pannoniam, ejusque illâ ætate incolas Avaros, quibus Hungari successerunt. *Marchia Orientalis* appellationem habet, teste Ottone de S. Blasio *in additionib. ad l. VII. Frisingensis cap. VI.* Qui Marchiæ titulus post in Ducatum & postremò Archiducatus dignitatem commutatus est. Nec verò olim soli Franci, sed & Langobardi in Italiâ Austriam suam & Neustriam habuerunt. Liquet id ex procœmiis legum Luitprandi & Ratchisi Langobardorum regum, quæ infrà recitabuntur: ut aliis testimoniis non sit opus.

Cæterum de Francorum regno Austrasico non absre fuerit audire, quæ etiam Christophorus Brovverus annotavit Historiæ Trevirensis *lib. V.* Qualia illa inseruit præclaro & nondum ex merito æstimati operis sui volumini sexto Joannes Philippus Vorburgius *pag. 124.* Nec enim mihi hactenus licuit desideratam Brovveri Historiam ipsam inspicere, cum etiam media sui parte adhuc mutila prohibeatur porrò publicari ab iis, quorum interest ne manibus promiscuè versetur

tur rebus ſuis non ſatis forte aptũ veritatis monumentũ. *Galliam*, inquit Brovverus, *Transalpinam Franci, poſtquam Clodovæi auſpiciis armisq; pene totam ſubjugarunt, à cœlorum ordinibus ventusq; ſumptis idoneis ex idiomate ſuo vocabulis, bipartito ſecuere. Poſterior enim illius quæ ſolem cadentem aſpiciebat Neuſtria ſive Weſtria, partem quæ vergebat in orientem æſtivum ſecundum Rheni flumen Auſtria ſive Auſtraſia appellata fuit. Conſtat uſus antiquitas ex teſtamento quod extat in beati Remigij codicillis: ubi poſſeſſiones Eccleſiæ in Auſtria ſive Thuringia locatas, & Epiſcopos Neuſtriæ à Germaniæ Galliæq; diverſos exprimit. Porro Auſtraſiæ voci notionem haud eam certe ſubjectam, quam vulgus ab Auſtro vel Meridie potius arripit, doceant antiquiorum Francicarum ſcriptores, qui incolas Auſtraſiæ modo Francos Orientales, modo Galliæ inferioris reſpectu Superiores dixere. Auſtraſiæ verò limites, etſi ſucceſſionum variante ſorte, perſæpè, jam contracti anguſtius, jam ſparſi in longinqua fuſius, exordio ſuo vacillarint: intra vagam tamen illum & malè coërcitum ambitum, quamdiu quidem regnum incolume ſtetit, ea terrarum regio nomen id obtinuit, quæ Ciſrhenanæ Germaniæ Lotharingiæ atque Belgicæ Campaniæq; Remenſis nominibus hodie non eſt ignota. Auſtraſiam ergò à Pariſiorum regno Matrona dividebat ad occidentem. Ab oriente terminus ejus Rhenus, donec Thuringia & Alemannia quoq; in Auſtraſiorum nomen conceſſere. Cætera parte verſus Meridiem objecta Burgundia finiebatur. Et fuit inde tempus, cum Auſtraſiæ quoque regnum Alemanniæ nomen tulit. Vnde poſteris, ab Alſatijs ad Oceanum uſque Rheni fluminis acolas, Alemannos & inferæ Germaniæ populos eoſdem vocitare mos fuit. Reſtrictior itaque in finiendo tribuendoq; ſpatio Aimoinus: cæteroqui deſignator cui libenter concedamus. Galliæ namque totius regionem partitus ſedes illi duas modò Francorum auctoritate tribuit: illam quæ ſeptentrionem verſus excurrens Moſam inter & Rhenum extenditur Auſtriam; quæ vero à Moſa Ligerim appetit Neuſtriam appellans. Aquitanis interim & Burgundionibus in hanc ſortitionem minime venientibus.* Hæc omnia Brovverus. CA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [60] - 38
PUBLIC DOMAIN

CAPVT IX.

De Legibus Alemannicis & Bajoaricis Francorum.

VErum hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad Theodoricum redeamus Chlodovæi filium, qui primus seorsim Austrasiæ, collocatâ Metis regiâ sede, imperavit. Ab hoc primùm videntur profluxisse Leges Alemannicæ & Bajoaricæ, quas hodieque habemus. Hic enim primus videtur victis illis à patre Chlodovæo populis leges dedisse, quas post Childebertus, (qui forte est Sigeberti filius itidem Austrasiæ Rex) & Clotharius, (qui & ipse forte est Chlotharius II & anno DCXIV Austrasiæ regnum occupavit) Dagobertus denique (Clotharii fortè II filius) & locupletarunt & correxerunt. Sanè hæc quatuor regum, ut harum legum latorum, nomina recitantur ab auctore præfationis legibus Bajoaricis præfixæ. Nec vero absimile est, eos, quos modò dixi, significari. Certò tamen id ipsum haud asseveraverim. Fortè enim Theodericus est ille, qui ex monacho factus Rex totius Francici imperii, Orientalis & Occidentalis, circa annum DCLXXIX; Childebertus est filius hujus Theoderici, qui post fratrem cœpit Franciæ rebus præesse anno DCXCVII, ut Dagobertus hujus successor. Prius tamen malim asserere, si quid sit asseverandum, præsertim quoniam consentit non tantum Viterbiensis sed etiam Otto Frisingensis *l.5.c.9.* quodq; posteriores illi Reges haut magnæ fuerint authoritatis, prævalente paulatim Majorum domus auctoritate, quodq; inter Childebertũ & Dagobertum illos nullus sit Clotharius. Et vero Childebertus forte est frater Theodorici, qui extincto Theoderici nepote Austrasiam occupavit; & Clotharius itidem frater, ad quem unum felici quidem improbo tamen scelere universum denique Francorum regnum devenit.

Cæte-

Cæterùm quid ab his ſive illis regibus circa iſtas leges & Bajoaricas & Alemannicas ſit præſtitum, nemo docet præter auctorem illius antè laudati prologi. Quare operæ fuerit pretium illum hîc audire, ſaltim prout typis eſt editus: nam plenius longè omnia habet legum iſtarum Bajoaricarum ms. libellus, qui exſtat in Bibliotheca Academiæ Juliæ. *Theodoricus Rex Francorum cùm eſſet Catalaunis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante juſſit conſcribere legem Francorum & Alamannorum & Bajovariorum unicuiq; genti quæ in ejus poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam. Addidit quæ addenda erant, & improviſa & incompoſita reſecavit, & quæ erant ſecundum conſuetudinem paganorum mutavit ſecundum legem Chriſtianorum. Et quicquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc Childebertus Rex inchoavit, ſed Clotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros illuſtres, Claudium, Chadum, Indomagum, & Agilulfum renovavit, & omnia vetera legum in melius tranſtulit, & unicuiq; genti ſcripta tradidit, quæ uſq; hodie perſeverant.* Additur: *Hoc decretum eſt apud Regem & principes ejus, & apud cunctum populum Chriſtianum, qui infra regnum Mervvungorum conſiſtunt.* Hæc Prologus.

Legi Alamannicæ porrò hæc præfixa ſunt: *Incipit lex Alamannorum, quæ temporibus Chlotarii regis unà cum Principibus ſuis, id ſunt XXXIII Epiſcopis, & XXXIV Ducibus, & LXXII Comitibus, vel cætero populo, conſtituta eſt.* Vnde ſimul colligere eſt, non unius regis, ſed omnium procerum, totiuſque Francici populi autoritate leges illas latas, adeoque legislatoriam poteſtatem non penes unum Regem fuiſſe, ſed omnem Francorum populum.

Quin imò ultimis Mervvungorum familiæ temporibus, in tantum decrevit regia dignitas, ut & Duces ſuapte autoritate, inconſultis Regibus, leges condiderint. Ejus notæ eſt

DECRE-

DECRETVM TASSILONIS Ducis Bajuvariorum, quod legi illius gentis ſubjungitur. Initium certè illius decreti regiam aliquam autoritatem præſeſe fert. Niſi id factum dixeris ſingulari quodam Ducum illorum jure, utpote quum Taſsilonem alium antiquiorem à Childeberto Rege Francorum apud Bajoariam regem ordinatum ſcribat *P. VVarnef. l. IV cap. IIX.* Recitabimus autem ipſa Edicti verba: quo ſimul liqueat & tempus & locus illius Decreti, quod partem antiqui Bajoarici Juris conſtituit. *Regnante in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto, in anno verò XXII regni religioſiſſimi ducis Taſſilonis gentis Bajoariorum, ſub die Conſulum, quod erat II id. Octobr. atq; anno ab incarnatione Dominica DCCLXII Indict. X. divinâ præflatus inſpiratione, ut omne regni ſui prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolvingam nuncupatam, ut ibidem tam regulare ordinaret in ſancto habitu cœnobium virorum & puellarum, quàm Epiſcopales moderaretur obſequias; inſuper gentis ſuæ inſtitutiones legum per primates imperii, univerſâ conſentiente multitudine, quæ reperit diuturnitate vitiata, & quæ videbantur abſtrahenda evelleret, & quæ decretis placerent componenda, inſtitueret.* Hæc in Decreto illo. Annus autem iſte Chriſti notatus quintus eſt Caroli Magni, qui ſæpius rebellem tandemque ſibi deditum Taſſilonem hunc in monaſterium detruſit, Ducum dignitate ex Bajoaria prorſus tum è medio ſublata: quod latè narrant Hiſtoriæ Francicæ.

Ad Leges porro ipſas Alemannicas & Bajoaricas quod attinet, magna earum in exemplaribus eſt varietas, quod ipſum & Lindenbrogio eſt notatum. Multum profecto differunt à Lindenbrogiana editione ipsâ membranæ manuſcriptæ optimæ notæ quæ ſuperſunt in Academiæ noſtræ Juliæ Bibliothecâ.

CAPVT X.

De Francorum Legibus Ripuariis.

CIrca eadem autem tempora, quo Bajoaricæ & Alemannicæ, etiam RIPVARIÆ leges videntur latæ: certè parem antiquitatem & scribendi ratio & res ipsæ passim præ se ferunt.

Sunt qui putent, hanc esse Legem illam alteram Francorum, quam innuit Eginhartus scribens; *Franci duas habent leges plurimis in locis valdè diversas.* Verum me quidem dubium facit: Primò quòd Ripuarii in his legibus semper à Francis distinguantur; Secundò quòd diserte Franci inter Ripuarios advenæ dicantur, *ut titulo XXXVI. l.1. Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit*; Tertiò quòd Franci in Ripuario pago suis legibus debeant judicari, *Tit. XXXI. l.III. Hoc autem constituimus, ut infra pagum Ripuarium tam Franci, Burgundiones, Alemanni, seu de quacunq; natione commoratus fuerit, in judicio interpellatus, sicut lex loci ubi natus fuit sic respondeat.* Item *l. IV. Quod si convictus fuerit, secundum legem propriam, non secundum Ripuariam, damnum sustineat.* Scilicet Ripuarii dicti olim Cisrhenani populi Rheno vicini, si non omnes, saltem qui inter Rhenum Mosam & Mosellam, aut Germaniam secundam Romanis dictam incoluerunt; quos ab antiquissimis usque temporibus Germanicæ ut originis ita linguæ fuisse constat, præsertim Romanorum ætate novis subinde colonis è Germaniâ Transrhenanâ hic collocatis, quod aliàs demonstratur. Lex itaque hæc condita videtur in usum priscorum incolarum Ripuariæ terræ, jam Francis subditæ.

Vnde id Ripuariorum nomen, mihi quidem haud certo liquet. Neque enim tuto dixerim cum quam multis, Ripuarios dictos â ripis fluminum ad quas habitarunt: Riparii enim

nim potius fuissent appellati, quomodo & illa quæ inter Savum & Dravum est Pannonia dicta olim Ripariensis: jam autem non Ripuarii tantum sed & Ribuarii promiscuè audiunt. Ad hoc bona Ripuariæ terræ pars à ripis fluminum remotior fuit. Vt verosimilius sit, nomen esse Germanicum, illis temporibus cùm multis aliis natum, vel certè ab imperito vulgo male deflexum ab Latino Ripariis. Nam & hoc verisimilius est quam illud I. I. Chiffletii qui in *Vindiciis Hispanicis p. 44.* non dubitavit adserere, ut â Mæno Moguntiacos, ab Elello Elsatios, ab Heina Heinonios, ita à Rura flumine dictos Ribuarios.

CAPVT XI.

De Legibus Regum Langobardorum.

HÆ leges scriptæ in Germanicis gentibus Transalpinis ante Carolum Magnum obtinuere. Cis Alpes verò, post Ostrogothos, etiam Langobardi, posteaquam à Narsete invitati Italiam cœperunt incolere, leges conscripsere. Est & illa gens Germanica, transque Albim ætate Taciti vixit, præcipuâ nobilitate & virtute.

Cæterum leges primùm promulgarunt Rege Rotharî anno septuagesimo sui in Italiâ regni, hoc est, anno Christî circiter DCXL. Disertè Paulus Warnefredus *Hist. Longobard. l. IV. c. XLIX. Hic Rotharis Rex Langobardorum leges, quas sola memoria & usu tenebant, scriptorum serie composuit, codicemq; ipsum Edictum appellari fecit. Erat autem jam, ex quo Langobardi in Italiam venerant, annus septuagesimus.* Ex Warnefredo habet Hermannus Contractus illa: *Anno DCXXXVII. Per hæc tempora Rotharis Rex Langobardorum, quamvis Arianus, justitiæ tamen amator, leges Langobardorum scripsit.* Sanè post elogium illud

Rotharis idem Warnefredus *l. 1. c. XXI* cum de Wichone rege quædam narraſſet, addit: *Hoc ſi quis mendacium & non rei exiſtimat veritatem, relegat prologum Edicti, quem Rex Rotharis de Longobardorum legibus compoſuit.* Carolus Sigonius notat *l. II. de regno Italiæ*, tabulas Edicti promulgatas Papiæ anno DC XLIII die x Kal. Decembris. Recitat idem partem procemii, ex quo pauca hæc & nos apponemus: *Incipit Edictum quod renovavi cum primatibus meis Iudicibus, ego in Dei nomine Rotharis Rex, vir excellentiſſimus, ſeptimus decimus Rex gentis Longobardarum, anno regni mei, Deo propitio, octavo, ætatis q; meæ tricesimo octavo, indictione ſecunda, & poſt adventum in provinciam Italiæ Langobardorum, ex quo Alboinus tum temporis Rex procedente divinâ clementiâ advenit, anno ſeptuageſimo ſexto, feliciter, datum Ticini in Palatio.* Eſt autem Edicti vox fortaſſis (ſunt enim & Juſtiniani Edicta) uſurpata, quod veteres Italiæ incolæ Romano quondam Imperio ſubditi, quorum linguâ Langobardis fuit utendum, reſpexerint ad morem antiquum Prætorum Romanorum, quorum erat Edicta promulgare, Legum nomine majorem vim atque auctoritatem poſtulante. Quaſi nimirum Langobardorum regum non ea eſſet majeſtas ut Cæſarum more leges & conſtitutiones poſſent ferre, ſed Præturæ tantum auctoritate fungerentur.

Poſt Rotharim addidit quædam illi Edicto Grimoaldus Rex. Paulus Warnefredus *l. V. c. XXXIII. Hic Edicto, quod Rotharis Rex compoſuerat, aliqua quoque capitula legis, quæ ei utilia viſa ſunt, adiecit.* Id anno DCLXVIII factum prodit Sigonius cum hoc procœmio: *Superiore pagina huius Edicti legitur, quod adhuc annuente Domino memorare poterimus, de ſingulis cauſis, quæ præſenti non eſſent adfictæ, in hoc Edicto adiungere debeamus, ita ut cauſæ, quæ indicatæ & finitæ ſunt, non revolvantur. Ideo ego Grimoaldus vir excellentiſſimus, Rex gentis Longobardorum, anno, Deo propitio, ſexto regni mei, menſe Iulio, Indictione undecimâ,*

per

per suggestionem Iudicum, omniumq; consensum, quæ illis dura & impia in hoc Edicto visa sunt, ad meliorem sensum revocare prævidimus.

Luitprandus quoque Rex eidem Warnefridi filio *l. VI. c. LIX*, dicitur *legum augmentator*. Carolus Sigonius de rege illo in hæc verba scribit l. III de regno Italiæ. *Omnes ex regni partibus Iudices Longobardos in regiam evocavit, eosque de novo jure constituendo consuluit. Itaque re sequenti anno confectâ, novæ leges ad antiquum Rotharis Edictum adiunctæ, Indictione XI pridie Kalendas Martias divulgatæ sunt, anno adhuc illus primo, ut ipse in earum proœmio scripsit. RECOLIMVS, quoniam robustissimus decessor noster, atque eminentissimus Rotharis rex, sicut ipse est inscriptis effatus suis, superius in Longobardis Edictum renovavit atque instituit, ubi & prudenter inserere curavit dicens, ut quisque Longobardorum Princeps ejus successor si superfluum quid ibi reperiret, ex eo sapienter auferret, & quod minus inveniret Deo adspirante adjiceret. Post hunc enim gloriosissimus Grimoald rex, quæ illi secundum Dominum placita fuerunt, minuit & ampliavit. Cujus nos normam secuti, divinitus, ut credimus, inspirati, simili modo ea, quæ juxta Dei legem nobis congrua apparuerunt, subtrahere decrevimus, sicuti & in præsenti pagina scribere iussimus. Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine Luitprand, vir Excellentissimus, Christianus & Catholicus Deo dilectæ gentis Longobardorum Rex, anno, Deo propitio, regni mei primo, pridie Kal. Martias, indictione undecimâ, una cum omnibus Iudicibus de Austriæ & Neustriæ partibus, & de Tusciæ finibus, cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto populo assistente, hæc nobis iuxta Dei timorem atque amorem sancta comparuerunt & placuerunt.*

De Rotharis successoribus illis in hæc verba loquitur doctissimus Lindenbrogius *in prolegom: ad Codic. leg. antiquarum. ROTHARIM secutus est Grimoaldus Rex, & sexto regni sui anno, mense Iulio, Indictione XII, quæ in priore Edicto emendanda visa fuerunt, per suggestionem Iudicum correxit & renovavit. Hunc Luitprandus, qui & ipse statim ab anno regni sui primo usque ad annum*

XXII, die Kal. Mart. Indict. III, in Edicti pagina multo plura, quàm priores duo, adjunxit; quæ in MSS. Cod. suis ephigraphis distincta leguntur. Hæc Lindenbrogius.

Post hos nonnulla Ratchisus & Aistulphus edixerunt. Verùm hæc regum illorum Edicta, an seorsim sint integra edita, ignoro. Autor tamen Codicis Longobardici unicuivis leges suas appositis nominibus adscripsit: ut etiam inde liceat intelligere, quid à quolibet illorum Regum sit profectum.

Do Ratchiso aut Ratchi Sigonius ita scribit: *Postero verò anno, is erat DCCXLV, ut jus in regno sanctissimè coleretur, adhibitis omnibus Longobardorum ex Austria Neustriaque Iudicibus, leges veteres diligenter perpendit, quæque correctione egere judicavit, ea novis legibus latis ex eorum sententia emendavit, atque has sequenti anno Kalendis Martiis, anno regni sui secundo, indictione quarta decima, promulgavit, cum hoc proœmio.* QVONIAM *glorioſissimus & præcelsus Rotharis hujus Longobardorum gentis Princeps, sibi Deo inspirante leges inseruit atque innovavit, ut omnes intentiones & dissensiones malorum regali studio resecaret; & quidem statuit, ut cuncti successores eius, quæ sibi, Deo inspirante, aspera & dura cognoscerent, illa ad mollitiem & pietatis adducerent gratiam. Deinde successor eius Grimoald præcellentissimus rex, dum studiosè ac vigilanter singulorum considerans necessitates, quæ illis melius placuere, ad cultum salutis augendo minuendoq; adduxit. Post hunc verò glorioſissimus, & orthodoxæ fidei cultor, atque huius gentis gubernator, & noster per Dei omnipotentiam nutritor Luitprand, eximius ac præcelsus ac sapientissimus Princeps, persistens in Dei operibus & quotidianis vigiliis, omni potentiâ & sobrietate ornatus, sicuti à Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia dicentem reliquit, & in Edicti pagina cum suis Longobardis Iudicibus confirmavit. Idcircò per redemptoris nostri providentiam ego divino auxilio fretus Ratchis præcellentissimus & eximius Princeps,*

anno

anno regni mei ſecundo, die Kal. Martiarum, indictione quarta decima, dum cum gentis noſtræ, id eſt Longobardorum Iudicibus, tam de Auſtriæ quam de Tuſciæ vel Neuſtriæ finibus, univerſa quæ à deceſſoribus noſtris ſtatuta ſunt, ſolicitè conſideraſſem, quædam ibi iuſta, & quædam purganda cognovimus. De Aiſtulpho idem ad annum DCCLIV: *Interim Aiſtulfus omni quaſi belli cura ſolutus, regno legibus cumulando vacavit. Itaque Kal. Martiis, Indictione VII leges ad Edictum adiectas cum hoc proœmio divulgavit. DEI omnipotentis auxilio ego Aiſtulfus præcellentiſſimus Catholicus Longobardorum rex, præceſſorum noſtrorum omnia inſtituta perpendens, quædam illi reperimus non adnexa, de quibus maximus error noſtrorum Iudices addenda iudicia volebant. Ideo anno feliciſſimi regni noſtri in Dei nomine quinto in die Kal. Martiarum, indictione ſeptimâ, convocatis ex diverſis partibus regni noſtri pertinentibus Iudicibus, communi conſilio in Edicti pagina affini ſtatuimus, quæ præcellentiæ noſtræ ſecundum Dominum iuſta comparuerunt.*

Vbi obſervandum, etſi Regibus illis magna Italiæ pars fuerit ſubdita, non tamen Italos indigenas coactos Ius Longobardicum obſervare, ſed relictos priſcis legibus Romanis, utut Longobardicæ Romanis fuerint prælatæ. Significatur hoc lege Luitprandi Regis, quæ extat libro 1 Cod. Longobardici tit. XXIX l. II. *De Scribis hoc proſpeximus, ut qui chartam ſcripſerit ſive ad legem Longobardorum, quæ aptiſſima & penè omnibis nota eſt, ſive ad legem Romanorum, non aliter faciant, niſi quomodo in ipſis legibus continetur. Nam contra legem Longobardorum aut Romanorum non ſcribant. Quod ſi neſciverint, interrogent alios. Si non potuerint ipſas leges plene ſcire non ſcribant chartas ipſas.* Idem Luitprandus ſanxit, ut Vxores lege mariti vivant, Romani ſcilicet ſecundum legem Romanam, Longobardi ſecundum Longobardorum. Sanctio habetur *tit. II libri II Cod. Longob.* Huc fortaſſis ſpectant illa, quæ frequenter occurrunt: *Si quis Longobardus*: item: *qui*

vivis

ſecundum legem Longobardicam. Sed quænam fuerint illæ Romanæ leges infrà exponemus.

CAPVT XII.

De Caroli Magni additamentis ad Leges Salicas, Bajoaricas, & Langobardicas.

PErvenimus ad tempora Caroli Magni : qui primus omnem penè Germaniam cum Galliâ & Italiâ imperio continuit. De illo Eginhartus rerum Caroli callentiſſimus : *Poſt ſuſceptum Imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi ſui* (h. e. Francici) *deeſſe (nam Franci duas habent leges plurimis in locis valdè diverſas) cogitavit, quæ deerant addere & diſcrepantia unire ; prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in ijs nihil aliud ab eo factum eſt, quàm quod pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub eius ditione erant, (* præter Francos ſcilicet) *iura, quæ ſcripta non erant, deſcribere, ac literis mandari fecit.* Hinc ſub finem legis Salicæ ſcribitur : *Incipiunt capitula, quæ ad legem Salicam Dominus Auguſtus Karolus anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCIII, Imperij verò anno III proponendo addere iuſſit.* Illa additamenta, quantæ voluerit eſſe auctoritatis Carolus, liquet ex ijs, quæ Codic. Longobardici l. III. tit. XXXI, habentur. *Generaliter omnes admonemus, ut capitula quæ præterito anno legi Salicæ cum omnium conſenſu addenda eſſe cenſuimus, iam non ulterius capitula, ſed tantùm leges dicantur, imò pro lege Salicâ teneantur.* Ex quibus confirmatur id etiam quod ſupra docuimus, omnem Francorum Legem dictam Salicam, & illius binas fuiſſe editiones inter ſeſe differentes, quam diverſitatem tamen Carolus non ſuſtulerit. Atque adeo hinc eſſe quod hodieque multum adeo diverſa inter ſeſe ſint exempla Salicæ Legis, Heroldinum & Lindenbrogianum.

Poſt

Post Decretum Tassilonis legibus Bajoaricis sic additur: *Incipiunt capitula quæ Dominus Carolus Serenissimus Imperator ad legem Baioariorum addere iussit.*

Alemannicis & Ripuarijs legibus quidnam Carolus adjecerit, haud perinde constat. Namque in ijs Caroli nomen haud reperias. Feruntur tamen ejus nomine tabulæ, ex quibus colligas Caroli etiam circa has leges operam. Haud multò pòst illas adferemus.

Certius est, leges novas ad Edicta Longobardorum, quas quidem præsens tum usus desiderabat, ab illo adjunctas. Eæ leges, teste Carolo Sigonio *l. IV. de regno Italiæ*, adhuc Mutinæ leguntur, insertæ vero sunt Capitulari Lotharii Cæsaris cum hoc proœmio: *Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus Augustus; omnibus, Gastaldiis, seu cunctis reipubl. per provinciam Italiæ à nostrâ mansvetudine præpositis, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCI, Indictione IX, anno regni nostri in Francia XXXIII, in Italia XXIIX, Consulatus autem nostri primo. Cùm in Italiam propter utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, ac provinciarum dissonendarum venissemus, multæ atq; diversæ per urbes singulas ante conspectum nostrum quæstiones venerunt tam de ecclesiasticis quàm de publicis & privatis rebus, per ea quæ statim recitata ex Romanâ seu Longobardâ lege competenti sententiâ certamina sunt; quorum judicialis sententia à legislatoribus aut penitus omissa est, aut à posteris oblivioni tradita. Quocirca nos considerantes utilitatem nostram, & populi à Deo nobis concessi, ea quæ ab antecessoribus nostris regibus Italiæ in Edictis Legis Longobardicæ ab ipsis editæ prætermissa sunt, iuxta rerum & temporum considerationem addere curavimus; soliciti, ut necessaria quæ legi defuerant supplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, sed nostræ legis auctoritas prævaleret.* Hæc additamenta videtur significare Carolus epistolâ illâ, quam ad Pipinum filium Italiæ Regem perscriptam, ex libro legum

Francicarum (quo ille nomine fortè intelligit Capitulare Lotharij: sanè & ibi legitur) ad annum DCCCII Sigonius recitat his verbis: *Audivimus etiam, quod quædam Capitula, quæ in Lege scribi iussimus, per alia loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod nos nequaquam hanc causam per nosmetipsos conditam habemus, & ideo eam nolunt obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu valdè nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis Capitulis; & ideo tuam admonemus amabilem dilectionem, ut per universum regnum tibi à Deo commissum ea nota facias, & obedire atque implere præcipias.*

Non absimile quoque vero est, quod ab eodem Sigonio alibi proditur, Carolum legem etiam Salicam Italiæ intulisse. Novos enim colonos Francos, nusquam nisi suis legibus vivere hactenus assuetos, devicti à sese Langobardici regni statutis sese subiecisse, nemo crediderit. Quumque multò pòst in Italiâ Salicam legem constet obtinuisse, hoc initio cæpisse illam verisimile est.

Non tantum verò ipsemet Carolus, sed & Pipinus filius, quem pater regni Italici socium vivo sibi adsciverat, Legi Longobardicæ quædam addidit. Etenim illa, quæ Pipini nomine in codice Langobardico leguntur hujus sunt; qui perperam audit Imperator, cum non nisi regio titulo à patre fuerit insignitus.

CAPVT XIII.

De Saxonum, Frisiorum, & Thuringorum legibus jussu Caroli Magni conscriptis.

PRæter additamenta illa priscarum legum etiam prorsus nova tulit idem Carolus Magnus. Id audivimus modò dicentem ipsum Eginhartum. *Omnium nationum, quæ sub eius ditione*

ditione erant, jura quæ scripta non erant describi ac literis mandari fecit. Eas leges Germanicâ linguâ esse editas, ex sequioris ævi chronologis scribit Felix Faber Monachus Vlmensis *Historiæ Svevorum lib. 1. c. III. Dedit etiam Carolus Teutonicis quasdam leges in suo idiomate, quæ adhuc habentur.* Verùm hujusmodi leges Germanice à Carolo scriptas, nemo alius testatur, vel visas sibi, vel alibi supereſſe. Tum verò constat, nihil temerè Germanica lingua perscriptum illâ tempestate esse. Itaque hoc quidem tanquam fabulosum rejiciatur. At de Eginharti fide non est quod dubitemus.

Si verò Carolus omnibus gentibus subditis, quibus nullæ hactenus leges scriptæ fuerant, jura præscribi curavit, utique & Saxonibus & Frisijs scriptas leges illum dedisse, necessum est: quorum hos jam tùm Carolus Martellus avus ac Pipinus pater subegerant, illos ipsemet difficili ac longo bello domuerat. Neuter sanè populus adhuc liber suapte sponte leges conscripsit; utpote rudis etiamnum, & scribendi, saltem Latinè, imperitus. Non itaque ante Carolum Saxones quidem scriptis legibus potuerunt uti; nec de Frisiis quisquam id ipsum memorat.

Et quidem apud Saxones vetus & recepta fama est, legum à Carolo Magno conditarum. Epko Repkovius *Prologo & l. 1. art. 18. Speculi Saxonici* testatur id disertis verbis: vixit autem circa confinia seculi XII & XIII, ut infra ostendetur. Sæpe idem memorat Auctor Glossæ in Speculum illud. Qui non dubitat affirmare *ad Librum III tit. LXXXII*, leges Saxonibus à Carolo datas Saxenburgi, anno Christi DCCCX, Imperij anno decimo, die Februarij decimo; uti quidem habet editio Lipsiensis, anni XLI post millesimum quingentesimum. Cranzius enim legit *annum Imperij septimum*, auctoremque glossæ etiam παραχρονισμῷ ergò graviter increpat. Cæterum nisi aliunde nobis constaret de legibus Saxonum Carolinis, Ep-

Epkonis illius & Gloſſatoris fide haut profecto liceret id affirmare. Tanta enim illorum hominum eſt ἀνισορησία, & in putidiſſimis fabulis ſive comminiſcendis ſive credendis væcordia, ut nihil veteris quidem hiſtoriæ, non peregrinæ tantum, ſed ne Saxonicæ quidem, tutò ab illis liceat petere. Quod jam tum Alberto Cranzio, magni judicij viro, eſt notatum cum alibi, tum *Saxoniæ l. II. c. XXI.* Sanè ſi hâc in re fides habenda illis autoribus, credendum quoque fuerit Conſtantinum Magnum Saxonibus dediſſe leges: quod aſſeritur *in Proœmio Speculi*, at anile commentum eſt.

Cæterum Saxonibus leges datas à Carolo, non eſt quod dubitemus; multò minus, ut cum Crantzio *loco citato* negemus. Sane non abs re ſunt, quæ ille objicit: *quod diligentiſſimi ſcriptores illorum temporum nullam eius rei faciant mentionem, cùm minora multò plurima commemorent; quodque haud fuerit in populo barbaro illa civilitas, ut leges initiò requirerent, præter eas quæ univerſo orbi ſatis erant.* At ne requirentibus quidē præſcribere tamen leges Carolus potuit. Iamq; ſuprâ audivimus Eginharti verba de legibus, omnibus ſubditis populis à Carolo præſcriptis, quos inter primo penè loco fuere Saxones. Fortè liceat idem ipſius Caroli verbis docere. Fertur enim ejus conſtitutio de ſede & judicio regio Aquisgranenſi, his inter alia verbis utens: *Prout cunctis placuit prudentioribus Regni noſtri, Legem Saxonum, Noricorum, Svevorum, Francorum, Ribuariorum, Salicorum, ſicut mos & poteſtas Imperatorum eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub authoritate regiâ & Imperatoria ſtabilivi, non ex meâ adinventione vel corde prolatam, ſed communi conſilio à me renovatam & auctam in melius, ſicut patres & prædeceſſores mei feciſſe perhibentur &c.* Verum ego quidem non utar illo teſtimonio; quoniam tota illa conſtitutio admodum mihi ſuſpecta eſt, cùm ob alia, tum ob varias loquendi rationes ſeculo Carolino incognitas, certè

certè non usitatas. Imo totam fabulosam & commentitiam esse, aliàs liquido demonstrabimus.

Vt verò hoc certum, ita stultum est creditu, omnia illa, quæ Speculo Saxonico continentur usque *ad lib. III art. LXXIIX* á Carolo esse constituta, stultissimũ, illa omnia ab ipso Carolo edita esse; quæ tamen ab illius Speculi glossatore, & nonnullis interpretibus asseruntur. Scilicet abundè constat, Epkone Repkovio auctore Codicem illum conscriptum quadringentis post Carolum annis; ipse autem ille Epko testatur, ante se neminem jus Saxonicum literis mandasse. Quod etsi omni ex parte verum non sit, docet tamen, illo demum tempore pleraque ista quidem, quæ ibi memorantur, Saxonum Iura scribi cœpisse, adeoque non ex monumentis antiquis Carolinis depromta esse, sed ex receptis moribus, quos fama tum in Carolum institutorem retulit. Taceo plurima, ad rempublicam cumprimis pertinentia, in Speculo isto reperiri, quæ longo demum post Carolum intervallo initium sumsisse, nemini rerum Imperii pauló peritiori ignotum est. Itaque, ut sint in illo Speculo nonnulla jam Caroli ævo usitata, omnia tamen eam vetustatem nequaquam præ se ferunt. Neque verò sequiori illâ ætate, omnis veteris historiæ imperitâ, insolens fuit multa & pueriliter fingere, & in Carolum ac Constantinum, magnos illos Cæsares, autores referre. Certè fabulosum quoque & commentitium est privilegium, quod pro libertate suâ, nescio quâ, ceu à Carolo latum Frisii mei circumferunt. Non fert meum institutum ineptias etiam illius anilis commenti prolixiore sermonè perstringere, estque jam tum eruditè contra Suffridum Petrum aliosq; nugatores Apologetico libello id factum ab Vbbone Emmio populari meo, viro longe clarissimo & prudentiæ eloquentiæque pereximio.

Ad leges SAXONVM ac Frisiorum verè Carolinas potiùs

potiùs pergendum. Et verò est hodieque in manibus Lex Frisiorum & Saxonum ab Ioanne Basilio Heroldo cum aliis primùm edita; utraque insignis antiquitatis, & disertè Francorum Reges dominos agnoscens. Hæ itaque potius videantur esse illæ, quas Carolus Magnus Frisiis & Saxonibus promulgavit. Certè fallitur Lindenbrogius, *harum legum & membranas & manus vetustatem Caroli Magni ætatem antecedere videri*, existimans. Quis enim usus Latinæ vel linguæ vel scripturæ saltem apud Saxones fuit ante Carolum? quis usus Christianæ religionis? quæ auctoritas regni Francorum? Tota verò hæc Saxonum Lex Latinè scripta est. De observatione feriarum Ecclesiasticarum & cultu Dei Christiano agitur *lege IIX & IX capitis secundi*. Lex prima *Capitis tertii* ita habet: *Qui in regnum vel in Regem Francorum, vel in filios eius, de morte consiliatus fuerit, capite punietur*. Præter illam vero legem in Saxonum usum esse & alia auctoritate Caroli constituta, vetant nos dubitare duo illa opuscula Romæ cis paucos annos V. Cl. Luca Holstenio curante edita. Alteri titulus: *Caroli Magni Capitulatio de partibus Saxoniæ*. Alteri *Capitulare Saxonum*. Debemus insigne hoc vetustatis Germanicæ monumentum industriæ Ferdinandi Furstenbergii, Germaniæ hodie Principum Episcoporum inusitati ornamenti, sive doctrinam sive virtutem videas: qui ex antiquissimo mss. Palatino Vaticanæ Bibliothecæ feliciter eruit. Capitula verò illa in id maxime condita esse, ut Saxones sensim Christianæ pietatis regulis adsuescerent, legentibus manifestum est.

Quæ autem Saxonum eadem penè ratio est FRISIORVM: utut jam paulo ante Caroli imperium cœperint in parte gentis illius, quæ inter Flevum scilicet & Lavicam habitabat, Christianæ pietatis initia. Certè Frisiorum illa Lex ejus est vetustatis, ut & Christianismi pariter, & superstitis adhuc idololatriæ, eximia vestigia exprimat. Christianismi qui-

quidem *lege prima capitis decimi quarti:* Idololatriæ *lege ultima, in Additionibus* quæ vocantur *Sapientum.* Posterius fortè meretur etiam hîc legi. *Qui fanum effregerit, & ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare, & in sabulo, quod accessus maris operiri solet, finduntur aures eius, & castratur, & immolatur Diis, quorum templa violavit.* Mirum autem sub regibus Christianis, & acerrimis Christianismi propagatoribus, tantum priscæ superstitioni fuisse indultum; verum indubiè licentia hæc non multò pòst desiit. Fortè etiam hæc lex aliundè irrepsit: dictio sanè est solito elegantior.

Apparet verò utramque legem & Saxonum & Frisiorum legentibus, *primùm* lata omnia non unius Caroli Regis auctoritate sed etiam populi adhibito consensu: *deinde* non mutatas á Francis (nisi fortè in paucis Christianæ religioni nimis adversis,) receptas populorum illorum consuetudines, sed tantum jura hactenus usitata jussu Caroli ruditer scripto esse comprehensa; quod Eginhartum etiam audivimus affirmantem. Fortè huc facit illud Saxonis anonymi, qui Arnolpho Imperatore vitam Caroli M. barbaris versibus descripsit, cujus editionem R. Reineccio debemus:

------ *Permissi legibus uti*
Saxones patriis.

Hinc certè illa in Saxonum lege *Capit. VI & IIX* differentia juris circa dotem & acquisita, juxta tres Saxoniæ populos Ostfalos Angrivarios & Westfalos. Pertinet eodem frequentissima illa in Lege Frisiorum cautio; quid tum obtinuerit inter Laubacham & Wiseram, inter Flehum & Laubacham, inter Fli vel Flehum & Sincfalam. Est autem Laubacha & Fli, Lavica amnis & sinus Flevus. In notis antiquis ad Adam. Bremens. n. 75. scribitur: *De Ripa* (Jutiæ urbe) *in Flandriam ad Cuicfal velificari potest diebus duobus & totidem noctibus: de Cuicfal ad Prol in Angliam &c.* hoc Cuicfal for-

fortassis est illud *Sincfal*, librariorum imperitia: adeoque terminus tum fuit Frisiæ contra Flandriam. Nec Vulemarus & Saxmundus, à quibus *Additamenta Sapientum*, quæ appellantur, sunt prodita, quidquam præter receptos Frisiorum mores in scripta transtulerunt; sive ipsi Frisii fuerint, sive Franci ad inquirendas rectiùs priscas Frisiorum consuetudines, post promulgatam primæ editionis legem, missi. Francos fuisse, præter dictionis flexum à Frisicis nominibus alienum, verosimile facit, quod ejusdem Volemari nomen in lege etiam Angliorum reperiatur.

Est autem & de illa ANGLIORVM nuncupata lege nonnihil dicendum. Nimirum in codice antiquarum Germanicarum legum ab Heroldo & Lindenbrogio edito, Lex aliqua hoc titulo invenitur: *Incipit lex Angliorum & VVerinorum, hoc est, Thuringorum*; constans capitibus XVII, & additamento Vulemari ad caput II. Verum Anglios & Werinos esse Thuringos haud temerè cuiquam persuadebitur. Apud Tacitum libro *de moribus Germanorum* junguntur quidem: *Angli & Varini, ut & Eudoses ac Nuithones.* Sed Anglos ex Cimbrica chersoneso constat in Britanniam migrasse, & *libro III Epistolarum* Theodorici Ostrogothorum regis apud Cassiodorum, Guarnorum, h. e. Varinorum Rex à Thuringorum Rege distinguitur. Neque, quod sciamus, alibi Angliorum & Varinorum nomine Thuringi significantur. Thuringorum verò nomen circa IV & V seculi Christiani confinia jam floruit: certè Francis jam olim tanquam vicinis, & pòst subditis, fuit notissimum. Vt proinde vero sit absimile, à Francis Thuringos insolentibus vocabulis fuisse appellatos. Neque est, cur credas, Anglos intelligi Britanniæ incolas: ut quibus Franci nunquam imperaverint, adeoque nec leges potuerint præscribere. Multò minus intelliguntur reliquiæ Anglorum, aut potiùs veteris Angliæ in Cimbrica Chersoneso

neſo incolæ. Hi enim, illâ quidem tempeſtate, etiam ex pacto, quod inter Carolum & Godfridum Danum de limitibus Saxoniæ & Danici regni eſt initum, qua de re alibi, Danorum imperio paruerunt. Quid itaque de inſcriptione illâ ſit æſtimandum, haud facilè dixeris. Fortè Angliorum & Varinorum nomen ab imperitâ manu irrepſit, lexque illa verè eſt Thuringorum. Sane etiam huic populo datam à Francis legem quis dubitet? Mirum tamen, ſi Caroli demum ætate ſit factum, cum tanto temporis ſpacio, à Theodorico uſque rege Auſtraſiæ, Thuringi in Francorum fuerint ditione; ab Auſtraſiæ autem regibus diu ante & Alemannis & Bajovariis devictis leges & jura ſint præſcripta. Adhoc certum utique eſt, quod Franci non niſi partem Thuringici regni juris ſui fecerint: omni illo quod ab Vnſtruto fluvio in Albim uſque Sala & Ocro amnibus (nam & hoc Helmſtadium olim in ditione Thuringorum fuit) clauditur, in Saxonum victorum jura redacto: illa autem pars tantum non in ipſum quoque Francorum nomen tranſierit, ac proinde ſuis propriis legibus non fuerit fortè relicta. Igitur ἐπέχειν malumus quam in re uſque adeo dubia aliquid aſſeverare.

CAPVT XIV.

De legibus Capitularibus civilibus & Eccleſiaſticis Caroli Magni.

NE quidem ita contenta fuit Caroli Magni in ferendis legibus diligentia, ſed cum more antiquo gentis Francicæ quotannis penè concilium populi cogeret, multa etiam tum ſanxit ab omnibus obſervanda. Verùm illa non videntur pari dexteritate in chartas translata eſſe. Certè jam olim non multò poſt Carolum plæraque ignorata ſunt. Itaque ex ſuperſtitibus tum ſchedulis colligere huc illuc diſperſa

decreta coacti sunt, qui id negotii sibi sumpserunt Ludovici Pii ejusque filiorum tempestate. Sunt tamen etiam sic nonnulla ad nostram memoriam servata. Retulit isthæc ætate Ludovici in librum tertium suum Ansegisus, quarto libro appendice secunda adjungens eas Carolinas leges civiles quæ minus perfectæ visæ sunt. Non dubium verò est, quum latæ sint in conventu totius populi, valuisse has non in Germaniâ minus quàm alibi.

Præter hæc idem Carolus & ECCLESIASTICAS leges plurimas promulgavit. Nondum scilicet orbi persuasum erat, solis Romanis Pontificibus datam ferendarum Ecclesiis legum potestatem; sed optimi quique Regum & concilia Episcoporum indixerunt, & ijsdem à sese coactis præsederunt, & denique suo nomine, si quid placuisset, edidere.

Videntur autem Carolinæ Ecclesiasticæ leges duorum esse generum: aliæ scilicet prorsus novæ, aliæ de antiquis canonibus & decretis excerptæ & redintegratæ. Sunt autem Caroli auctoritate celebrata Episcoporum concilia, præcipuè annis septingentesimo nonagesimo secundo & quarto, octingentesimo item nono & decimo tertio, ceu apparet ex Annalibus Francicis & horum exscriptore Aimoino. Cæterùm quantum liquet ex ijsdem Annalibus, in concilio anni DCCXCII habito Regini aut Ratisbonæ, actum tantummodo est cum Felice Orgelitano Episcopo, quòd ille Christum secundum humanam naturam filium Dei adoptivum dixisset. Similiter biennio pòst, Francofurti ad Mœnum quod celebratum est concilium amplum quidem fuit Episcoporum numero, trecentis ex omni Francorum regno, quod tum latissimè patuit per Galliam Germaniam Italiam & Hispaniam, in unum congregatis, quale aliquot seculis occidentalis Ecclesia non viderat; sed ne

tum

tum quidem de alijs est actum quám de Felicis & Elipandi sententijs, deque imaginum cultu ac Synodo Nicænâ secundâ. Quocirca in neutro concilio videntur canones conditi de moribus. Neque amplius supereſt quod huc faciat. Etsi præter Paulini Aquilegiensis atque Liguriæ Istriæ Æmiliæque Episcoporum scriptum, nec non ipsiusmet Caroli epistolam, & libellus synodicus contrà Felicem & Elipandum, & quatuor libri ad Adrianum Papam adversus synodum Nicænam ipsius Caroli nomine (ceu apparet ex cap. 6. libri primi) scripti, quorum editionem Joanni Tilio (qui tamen non ausus seſe prodere, sub ficto Eliphili nomine voluit latere) ut reliquorum Laurentio Surio debemus, cum Actis pleriſque Francofurtensis concilii hodieque manibus versentur. Vbi obiter notandum, Carolinos illos libros, simul reducti patrum ætate in lucem fuerant, à quam multis εἰκονολατρείας patronis ceu spurios rejectos esse: omnes fere tamen, etiam adversæ parti addictos, hodie pro legitimis eos agnoscere: fatente Jacobo Sirmondo *tomo 11. Conciliorum Galliæ.*

Verum hoc ὡς ἐν παρόδῳ. In Aquisgranensi porrò concilio de Ecclesiæ statu reformando actum quidem, nihil tamen tum decretum esse, disertè memorat autor Annalium Francicorum ætati illi proximus. Cum enim narrasset, præcipuè de processione Spiritus S. ibi actitatum, addit: *Agitatum etiam est in eodem concilio de statu Ecclesiarum & conversione eorum, qui in eis Deo servire dicuntur, nec aliquid tamen definitum est propter rerum, ut videbatur, magnitudinem.* At quæ anno DCCCXIII varijs locis jussu Caroli concilia sunt celebrata, illa omnia canones plurimos Ecclesiasticos dederunt. Auctor Annalium: *Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt: quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilloni, quan-*

quintum Arelati congregatum est. Et constitutionum quæ in singulis factæ sunt collatio coram Imperatore in illo conventu habita. Quas qui nosse voluerit, in supra dictis civitatibus invenire poterit: quanquam & in archivo palatij exemplaria earum habeantur. Eadem penè verba habet Regino, tantùm his mutatis: *Constitutiones quæ in singulis factæ sunt, ab Imperatore confirmatæ sunt.* Exstant hodieque illorum conciliorum canones per Laurentium Surium & dein per alios conciliorum tomis inserti. Ex quibus, Moguntini cumprimis, per Germaniam indubiè magnæ ex eo fuerunt auctoritatis; confirmati quippe auctoritate regiâ & jussi observari.

Præter hos verò novos canones, à Carolo quidem, nulli alij per Episcoporum concilia videntur promulgati. In alijs tamen conventibus non dubito leges etiam Ecclesiasticas interdum latas esse. Sic Benedictus Levita *l. VI cap. XXV* recitat *Capitularium Dominicum datum anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCVI ad Theodonis villam, & Imperij Domini Caroli VI.* Item cap. CCLXXXV quædam habet ex capitulis Caroli Imperatoris Wormatiæ generaliter decretis. In Additione quartâ Ludovici Pij post capitul. LXXXV ita legitur: *Anno feliciter XI Regni Domini nostri Caroli glorioſissimi Regis, in mense Martio, qualiter congregatis in unum synodale Episcopis Abbatibus virisque Illustribus unà cum Comitibus, secundum Dei voluntatem pro causis oportunis censentur utiliter esse decreta.* Paulò aliter hæc habentur l. III Legum Langobardicar. c. I. & in Capitulari Lotharij. *Anno feliciter XI regnante Domino nostro Karolo in mense Maij factum est capitulare, qualiter in uno congregatis synodali concilio Episcopis, Abbatibus, virisque Illustribus (Comitibus) unà cum pijssimo Domino nostro Karolo, secundum voluntatem Dei, pro causis oportunis consenserunt, decretum.* Fecimus item & nos jam ante, cum de Saxonicis legibus Carolinis ageremus, mentionem binorum Carolinorum Capitularium, quo-

quorum alterum latum esse anno septuagesimo nonagesimo septimo Christiano Aquis, in conventu Saxoniæ procerum, ipsum initium testatur; in quorum utroque multa Ecclesiastica in usum populi illius constituta sunt.

At præter hæc fecit idem Carolus colligi in rem Ecclesiæ CANONES alios ex veterum Conciliorum Patrum & Pontificum sententijs: usus operâ Albini & Paulini Episcopi. Illud opusculum Capitularis titulo hic, alibi, ut & in Bibliotheca Academiæ Juliæ manuscriptum, seorsim reperitur, præterea exstat *l. 1.* apud Ansegisum & in Capitulari Lotharij primi Cæsaris, vel Epitome Capitularium Carolinorũ editâ à Busæo cum Epistolis Hincmari Remensis. Promulgati opusculi tempus ita subnectitur in editione Busæi: *Anno dominicæ Incarnationis DCCLXXXIX Indictione XII Anno XX Regni nostri, actum est hujus Legationis edictum in Aquisgrani palatio publicè (in Aquis palatio publico* habet ms. Iulæum: *) data est hæc charta die decimo Kal. April.* In Ansegiso ut & mss. Iuliæ Academiæ notatur annus regni XXI: fortassis autem scribendum XXII. Et verò illo tempore hybernasse Carolum Aquisgrani, etiam Annales Francici testantur. Etsi enim videantur illi rejicere hybernacula in annum præcedentem; non tamen est, cur turbemur, quoniam scriptor ille plerumque singulorum annorum gesta à tempore verno incipit. Editum ergo est Capitulare hoc non in synodo sed in regni comitijs & quidem cura regiorum legatorum; unde etiam audit *Edictum legationis.* Collectum verò esse operâ Paulini Episcopi & Albini aliorumve, disertè scribit Benedictus Levita *præfat. in l. V. Tertio in libello* inquit, *quædam ex canonibus à Paulino Episcopo & Albino Magistro reliquisque jussione Karoli invictissimi principis magistris sparsim collecta, sunt inserta capitula.* Est autem Albinus is qui aliàs & Alcuinus audit, Paulinus verò ex artis Grammaticæ magistro Episcopus Aquilegiensis; de quo

multa Baronius ad annum DCCCII; uterque pro seculi captu in re literariâ insignis.

Quoniam verò hæc pauca ex Canonibus antiquis excerpi & observari jussit Carolus, haud injuriâ fortè quis dixerit, reliquos conciliorum veterũ canones non perindè à Carolo fuisse probatos. Collegerat autẽ jam olim Romæ, paulò ante tempora Iustiniani Cæsaris, canones Ecclesiasticos Dionysius Exiguus; cujus operis Cassiodorus ejus æqualis hisce verbis meminit *l. de divin. lection. c. 23. Qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus canones Ecclesiasticos moribus suis (ut erat planus atque disertus) magnæ eloquentiæ luce composuit; quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Recitat ipsius Dionysij epistolam de hoc opere suo ad Stephanum illum Salonitanum ex Crisconianâ quadam (nec enim ipse Crisconius suo illam operi inseruit) collectione desumtam Baronius ad annum DXXVII. Eadem ex Nicolai Fabri mss. adjecta est Codici canonum Romano, qui Parisijs prodijt seculi hujus anno nono. Ipse verò ille Dionysii codex canonum integer (nam qui jam anno superioris seculi vicesimo primo Moguntiæ est editus habet & aliena admista, & nonnullis caret) operâ Christophori Iustelli ICti doctissimi ibidem Parisiis excusus est anno hujus seculi vicesimo octavo & quadragesimo tertio. Ex epistola verò discere est, partem priorem operis ex Græco fuisse ab ipso Dionysio versam; & quidem primo loco in Corpore illo canonum positos fuisse canones qui dicuntur Apostolorum; deinde canones synodi Nicænæ: *mox canones omnium conciliorum sive quæ antea sive quæ postmodum facta sunt usque ad synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerant*; inde decreta concilij Chalcedonensis. Quibus finita est pars prior, Græcorum scilicet canonum. Illa nimirum, quam doctissimus Justellus titulo *Codicis canonum universæ Eccle-*

Ecclesiæ, Græcè Latineque, præclaris notis illustratam, seorsim edidit. Quanquam multum verear, illam quidem collectionem non fuisse antehac magnopere inomni Ecclesia (occidentali quidem) in usu. Certè quæ in id adfert Justellus nihil tale demonstrant. Cæterùm illi paulo ante laudatæ priori parti à Dionysio fuere subjuncta, *statuta Sardicensis concilij* atque *Africani quæ Latinè sunt edita*. Quamvis verò eodem quo Dionysius tempore Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiæ Diacon^s, & Martinus Braccarensis circa annum DLXX, collegerint veteres canones, Carolina tamen illa excerpta ex Corpore Dionysiano sunt desumpta; quod scilicet hujus in Ecclesiâ Romanâ & alibi passim major jam esset auctoritas. Et verò tantæ illa Dionysiana collectio in Occidentali Ecclesia passim fuit auctoritatis, ut Crisconius etiam Africanus eadem ferè tempestate non aliam adhibuerit versionem in suâ Canonum concordiâ concinnanda; ceu non tantum Antonius Augustinus prodidit præfatione in Antiquam collectionem Decretalium, sed ipsemet etiam ego observavi in antiquissimo mss. Academiæ nostræ Iuliæ: neque enim ejus Crisconianæ collectionis aliquid typis editum vidi præter nudos titulos. Non tantum verò illà suâ quâ passim valuit Collectio Dionysiana existimatione permovit collectores illos Carolinos, ut hanc potius sequerentur; verum indubie inducti etiam eo sunt, quod Hadrianus I Papa anno DCCLXXXVII in usum Gallicanæ Ecclesiæ, cui antehac suus fuerat proprius Canonum codex, Carolo M. hunc communicasset, testante Epistola illa Pontificis quam Sirmondus tomo secundo Conciliorum Galliæ primus edidit: Epitomen etiam quandam ejus Canonum codicis idem Hadrianus Papa jam anno DCCLXXXI Jngelramno Metensium Episcopo misisset, quæ jam tum per Galliam alibiq; ex eo magna cæperat esse in existimatione. Est vero illa Epitome

ista

ista quam tomo VI Antiquæ lectionis typis edidit primus Henricus Canisius. Non tantùm verò ex canonibus, sed & ex rescriptis Romanorun Pontificum quorundam, nonnulla addita sunt in Carolinis illis, quod illâ ætate jam in Corpus canonum essent nonnulla recepta. Bene scilicet Antonius Augustinus, vir juris & omnis antiquitatis peritissimus; *præfatione in Canones pœnitentiales: A Latinis in Corpore canonum positi sunt Canones conciliorum Orientis, interprete Dionysio Exiguo, & Canones Sardicenses & Africani sive Carthaginienses, atque etiam Canones quorundam Romanorum Pontificum à Siricio ad Gregorium minorem.* Et verò hisce solis Pontificum epistolis usos illos Carolinos collectores liquet; utut paulò pòst multa alia in Germaniâ, Isidori Mercatoris fraude deceptis Episcopis nostris, invaluerint.

Sed de eo aliàs. Sunt autem Carolinæ leges Ecclesiasticæ apud Ansegisum in universum non nisi centum sexaginta octo. Quot numero à Carolo scriptas esse, etiam Baronius memorat ad annum DCCCI. At aliæ multæ & longè plures habentur in collectaneis Benedicti Levitæ; quod Baronius non attendit. Forte verò non omnes illæ ab Ansegiso memoratæ, Caroli sunt, sed quædam & Ludovici Pij. Manuscriptum enim Capitulare Bibliothecæ nostræ Academicæ tantum habet canones octoginta duos.

CAPVT XV.

De Ludovici Pii legibus, earumque collectione per Ansegisum & Benedictum Levitam.

HÆc de legibus Carolinis. Patris vestigia verò pressit Ludovicus Pius. In multis enim conventibus leges, quà civiles quà Ecclesiasticas, & novas tulit & veteres emendavit,

dávit. Auctor vitæ Ludovici Pij per P. Pithœum inter duodecim Historiæ Francorum scriptores editæ, qui in aula vixit illius Cæsaris, ita loquitur, narrans gesta anni DCCCXVII. *Quo peracto negotio, Imperator generalem habuit conventum Aquisgrani, in quo quantum feruoris circa divinum cultum in arca pectoris gestaret, toto adnisu declaravit. Congregatis enim Episcopis nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ clero, fecit componi ordinarique librum, canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius ordinis perfectio contineretur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri iussit cibi potusque atque omnium necessariorum summam, ut omnes tam viri quam sanctimoniales, sub hoc ordine Christo servientes, nullis præpediti necessitatibus, liberæ servitute Domino omnium militare meminissent. Quem librum per omnes civitates & monasteria canonici ordinis sui imperij misit per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus suprà dictis locis transcribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum Ecclesiæ contribuit exultationis tripudium, & piissimo Imperatori debita cum laude immortale monimentum. Itidemque constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum abbatem, & cum eo monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeunteque, uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris quam sanctimonialibus fœminis, vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem. Considerans etiam idem piissimus Imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, sed & multorum avaritiam abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit, ut quicunque ex servili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris asciscerentur, primum manumittantur à propriis dominis, vel privatis vel Ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induantur. Volens etiam unamquamq; Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per ejuscemodi inopiam cultus divini negligerentur, inseruit prædicto edicto, ut super singulas Ecclesias mansus tribueretur unus cum pensatione legitima, &*

ma, & servo atq; ancilla. Hæc erat sancti Imperatoris exercitatio, his quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo ejus vita in sancta doctrina & operatione clarius enitteret: qui in pomparum sublimitate constitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula balteis aureis & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus, conaretur aspirare ad secularis gloriæ ornamenta. Hæc omnia Auctor ille. Et vero Regula illa vitæ canonicæ sic satis prolixa reperitur hodieque tom. III Conciliorum editionis Venetæ pag. 703 inserta. Etsi enim scribatur habitum ibi conventum anno DCCCXVI, tamen intelligendum id est tantùm de initio concilij illius. Manuscripto membranaceo codici, qui est in bibliotheca Academiæ Iuliæ, præmissa est Ludovici epistola ad Archiepiscopum Salisburgensem. Quo ipso illustratur id quod modò audivimus, libium illum *per omnes civitates & monasteria canonici ordinis* ab Imperatore missum esse.

Vnde obiter non possumus non monere, perperam de hoc Cæsare in hunc modum cantillasse Othonem Viterbiensem in suo *Pantheo*.

Carolus egregium genuit regem Ludovicum,
Quem Deus almificum sibi conciliavit amicum,
Lege sua clerus jure vocatur herus.
Hic pater Ecclesiam vario prævenit honore,
Veste, domo, Cerere, cujus fuit aucta favore,
Iure suo legitur grandis ubiq; fore.
Hic proprias habitare domos, equitesq; fovere
Nos facit, & veste variâ priscaq; sedere,
Nisus & accipiter hac quoq; lege sedet.

Admodum contra est verosimile, sanctis illis legibus effectum, ut paucis pòst annis Episcopi plærique filios adversus opti-

optimum patrem fecerint rebellare. Rectiora sunt quæ ad hosce canones respiciens (quanquam falsò credat latos anno 30) in Gregorio IV habet Platina, digna quæ & hic recitentur. *Vtinam nostris temporibus Ludovice viveres! Indiget nunc Ecclesia tuis sanctissimis institutis, tua censurâ. Adeo in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inspiceres non homines, quod leve fortassis videretur, sed equos & jumenta: præcedente dum incedunt magno adolescentũ, & altero presbyterorum agmine subsequente: non in asinis, ut Christus nostri dogmatis autor & bene vivendi unicum in terris exemplar, sed in equis præferocibus & phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis & egregia eorum supellectile deque cibariis non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias, nullius pretii dici possint.* Verùm hoc obiter.

Quæ eodem porrò tempore (ceu modò audivimus) condita est regula Monachalis vitæ, nisi fallor, illa est, quæ titulo Additionis primæ adjicitur Ansegisi & Benedicti Levitæ collectaneis. Hinc leguntur hæc verba ibi præfixa: *Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXVII, Imperii vero glorioſissimi Principis Ludovici IIX, VI Idus Iulÿ, cum in domo Aquisgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures una cum suis resedissent monachis, quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus conservari decreverunt.* Quantæ verò illæ fuerint quondam auctoritatis etiam aliquot pòst seculis, ostendunt Leonis Ostiensis *l. 1. Historiæ Cassinensis cap. 18.* verba sequentia. *Vltimo hujus abbatis* (Theodemiri) *anno, Ludovicus Imperator, qui cognominatur almus vel sanctus, hujus Karoli filius, quarto Imperii anno, Aquisgrani in palatio, cum pluribus totius Franciæ Abbatis religioſisque monachis concilium faciens, utiliſsima nostri Ordinis observationi LXII generalia capitula instituit, quæ omnia apud nos, perinde ferè ac si regula*

S. Benedicti, observantur. Ita Leo. Numerantur tamen in illa Ansegisiana Additione capitula LXXX.

Auctor porro vitæ Ludovici ita loquitur *pag. 373* editionis Wechelianæ: *Qua hieme Imperator in eodem palatio conventum publicum populi sui celebravit: & renunciantes sibi missos de omni suo regno, quos pro statu sanctæ Ecclesiæ restaurando dejecto, vel confirmando stante miserat, audivit: & quicquid utile judicavit, sancta impellente devotione superaddidit: nihilque intactum reliquit, quicquid ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ proficere posse visum fuit. Interea capitula quædam legibus superaddidit, in quibus causæ forenses claudicare videbantur, quæ hactenus veluti perneccssaria servantur.* Cum his consentiunt quæ Annales Francici ad annum DCCCXIX notant: *Conventus Aquisgrani post Natalem Domini habitus, in quo multa de statu Ecclesiarum & monasteriorum tractata atque ordinata sunt. Legalia etiam* (Pithœani Annales habent *Legibus etiam*) *capitula quædam necessaria, quia deerant, conscripta atque addita sunt.* Reperiuntur sanè hodieque capitula quædam Legi Salicæ adjecta hoc titulo: *Incipiunt capitula quæ Dominus Hludovicus Imperator anno III addere iussit.* Ubi error fortasse commissus in numero: ut sit scribendum: *anno VI.* Fortassis inquam: nec enim certò id definire licet, quum sæpius leges aut emendatæ sint aut noviter latæ.

Verosimile autem est, vel hoc anno vel præcedente, Ludovici & Lotharii nomine epistolam illam missam ad Archiepiscoporum præcipuos, de quatuor conciliis Episcoporum cogendis Moguntiæ, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ: quæ itidem Tomo III Conciliorum *pag. 769.* legitur. Tantùm enim voluerunt ab Episcopis seorsim consilia iniri de rectè constituendo Ecclesiæ statu, eaque deinde ad sese deferri. Et verò in Parisiensi concilio quid deliberatum sit, docent capitula quæ epistolæ Cæsarum tribus libris subjunguntur. Reliquorum conciliorum nihil dum superat: & tamen Moguntinum

Moguntinum indubiè fuit plenarium totius Germaniæ concilium, utpote cui interesse jussi erant cum suis suffraganeis archiepiscopi quatuor, Othgarius, Adubaldus, Hetto, Beroinus: plures Germania tum temporis non agnoscente. De sententiis verò illorum quatuor conciliorum videtur deinde actum in conventu Aquisgranensi anni illius decimi noni.

Ab hoc conventu alius est, cujus canones itidem referuntur tertio Conciliorum tomo, *pag. 820.* Hic enim legitur, habitus *anno DCCCXXXIII, Indictione XIV, anno vero Imperij prædicti Cæsaris XXIV, IIX Id. mensis Februarii.* Indubie tamen subest mendum, scribendumque *anno DCCCXXXVI*, aliàs enim non quadrant numeri reliqui. Sed & de anno illo narrat hisce verbis Auctor vitæ Ludovici *pag. 413: In ipsis etiam diebus, in quibus purificatio lectissimæ semper virginis Mariæ celebratur, conventus quidam magnus, sed præcipuè Episcoporum, Aquisgrani convenit: in quocum de aliis utilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipuè de his rebus quæsitum est, quas Pipinus & sui multis Ecclesiis abstulerunt.* Vbi notandum in hujus Concilii *cap. XIII.* fieri mentionem Capitulorum regiorum eopse anno missorum; item *cap. XXV.* capitulorum Episcopalium, in aliis conventibus scriptorum quidem at non observatorum. Verùm de his & similibus Ludovici Pii conciliis fortasse plus satis.

Ipso Ludovico adhuc vivo, & quidem anno Imperij XIII, Ansegisus Abbas libros quatuor Capitulorum sive legum, partim á Carolo partim à Ludovico ejusque filio & Imperij socio Lothario, promulgatorum edidit. De illo Ansegiso ejusque illâ collectione Sigebertus Gemblacensis ad annum DCCCXXVII: *Ansegisus abbas Lobiensis Edicta Imperatorum Karoli magni & Ludovici filij eius ad Ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digessit. Idem eorundem Edicta ad mundanam legem pertinentia in duobus æque libellis digessit.* Falluntur qui hunc Ansegisum eundem existimant cum Ansegiso Senonum

Archiepiscopo: hic enim obijt anno DCCCLXXXII, & demum Caroli Calvi temporibus maximè floruit. Operæ pretium verò est audire ipsum Ansegisum, præfantem in sua collectanea. *Dominante per secula infinita omnium dominatore Christo salvatore nostro creatore universæ creaturæ, anno incarnationis ipsius DCCCVII, (scribe 820) indictione V, anno verò XIII, imperij glorioßimorum Principum Domini Ludovici Aug. Christianæ religionis magni propagatoris, & Lotharij Cæsaris filij ipsius, Ansegisus nullis præcedentibus meritis, sed gratia omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ domini Karoli magni Imperatoris Christianorum, atque præcellentißimi ac pijßimi domini Ludovici Augusti filij ipsius sincera dilectione, nec non & præclari Lotharij Cæsaris filij pijßimi Ludovici Imperatoris, hæc ßupter descripta adunavi Capitula: quæ procul dubio, quia ad sanctæ Ecclesiæ profectum facta sunt, pro utili firmiter tenenda sunt lege. Fue ant namque quondam tempore prædicti magni domini Karoli Imperatoris, nec non & nunc præfatorum Principum hoc in tempore, domini pijßimi Ludovici Augusti, & præclari Lotharij Cæsaris iußu, per intervalla temporum ad Christianam religionem conservandam, atque ad concordiam pacis & dilectionis in Ecclesia Catholica tenendam edita. Sed quia in diversis ßparßim scripta membranulis per diversorum ßpatia temporum fuerant, ne oblivione traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus sum, prædictorum glorioßißimorum Principum, & pro amore sanctißimæ prolis eorum, sed & pro sanctæ Ecclesiæ ßtatu, placuit mihi prædicta in hoc libello adunare, quæ invenire potui, Capitula prædictorum Principum iußa descripta: ut ad sanctæ Ecclesiæ ßtatum longævis conservandum temporibus, atque ad meritum præfatorum Principum glorioßius in vita perpetua augmentandũ proficiant. Amen.* Hæc Ansegisus. Vnde causam, tempus & rationem collectionis illius discere est.

Cæterùm multa cùm Caroli tùm Ludovici decreta prætermiserat Ansegisus: itaque nova opera accessit Benedicti Levitæ, ætate filiorum Ludovici. Hic enim omissa

missa omnia & ab Ansegiso neglecta in tres libellos digessit, eosque quatuor Ansegisi libris subnexuit. *Quia* (inquit ipse in præfatione) *ab eo* (Ansegiso) *nec media, ut rati sumus, sunt forsitan inventa vel collecta, necesse erat, ut à fidelibus ubicunque inveniri potuissent, quærerentur, & ob recordationem tantorum Principum, vel eorundem Capitulorum utilitatem, coadunarentur & membranis insererentur, atque à fidelibus memoriæ commendarentur. Quapropter ea, quæ ille aut invenire nequivit, aut inserere fortasse noluit, & illa quæ postmodum à fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & Pipini ac Karoli atque Hludovici didicimus in iam dictis libellis minime esse inserta, pro Dei omnipotentis amore, & sanctæ Dei ecclesiæ, ac servorum eius, atque totius populi utilitate, fideliter investigare curavimus: & in tribus subsequentibus libellis distinctè cum titulis suis coadunare.* Vnde isthæc nactus sit, itidem ipse profitetur. *Hæc verò* (ait) *Capitula, quæ in subsequentibus tribus libellis coadunare studuimus, in diversis locis, & in diversis schedulis, sicuti in diversis synodis ac placitis generalibus edita erant, sparsim invenimus: maximè in sanctæ Mogontiacensis metropolis Ecclesiæ scrinio à Riculfo eiusdem sanctæ sedis metropolitano recondita, & demum ab Authario, secundo eius successore atque consanguineo, inventa reperimus: quæ in hoc opusculo tenore supra scripto inserere maluimus.* Est autem Riculphus is qui S. Lullo successit anno DCCLXXXVI, ut notat Hermannus Contractus: præsuit autem synodo Moguntinæ anno DCCCXIII & inter alios Testamento Carolino subscripsit nomen. Et verò huius curiositas in canonib⁹ colligendis ab Hincmaro etiã Remensi Archiepiscopo notatur *libro IV c. 24* ejus operis, quod improbo nepoti suo Hincmaro Episcopo Laudunensi opposuit. Authariusverò est ille qui aliàs Othgarius audit, non minus curiosus canonũ & legũ scrutator. De hoc Othgario & Richolpho ut & ipso Benedicto Levita in hunc modũ Auctor incertus vetus. *Benedictus Moguntiacensis Ecclesiæ Levita, Capitula quædam rega-*

regalia, synodalia, & alia collegit, ex iis quæ in scriniis eiusdem Metropolis reponi fecerunt Richolfus Archiepiscopus, qui monasterium sancti Albini renovavit & Moguntinæ synodo sub D. Karolo præfuit, & Otgarius eius consanguineus & secundus post Haistulfum successor. Quorum uterque huiusmodi Capitulorum percuriosus fuit, & erga S. sedem Rom. valde devotus; adeo ut Otgario etiam Apostolicus Gregorius suas vices in Germania aliquando commiserit. Hic Hludovici Imp. filiis contra patrem favit, sed postea reconciliatus est, & decedens anno DCCCXLVII, Lotharii Imp. VII, successorem habuit in Archiepiscopatu D. Rhabanum Abbatem Fuldensem. Hæc ille. Colligere autem est ex Benedicti versibus, Othgarii illius jussu operam illam à Benedicto susceptam, post obitum tamen ejus demum absolutam esse. Ita enim canit:

Quattuor explicitis, Lector venerande, libellis,
Qui canonum recitant iura tenenda satis;
Quos quoque pater quondam collegit nobilis aptè,
Ansegisus ovans, ductus amore Dei:
Authario demum, quem tunc Moguntia summum
Pontificem tenuit, præcipiente pio.
Post Benedictus ego ternos Levita libellos
Adnexi, legis queis recitatur opus.

Quum ita vero pateat, caussa & prima occasio conscribendi hujus operis quæ fuerit tum Ansegiso tum Benedicto, manifestum simul est, fallere & falsum esse Antonium Possevinum Jesuitam cætera doctissimum, quando in *Apparatu sacro* voce *Meldensis Synodus* tradit, hujus Synodi jussu & ab Ansegiso quatuor libellos exaratos, & quæ deerant à Benedicto esse addita. Quoniam porrò Othgarius Moguntinus Archiepiscopus obiit anno DCCCXLVII & tamen superstitibus adhuc tribus Ludovici filiis Benedictus sua edidit, patet circa annum DCCCL opus prodiisse. Quadriennio scilicet pòst Lotharius Cæsaream dignitatem deposuit: trium autem illorum filiorum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [94] - 72
PUBLIC DOMAIN

rum, ut ſuperſtitum & imperantium, meminit Benedictus, cùm in præfatione tùm in carmine præfationi ſubnexo.

Notandum verò, non Caroli tantùm & Ludovici Decreta, ſed & alia haud pauca à Benedicto tumultuariâ operâ eſſe congeſta. Namque libri primi initio habet Zachariæ Papæ epiſtolam, & canones duorum conciliorum tempore Carolomanni Pipini fratris per S. Bonifacium habitorum. Secundo libro recitat multa ex Lege Moſaicâ ceremoniali, quæ obligandi tamen vi omni nunc deſtituuntur. Paſſim inſerit multa petita ex tum nuper natis Paparum epiſtolis; nominibus tamen Paparum diſſimulatis. Id ille à ſeſe factum profitetur *in calce libri ſeptimi*, ut *vitaret faſtidium legentium*: videtur autem in eo potius uſus arte quadam veteratoria, haud ignarus fraudis tum commiſſæ à ſeſe & aliis Moguntinis in fingendis illis epiſtolis. Quod ipſum acutè advertit Blondellus *prolegomen. in Examen Epiſtolar. decretal. cap. XIX.* Qui ita verò in his ſeſe geſſit, qualem mereatur fidem in collectione Capitularium regiorum, nemo non videt. Et vero cui non ſuſpectum ſit, illum unum inveniſſe tam multa ab Anſegiſo diligentiſſimo viro indicta & prætervisa?

Porrò ne illis quidem tribus Benedicti & quatuor Anſegiſi libris Ludovici Pii omnia ſunt comprehenſa. Sanè ſubnectuntur hodiè ſeptem illis libris quatuor opuſcula, titulo *Additionum capitulorum Ludovici Pii Imperatoris*: quas ab illo Cæſare eſſe non eſt vero abſimile. Certè ea quæ habentur *Additione primâ* ad Abbates & monachos cumprimis pertinentia, præmiſſo prologo ipſius Ludovici, decreta ſunt anno Ludovici quarto, prout jam ante narravimus adductis in medium ipſiſmet tituli verbis. Quis verò Additiones illas adjecerit Anſegiſi & Benedicti libris, haud temerè dixerim. Neque enim auſim cuiquam attribuere, cum nomen nullum adpoſitum invenerim: utut Baronius videatur etiam

illa Benedicto adscribere. Quisquis sit, ejusdem profecto fuit cum Benedicto ingenii, utpote qui & ipse multa inepta & falsa pro regiis legibus substituere, haud fuerit veritus.

Hos Ansegisi autem & Benedicti septem libros, & has quatuor Ludovici Additiones, cum Capitulis nonnullis Caroli Calvi Galliæ regis, & pauculis Pipino rege conditis canonibus, primus typis publicari fecit Petrus Pithœus jurisconsultus doctissimus Parisiis anno superioris seculi octogesimo octavo; cujus editionem secutus Fredericus Lindenbrogius suo eas codici Legum Antiquarum inseruit. Operæ autem pretium forte fuerit, quid de iis, quæ post Ansegisum adjecta sunt, Pithœus ille judicaverit, audire. *Illud etiam* (inquit) *verendum est, ne nos quoque in hac rutuba non pauca fefellerint. Quanquam nec fortassis fuerint illa tanti. Præsertim quæ post Ansegisum, pro cujusque collectoris ingenio & proposito, confusè nullo q; ordine aut delectu, nõ certâ etiam q; plerũ q; auctoritate & fide, ex Gallicanis canonibus, ac pœnitentialibus libellis, SS. quoque patrum sententijs, quædam etiam ex Iuliani antecessoris CP. Novellis, & Alarici breviario, Anianiq; ad illud interpretationibus, quin & ex VVisigothorum Longobardorumque legibus nonnulla addita facile recognoscent, quibus hæc curæ erunt. Quæ nec ipsa tamen omissa voluimus, ne quis desideraret ac requireret.* Hæc Pithœus: quæ neque probare neque refellere nunc animus est. Certius est, ex suppositijs Pontificum Epistolis & fictis conciliorum canonibus multa in Benedicti pariter libros & Additiones irrepsisse: sive id ejus ævi Episcoporum sive collectorum sit culpa factum. Sanè, ut excuses collectorem Additionum, saltim Benedictum haud temere quis absolverit, expensis quæ illi ab eruditissimo Blondello *cap. V. & XIX prolegom. in Exam. epistolar. Decretal.* objiciuntur.

CAPVT

CAPVT XVI.

De suppositiis priorum Pontificum Epistolis Decretalibus & Canonibus Conciliorum quorundam, Germaniæ ut & totî Occidentali Ecclesiæ pro Legibus Ecclesiasticis ætate Ludovici pij obtrusis : item de Rabani Mauri libro Pœnitentiali.

ANteaquam à Ludovico Pio abeamus, narrare & alia nonnulla haud absque usu fuerit, ad Ecclesiasticum non illius tantùm ævi sed & sequentium seculorum omnium jus pertinentia. Erat tum Germania, post accepta fidei Christianæ rudimenta, religionis pietatisque studijs, pro temporis captu, haud segniter dedita: eoque anxiè inquirebat, quid â priscâ Ecclesiâ in Concilijs, cumprimis verò à Romanis Pontificibus, quorum apud rudem & simplicem populum sacrosancta penè jam tum erat auctoritas, per epistolas aut aliàs esset definitum, ut secundum illam normam mores & Ecclesiasticum regimen componerentur. Verùm hactenus soli illi Conciliorum canones, quos Dionysius Exiguus congesserat, ut Romanæ Ecclesiæ ipsi, ita, quod haud alios Carolo Magno ipsemet Adrianus Papa commendasset, Germaniæ etiam potuerant esse noti. Quales illi fuerint, supra ex ipsius Dionysij epistolâ recitavimus. Quâ cum convenit liber ille Canonum quem Moguntiæ primum anno MDXXV edi curavit Ioannes Wendelstinus : est autem ipsum *Corpus canonum Romanum* quod pòst Parisijs anno hujus seculi IX iterũ prodijt, sed curâ doctissimi Christophori Iustelli resectis omnibus alienis & inutilibus, quodq; præfixo ipsiusmet Dionysij Exigui titulo, anno XXIIX ibidem longè est emendatius editum. Epistolæ porrò Pontificum haud aliæ in Corpus canonum Romanum erant receptæ, adeoque nec aliæ in Germaniæ Ecclesijs obtinebant, quàm paucæ quædam, à Siricij

uſque ævo ad Gregorij Minoris tempora exaratæ. Quod itidem jam tum ſupra dictum, & hodieque diſcere eſt cùm ex verbis Leonis IV Papæ apud Gratianum *diſt. 20. cap. 1.* tùm ex Corpore illo antiquo canonum, utpote quod ſolas haſce complectitur. Etiam verò Epiſtolas illas â Dionyſio Exiguo colligi jam cœptas ad Anaſtaſium uſque, idq; poſt editos jam Canones, liquet ex ejus epiſtolâ, quam *Examini Epiſtolarum Pſeudoiſidori* mutilam tamen præfixit Blondellus, & cum titulis collectarum à Dionyſio decretalium literarum edidit anno M DCXLIII Chriſtophorus Iuſtellus, itidem tamen mutilam. Quis reliquas adjecerit, & quidem ipſius Gregorii ſecundi literas, fortè ignotum, ſed & ſcitu non adeo eſt dignum. Id certum verò, jam à Dionyſii uſque ætate Codici canonum Romano epiſtolas aliquot Papales jungi ſolitas, eaque de cauſſa ex his quoque Criſconii Breviarium confectum; atque ita cum alios, tum & ipſum doctiſſimum Iacob. Leſchaſſerium *l. de libertatib. Eccleſiæ*, perperam ſcripſiſſe, quaſi poſt Dionyſii Exigui tempora demum epiſtolæ omnes decretales codici iſti acceſſerint. Addemus ipſa Leonis IV Papæ verba, quibus ille omnes Codicis Canonum Romani tùm uſitati partes recenſuit: qualia illa apud Gratianum hodieque leguntur. *De libellis*, inquit, *& commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & ſanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretaliumreliquas. i.e. quæ habentur apud nos ſimul cum Canonibus. Quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt: Statuta Canonum Apoſtolicorum, Nicænorum, Ancyrenorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Africanenſium, Carthaginenſium: & cum illis regulæ Præſulum Romanorum, Sylveſtri, Siricy, Innocentii, Zoſimi, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii & Gregorii junioris. Iſti omnino ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur & clerici.*

rici. Hæc omnia ipsemet Papa Leo quartus. In quibus, librarii forte culpa, observare tamen est mendosè omissa Bonifacii & Anastasii nomina, insertum vero nomen Sylvestri. Attamen non alios Conciliorum Canones, nec alias Pontificum Romanorum Epistolas hactenus ullo fuisse in foris Ecclesiasticis pretio, hinc manifestissimum est.

Cæterum hac ipsâ planè Ludovici Pij circiter tempestate, maleferiati quidam nebulones, orci galeâ tecti, summo scelere, incautæ Germanorum primum mox & reliquorum per occidentem Christianorum simplicitati illudentes, cœperunt & Epistolas Pontificum & Conciliorum canones si non primùm fingere, saltem fictas nænias, in publicum, ementito venerandæ antiquitatis titulo, protrudere. Scilicet jam demum Epistolæ illæ quæ primorum Pontificum, qui ante Siricium vixere, nominibus hodieque circumferuntur, piorum manibus obtrudi cœperunt; editâ Isidori Mercatoris aut Peccatoris titulo Collectione quadam literarum decretalium. Non ante Caroli Magni tempora in Gallias & Germaniam opus illud Isidori delatum, fatetur ipsemet Baronius ad annum DCCCLXV. David Blondellus, (cujus accuratissima & incomparabili labore conscripta censura Epistolarum istarum Decretalium non adeò pridem Genevæ prodijt) verosimile admodum facit, in mediâ Germaniâ, & quidem Moguntiæ, turpem illum fœtum conceptum & natum circa tempora Othgarij Archiepiscopi. Viri longè doctissimi *Prolegomena* in hanc rem cumprimis lectu sunt dignissima. Nec tamen fortè temerè recedendum ab iis quæ jam olim scripsit circa annum DCCCLXX Hincmarus Remensis *libro adversus Hincmarum Lauduuensem cap. 24. Quia* (inquit ille) *fortè putasti neminem alium easdem Sententias* (Hadriani scilicet I ad Ingelramnum Mediomatricæ urbis Episcopum) *vel ipsas Epistolas* (novas illas videlicet) *præter te habere,*

bere, & idcirco talia liberè te existimasti posse colligere, res mirâ est; cum de ipsis Sententiis plena sit ista terra, sicut & de libro collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispaniâ oblatum Riculphus Moguntinus Episcopus, in huiusmodi sicuti & in Capitulis regiis studiosus, obtinuit, & istas regiones (Germaniam videlicet) *ex illo repleri fecit.* Fortè inquam non est ab his recedendum, atque adeo jam Riculpho debet adscribi culpa. Quum tamen optimus ille Hincmarus passus sit sese decipi, ut crederet Epistolas illas ab Isidoro Hispalensi collectas, atque ex Hispaniâ in Germaniam delatas, (quorum utrumque accuratissimè Blondellus confutavit, prioris erroris nomine Hincmarum & alios ipse notavit Baronius) fortè & in eo deceptus est Hincmarus, ut Riculpho adscriberet quod Othgario tribuendum erat. Verum hæc exquisitiùs notasse parum refert, Riculphum enim jam supra diximus Lullo successisse anno DCCLXXXVI. Obijt autem circa annum DCCCXVI: huic verò post Aistulphum successit Othgarius circa annum XXV. usque ad XLVII. Id certum, ante Riculphi illa tempora istarum epistolarum nullum vestigium, nullam famam reperiri; acprimam memoriam illarum videri factam in *Concilij Aquisgranensis* habiti anno DCCCXXXVI, *parte* II cap. VIII. Ex Fabiani enim epistola Isidoriana descriptum est quod illius Concilij Patres ut traditionem Apostolicam referunt. *Statutum est etiam* (inquiunt) *ut vel semel in anno, i. e. quintâ feriâ quæ est in cœnâ Domini, unctio sancti olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopo non negligatur, sicut nunc usque neglecta est: sed omni devotione juxta traditionem Apostolicam ac statuta Decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.* An opus illud Epistolarum ab Isidoro est fratre Eulogij Cordubensis? Movet hanc suspicionem doctissimus Blondellus *in prolegom.* c. VI. Quamvis vero ipse eam haud adeò probet: constat tamen hunc Isidorum Caroli æta-

te in

te in Germaniam ex Hiſpaniâ adveniſſe & quidem vixiſſe Moguntiæ, unde certum eſt nænias illas promercales eſſe diſperſas. Titulus quoque ille *ſervi Dei & Peccatoris* Eulogio arriſit, quo utroque ſeſe & Iſidorus jactavit; namque Mercatoris cognomentum fortè per imperitiam mutatum eſt ex *Peccatoris*, quod ipſum MSS. codicum fide etiam Baronius conjicit *in notis Martyrologij ad IV April.* Niſi forte Mercator audierit Iſidorus, ut qui in negotiatorum vixerit contubernio, teſte ejus fratre Eulogio *in epiſtolâ* quam citat Blondellus.

Cæterum quiſquis tandem fuerit primus illarum Epiſtolarum editor, pro genuinis veterum Vrbis Epiſcoporum, adeoque maximo primæ Eccleſiæ theſauro, & ab impuro nebulone ſuppoſitæ illæ ſunt & â ſimplicibus receptæ. Et quidem initiò infecta ijs eſt Germania noſtra. Nec verò crediderim in Benedicti Levitæ libros tam multa ex hoc cœnoſo gurgite manaſſe alia de causâ, quâm quòd in Germaniæ concilijs & conventibus epiſtolas illas produxerint Moguntini. In Galliam videntur ſeriùs paulò malum pedem intuliſſe. Certè, cum ab Hincmaro Laudunenſi Sententiæ inde collectæ canonibus receptis æquarentur, circa annum DCCCLXX, alter Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus fraudem ſuſpicatus oppoſito libello, cum aliud non auderet, ſaltim auctoritatem earum infringere conatus eſt, quaſi cedere debeant *recepto Canonum Corpori*. Quamquam parum procul dubio effecerit Epiſcopus ejus ævi ut doctiſſimus ita animoſiſſimus, reluctantibus illi ipſis Romanis Pontificibus. Scilicet etſi nec Leo IV Papa, qui ſedit ab anno DCCCXLVII ad DCCCLIII, hanc Iſidori collectionem laudaverit, ceu appareat ex illius modo adductis verbis; nec ipſe Nicolaus I monarchiæ Papalis magnus auctor, illâ uti ſit auſus, imo hic, ſi Baronio credimus, *ab illa Iſidori collectione conſultò abſtinuerit*;

rit; quantum tamen liquet ex illâ ipsa epistolâ Nicolai I, (quam recitat Baronius ad annum DCCCLXV, & jam dudum magna ex parte *Decreti sui l. 1. dist. 19.* inseruerat Gratianus) dum ille, Episcopos Gallos hasce epistolas Decretales non admittentes reprehendens, simpliciter pronunciat, Decretales Pontificum epistolas omnino summâ cum veneratione esse excipiendas, etiam has ipsas suâ auctoritate subdolè Gallis illis obtrusit; imò earum auctoritatem oppugnantibus Episcopis Gallicanis acerrimè sese opposuit. Non ex alio fonte hausit utique Nicolaus illud, de observandis omnibus in universum decretis & mandatis Papalibus sub anathemate; quod ex *cap. V. Synodi Romanæ* habitæ anno DCCCLXIII notant Annales Francici Pithœani. Certè post illa tempora ab omnibus, usque ad avorum memoriam, sacrosanctæ habitæ sunt. Nisi quòd Concilij Basilienſis tempore de nonnullis sequiùs suspicari cœperint Nicolaus & Henricus Kaltheisen. Itaque & in Decreto Burchardi, Ivonis, Gratiani utramque penè paginam conficiunt, ut operosè monstratum à Blondello c. XVIII. Nec tamen est quur arbitremur vel ullam illarum non esse ab impurâ & sceleſtâ manu confictam; quicquid contra Magdeburgenses idipsum asserentes, pro earum fide declamaverit Franciscus Turrianus. Vsque adeo enim fraus & scelus pellucet undique, ut ipse Baronius, Pontificiæ monarchiæ summus athleta, vi veritatis victus pleraſque illarum convellere coactus sit. Notatu cumprimis digna sunt quæ Baronius ille refert in Annalibus ad annum DCCCLXV. n. 4. 5. 6. 7. 8. ut & in Martyrologio ad diem XVI Octobris. Ne nunc denuò laudemus cum aliorum, (interque eos R. Coci) operas; tum præcipuè exquisitum earum & operosum Examen illud à doctissimo Blondello non adeo pridem editum.

Per eadem verò tempora & Canones multi Conciliorum

rum videntur primùm ficti. Ejus notæ ſanè ſunt Canones concilij Sinueſſani & alterius concilij Romani habiti ſub Silveſtro I Papâ : nam ex hiſce pro Papali abſolutâ poteſtate princeps quædam produxit Nicolaus I *epiſtolâ ad Michaëlem Cæſarem*, quam recitat Baronius.

Ab eadem falſaria manu videntur profectæ tum & Sententiæ, quæ feruntur quaſi ab Hadriano I ſint miſſæ ad Ingelramnum Metenſium Epiſcopum : nec enim veroſimile eſt Hadrianum illius ſceleris eſſe autorem. Enimverò etiam illas primùm à Riculpho illo Moguntino ſparſas in vulgus dixeris, utpote quum á nemine antehac earum aliquid videas laudatum. Ipſæ illæ Sententiæ cujuſmodi ſint, ita cenſuit olim Hincmarus *l. adverſus Laudunenſem Hincmarum* nepotem ſuum c. XXIV : *De Sententijs, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus & ſynodis Romanis atque decretis præſulum ac ducum Romanorum collectæ ab Hadriano Papa & Engelramno Metenſium Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotij cauſſâ agebatur, (ex quibus quædam tuis commentis interpoſuiſti,) quàm diſſonæ inter ſe habeantur, qui legit ſatis intelligit; & quàm diverſæ à ſacris canonibus, & quàm diſcrepantes in quibusdam ab Eccleſiaſticis iudicijs habeantur, evidenter monſtratur.*

Quoniam verò his & aliis, itidem tum confictis & primæ Eccleſiæ Patribus attributis libellis, plurima firmãdæ Pontificiæ dominationi peridonea, utut hactenus nullo ævo audita, continentur; non potuit non, invaleſcente mendaciorum illorum turbâ, apud populum rudem & ſimplici pietati addictiſſimum adeoque credulum, illâ tempeſtate ſubitò creſcere penè in immenſum Pontificiæ autoritatis per Occidentem opinio : præſertim quum nonnulli illorum Pontificum, & quidem præcipuè Nicolaus I, nihil non egerint, quo humo ſublati ſupra omnes mortales eveherentur. Exinde igitur nova illa paradoxa; *nulli populo fas eſſe Epiſcopos accuſare :*

injussu Pontificis aut illo insçio nullum Episcoporum concilium cogi fas esse: Metropolitis licere Episcoporum causas audire, at solius Papæ esse iudicare: Pontificem esse supra totam Ecclesiam etiam in concilio congregatam: Pontificem à nemine iudicari posse: eundem à fidei erroribus immunem esse: hæc, inquam, & similia portenta sententiarum ex eo usque tempore persuaderi passim cœperunt. Vnde literis Pontificum, si quæ vel tum mitterentur, eadem ferè quæ veris Apostolicis Petri ac Pauli cœpit auctoritas tribui: adeòque apud perquam multos legum illæ vim ex eo usque obtinuerunt. Quod cum primis notandum hoc loco duximus.

Scilicet quemadmodum antehac Germaniæ & Galliæ Episcopi non dubitaverint discedere à Romani Pontificis sententijs, locuples & memorabile exemplum nobis dat certamen de adoratione imaginum, seculi noni initiò inter ipsum Papam & Germaniæ Galliæque Episcopos, conscio Carolo Magno, agitatum. Etsi enim hi haud nescirent, Papam Nicenæ secundæ synodi placita de imaginibus approbasse, tamen nihil veriti sunt in Concilio Francofurtensi omnem illam synodum damnare. Fateri idipsum historiæ evidentia fecit Baronium ad annum DCCCXIV: cui si credimus, factum hoc est, rustra contradicentibus & reclamantibus Romanis legatis. Quamquam verò ab Adriano Papa, post porrectum à Carolo synodicum libellum, Nicænæ illius synodi placita sint defensa, tamen dissensu etiam illo pauci tum Episcoporum, per Galliam præcipuè, sunt moti, ut de synodo istâ benignius sentirent; imò ipsum Adrianum acriter perstrinxerunt, quod & Baronius confitetur. Factum verò idipsum est etiam defuncto jamdudum Carolo, ætate Ludovici Pij. Notari merentur verba quædam Episcoporum Galliæ de Adriano Papa, ex Concilij Parisiensis habiti anno DCCCXXV epistolâ perscriptâ ad Ludovicum Pium.

Etsi

Etsi enim Acta Concilij illius à collectoribus Conciliorum adeoq; nec ab ipso Jacobo Sirmondo, qui diligentissie saltem Gallicana omnia congessit in unum ediditque, nondum hactenus in numerũ aliorum sint recepta, factum tamen id, non quod dubiæ sint fidei, sed præ studio partiũ quibus doctrina illius concilij haud parũ adversatur. Et verò ne Baronius quidem de fide ejus dubitat, etsi doctrinam acriter oppugnet in Annalibus. Multis modis tamen mutilam & mendosam esse editionẽ Francofurtensem, nemo negaverit. Cæterum verba ipsa quædã Episcoporũ de ipsomet Adriano Papa hæc sunt: *Indiscretè noscitur fecisse in eo, quòd superstitiosè imagines adorare iussit.* Item: *licet in ipsis obiectionibus aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando reprehensione digna testimonia defensionis gratiâ proferre ausus sit &c.* Item: *nisi in conclusione obiectionum, retinaculis veritatis, loco scilicet Gregorij, institutis adstrictus iter devium præcavisset, in superstitionis præcipitium omninò labi potuisset.* De Adriani successoribus ajunt: *Cum prudenti relatu cognovissemus, qualiter partim veritatis ignorantiâ, partim pessimæ consuetudinis usu, huius superstitionis pestis illis in partibus inolevisset &c.* Item: *quia ille qui debebat errata corrigere suaque autoritate huiusce superstitionis errori obniti, ipse prorsus eidem non solum resistere, verùm etiam incautâ defensione contra autoritatem divinam & sanctorum patrum dicta nitebatur suffragari.* In hunc modum loqui sunt ausi Galli etiamnum illo anno. Ast tum παράδοξα ista ex ementitis literis Decretalibus & canonibus Conciliorum petita, nondum invaluerant. Imò ipsæ illæ literæ & illi canones nondum usu receptæ erant, ceu liquet ex eo quòd Ansegisus Abbas nihil ex illis usque ad annum DCCCXXVII in sua capitula transtulerit. Insequentibus verò illius seculi noni annis haud temerè quis Germanorum Pontificiæ tyrannidi est reluctatus: tantùm inter Gallos nonnulli, ab Hincmaro Remensi Archiepisco-

po perſuaſi, prætextu veterum Eccleſiæ canonum, quorum ille Hincmarus (ipſo fatente Baronio) fuit peritiſſimus, iniquis Nicolai I & Adriani II Pontificum ſeſe conatibus acriter oppoſuerunt: renuentes ſcilicet admittere ſive illas Iſidorianas fictas ſive alias novas Pontificum literas, niſi inquantum illæ cum canonibus receptis convenirent.

Verùm hæc latiùs narrare alienum ab inſtituto eſt. Eadem vero Ludovici Pij tempeſtate (etiam hoc enim monendum, quoniam facit ad jus Eccleſiaſticum Germaniæ) invitatus ab Othgario Archiepiſcopo iſto Moguntino ſcripſit *librum Pœnitentium* dictum, Rabanus Maurus, Abbas tum Fuldenſis. Agit autem de pœnis Eccleſiaſticis, pro delictorum varietate pœnitentibus indicendis, eſtque hinc inde ex Corpore canonum Romano collectus. Primus illum publicavit Antonius Auguſtinus cum alijs libris antiquis Pœnitentialibus, & doctiſſimis notis illuſtravit. Annotari verò hîc meretur, quod vir ille doctiſſimus *præfat. illorum canon.* monet. *Vſus* (inquit) *Rabanus eſſe videtur Corpore canonum & Iſidori Mercatoris priori editione, quod ad concilia tantùm attinet provincialia. Nam Romanorum Pontificum epiſtolas nullas refert, præter eas quæpoſt Damaſum conſcriptæ ſunt & in Corpore canonum exſtant.* Hinc verò liquet, Rabani illum librum minùs laborare canonibus ſuppoſititiis, quales alioquin ex epiſtolis illis Iſidorianis plurimi promanarunt. Et verò etiam in capitulis Synodi Moguntinæ, cui præfuit Rabanus, itidem haud temere quid reperias ex Iſidori noniis excerptum; ut videatur etiam Rabano eas fuiſſe ſuſpectas. Cæterùm an hic Rabani libellus magnæ pòſt in Germaniâ auctoritatis fuerit, haud facile eſt dictu. Burchardus certè Wormatienſis non niſi tria Pœnitentialia laudat: Romanum Theodori & Bedæ. Verùm nec illorum quidquam hodie fortaſſis ſuperat. Nihil ſanè horum ſibi viſum, fatetur diligentiſſimus

tissimus ejusmodi scriptorum indagator Antonius Augustinus: nam quæ ille *Romani* & *Bedæ* titulis edidit, longè alia sunt ab iis quibus Burchardus est usus, & mentiuntur nomina.

CAPVT XVII.

Quæ legum per Germaniam fuerit ratio à Ludovico Pio usque ad Ottonem Magnum. Ex occasione narratur, in Gallia & Italia Capitularia Caroli & Ludovici per eadem tempora fuisse observata; simulq; de Conciliorum quorundam Germaniæ canonibus & Reginonis opere de Disciplina Ecclesiastica, disseritur.

POst Ludovici Pii tempora, quando jam Germania sejunctam à Galliâ & Italiâ rempublicam constituebat, multum ad Ottonis usque Magni ætatem, additum esse legibus scriptis (si excipias aliquot Provincialium conciliorum canones) nullo fide digno monumento traditur: certè parum hodie reliquum est ex omni illo ævo.

Superant nihilominus quædam, trium fratrum Regum Lotharii Ludovici & Caroli communi consensu constituta, cum apud Theodonis Villam tum apud Marsnam: inserta à Sirmondo libro Capitulorum Caroli Calvi. Quæ indubie & Germaniam obstrinxerunt. A Ludovico Germaniæ Rege seorsim quædam esse lata, perinde atque à Calvo & Lothario fratribus, itidem haud dubito. Quin quasdam ejus leges Goldastus Tomo I Constitutionum Imperialium addidit. Ante illum jam notaverat Aventinus l. 4, in conventu procerum Erfurti á Ludovico hoc ordinata esse judicia, lege etiam causarum patronis data, quam idem Aventinus explicat. Caroli Crassi quoque nomine Goldastus leges quasdam refert Tomo III Constitutionum: excerptas ex legibus Langobardicis: sed minimè huic deberi liquet conferentibus.

Ejuſdem vero Caroli nomine fertur majore applauſu conſtitutio de Expeditione Romana: quæ prima creditur formam aliquam certam dediſſe ſolemnibus illis Regum Germanicorum Coronationis Romanæ cauſſa in Italiam factis per aliquot ſecula expeditionibus. Primus illam eruit ex antiquo neſcio quo manuſcripto Marcus Velſerus, & ab hoc acceptam edidit Conradus Rittershuſius ad Guntheri Ligurinum: inde & commentario erudito illuſtravit Marquardus Freherus, & cum Conſtitutionum Tomis tum aliis voluminibus Goldaſtus, Chronico item Spirenſi Lehmannus inſeruit. Cæterum & Freherus fatetur ſibi ſuſpectam fuiſſe, donec vetuit dubitare Velſerus ob codicis ex quo deſcripta eſt vetuſtatem. Mihi verò etiamnum multùm eſt ſuſpecta. Primo enim ſubſcriptus eſt conſtitutioni annus DCCXXC quo Carolus Magnus quidem conventum Ordinum celebravit Wormatiæ, non vero Craſſus. Vtque dixeris excidiſſe anni centenarii unius notam memorat hiſtoria tamen, â Carolo Craſſo demum anno 82 Wormatiæ conventum habitum. Vt ſit hoc levius; etiam ſecundo in ipſa quoque Conſtitutione occurrunt haud ſatis illi tempeſtati conſentanea. Cujuſmodi eſt illud ſtatim initiò *Rex Romanorum*: quo titulo nemo quod ſciam tum audiit niſi jam Imperator coronatus. Illud item, quaſi *prædeceſſoribus* fuerit uſitatum ſolemne iter inſtituere in Italiam, impetrandæ coronæ Romanæ cauſſa: quod Germaniæ Regum fecerat nemo. *Principum* quoq; *ſecularium & Eccleſiaſticorum* voces illis temporibus fuere inuſitatæ. Non reperias etiam vel leve indiciú conventus jam tum inſtituti in Italia, ad Curiam Gallorum ſive Rongallium: cujus hic ut rei uſitat fit mentio. *Feudi* quoque vox in nullis omnis illius ævi monumentis reperitur: quod recte notavit ipſemet Freherus. Multò minus Italica iſthac voce uſa ſunt tum Germanica comitiâ. Taceo alia. Mihi ſane veroſimile

mile est, fictam hanc esse constitutionem, idque forte seculo XII in regulam Expeditionum Romanarum; quæ sane tum temporis illis pene legibus fuere institutæ, ceu patet ex historia Friderici I Cæsaris cùm apud Ottonem Frisingensem tùm in Guntheri Ligurino.

Porro & ejus qui Carolo Crasso successit Arnolphi leges quasdam recitat Goldastus, sed non nisi ex lectione historiarum illius ævi confictas. Ejusdem notæ sunt quas Henrico I Regi adscribit Tomo item III Constitutionum. Neque enim stilus illam ætatem sapit: & facile liquet conficta esse ex iis quæ narrat Witikindus l. 1. de muniendis urbibus ex constituto Regis illius & prudentia & fortitudine eximii.

Quantumvis vero hactenus præter hæc nihil in lucem prodierit illo tempore latarum legum, fortè tamen adhuc latent nonnulla in antiquis Bibliothecis abscondita. Modò quis ad exemplum Sirmondi & aliorum studeat eruendis antiquis Germaniæ nostræ rebus, lucem & ipsa visura. Synodalia sane illius ævi instituta hodieque supereſſe, alia quam quæ hactenus sunt edita, nullus omnino dubito.

Credibile verò est, illa quæ Carolo Magno & Ludovico Imperatoribus in universo Francorum Imperio obtinuerunt, isthac ad Ottonem usque tempestate in Germaniâ suam vim atque auctoritatem haud perdidisse. Sanè in Galliâ & Italiâ etiam tum Leges Capitulares, de quibus loquuti sumus, obtinuisse constat. Apparet idipsum de Galliâ quidem ex ijs, quæ passim in Epistolis Hincmari scribuntur: nec minus liquet ex Capitulis Carolo Calvo Rege anno DCCCLIV conscriptis, quæ etiam adjecta Ansegisi & Benedicti operi hodieque superant. Disertè enim ibi scribitur; *Capitula avi & patris nostri, quæ in præscriptis commemoravimus, qui ex Missis nostris non habuerint & ijs indiguerint, ut commissa per illa corrigere possint, sicut in iisdem Capitulis habetur, de scrinio nostro vel à can-*

à cancellario noſtro accipiant, ut rationabiliter & legaliter cuncta corrigant & diſponant. Iam antè eidem Carolo ſubditi Epiſcopi in Meldenſi Concilio anno DCCCXLV *cap. 78* ſtatuerunt: *ut Capitula Eccleſiaſtica à Domino Karolo Magno Imperatore, nec non à Domino Ludovico Pio Auguſto promulgata, obnixè ſervari præcipiantur, ſicut & Legalia obſervanda eſſe noſcuntur.* Baronius ad annum DCCCLV ſcribit, petiiſſe Meldenſes Patres promulgari Capitula Eccleſiaſtica à Carolo Magno atque â Ludovico collecta, & exigente id concilio Benedictum Levitam tres libros Anſegiſi collectaneis adjeciſſe. In quam ſententiam & Poſſevinum iviſſe, jam ante animadvertimus. Verùm de promulgatione novâ in verbis Patrum illorum ne gry quidem habetur, ſed de jam promulgatorum Capitulorum obſervatione. Nec Benedictus flagitante Meldenſi concilio ſua collegit, ſed juſſu Autharii Moguntini, ceu ſuprâ audivimus. Ne quidem cum Baronio aſſeveraverim, verba Caroli Calvi paulò ante adducta de Collectione Benedicti eſſe accipienda; quamquam nec negare idipſum auſim. Quàm verò in Galliæ illo Caroli Calvi regno Comites ſive iudices inique ſeſe geſſerint, in obſervandis Legibus pariter & Capitulis, operæ pretium fuerit audire conquerentem Hincmarum, Remenſem illa tempeſtate doctiſſimum pariter & prudentiſſimum Archiepiſcopum: cujus verba tamen haud recitamus, quandoquidem non eſt inſtituti noſtri de Legum obſervantia agere, ſed origines docere.

Fuit autem non minus diligens Carolo Calvo in ſtatuminandis Capitularibus patris & avi legibus, per ſibi ſubditas Italiæ Galliæ & Germaniæ Belgicæ provincias, Lotharius Imperator. Hujus enim conſtitutio *Legum Langobardic. l. III. tit. XXVII.* ita habet. *Placuit nobis, ut Capitula quæ excerpſimus de Capitulari bonæ memoriæ glorioſiſſimi avi Domini noſtri Caroli, & genitoris noſtri Ludovici Imp. invictiſſimi, ab omnibus*

ſancta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [110] - 88
PUBLIC DOMAIN

sanctæ Dei Ecclesiæ seu fidelibus nostris, in regno Italiæ consistentibus, per legem teneantur & serventur. Et quicunque horum Capitulorum contemtor exstiterit, sexaginta solidis componat. Baronius ad annum DCCCLVII etiam hæc accipit de Benedicti collectaneis, quasi hoc anno promulgatis: sed fallitur, namque illa nondum lucem potuerunt tum videre, quod suprà ostendimus; tum verò sermo est Lothario de Excerptis quibusdam. Itaque verisimile est, accipienda hæc de illa Epitome Capitularium, quam cum Hincmari epistolis edidit Ioannes Busæus, appellatam illi, *Constitutionum Caroli Magni Epitomen à Lothario eius nepote evulgatam.* Inseruit opusculum illud suæ *Collectioni Consuetudinum & legum Imperialium* Melchior Goldastus, titulo Capitularis Lotharij Imperatoris. Fallitur autem & ille, credens factam hanc promulgationem Meldensis concilij *rogatu*, aut ut Baronius amat loqui, *jussu.* Quid enim ad Lotharium Meldense concilium Episcoporum Caroli Calvi fratris? Tanti verò fecit Lotharius illa capitula, ut ipse Romanus Pontifex coactus fuerit ijs sese subjicere. Exstat apud Gratianum *dist. X cap. IX* Leonis IVti Papæ professio, quam in seculi illius noni annum quadragesimum septimum etiam Baronius retulit hisce verbis: *De Capitulis vel præceptis Imperialibus, vestris nostrorumq; Pontificum, & prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis & conservandis, nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, sciatur eum pro certo mendacem.* Sed verba hæc à falsaria manu corrupta esse nemo non emunctioris paulo naris facilè odoratur. In Gratiano ipso ita legitur hodiè: *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris vestrorumque Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantùm valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, sciatis*

ſciatis eum pro certo mendacem. Etiam ita verò mendum eſt in voculis illis *veſtrorumque pontificum*, ceu cenſores ipſi Gregorianæ editionis annotarunt: abſurda ſane eſt illa loquendi formula, eòque ad ineptias adegit auctorem Gloſſæ. Res clara autem eſt ſi deleatur una vocula *Pontificum.* Rectè verò ijdem cenſores Gregoriani ad hunc Gratiani locum: *Omnino hæc quæ à Leone ſcribuntur, ſpectare videntur ad Capitula Caroli & Ludovici quæ Lotharius in universâ Italia ſervari mandaverat.* Manſiſſe vero eorum autoritatem ſalvam, ſaltem ex parte, etiam perditâ jam tum dignitate Francorum Regum per Italiam, colligere eſt ex concilij Ravennatenſis per annem IX Papam & Lambertum Pſeudo imperatorem anno DCCCXCVI celebrati *cap. 1. Si quis ſanctorum Patrum regulas contempſerit, & glorioſiſſimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris & Ludovici atque Lotharij, nec non & filij ejus Ludovici, quæ de Eccleſiaſticis decimis in eorum Capitularibus ſtatuta atque ſancita ſunt non obſervaverit, & qui dat & qui recipit, auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & ſanctione Synodi, excommunicationi ſubiaceat.*

Verùm hæc obiter: neque enim impoſterum Italica illa aut Gallica aut Hiſpanica, ut quæ ad rem Germanicam non attineant, huc transferre propoſitum eſt. Vt in viam igitur redeamus, per omnino veroſimile eſt, Leges à Carolo & Ludovico Pio latas Ludovico Germanico ejuſque poſteris curantibus, non minus per Germaniam quàm alibi, fuiſſe obſervatas. Pertinet huc quod Synodi Moguntinæ Rabano Mauro Archiepiſcopo habitæ *c. 16.* legitur: *Monemus regiam pietatem, de oppreſſione pauperum liberorum, ut non à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iuſtitiam opprimantur, vel cogantur ut res ſuas vendant ſive tradant, ne forte parentes eorum contra iuſtitiam fiant exheredati, & regale obſequium minuatur, & ipſi propter indigentiam mendici vel latrones vel malefactores*

factores efficiantur: & ut sæpius non fiant banniti ad Placita, nisi sicut in Dominico Capitulari olim facto præcipitur. Hæc illi. Similiter *cap. 3* Synodi Colonienſis, habitæ Carolo Craſſo Cæſare, adducitur aliquid ex *Capitularibus glorioſiſſimorum regum Caroli & Ludovici.* In Synodi Moguntinæ, ejus quæ Arnolpho Cæſare habita eſt anno DCCCLXXXIIX *capit. 21 & 23* itidem fit mentio *Capitularis dominici*: ut proinde etiam tum illius ſuperfuerit aliqua autoritas. In Concilio autem Triburienſi, ſeptem annis pòſt habito, nihil reperias, ut nec in canonibus Conciliorum Germaniæ ſequentium; ut proinde hinc detur colligere, Capitularium auctoritatem ſenſim exoleviſſe, in eorum locum ſubſtitutis Epiſtolis Decretalibus Pſeudo-Iſidorianis. Et verò notatu digna ſunt verba quæ leguntur Triburienſis Concilij procœmio: *cum conſtet omnibus divinam legem tractantibus, poſt Evangelia & limpidiſſima Novi teſtamenti fluamenta, beatorum canonibus Apoſtolorum, & ſanctorum patrum apud Nicæam Bithyniæ congregatorum conſtitutis, necnon & Apoſtolicorum Romanæ Sedis Pontificum decretis, ſatis occurriſſe, reſtitiſſe, & oppugnaſſe &c.* Quanquam enim poſſit videri hiſce verbis ſignificari Codex canonum Romanus, utpote qui in editione Moguntina inſcribatur: *Canones Apoſtolorum, veterum conciliorum conſtitutiones, decreta Pontificum antiquiora*: tamen multùm vereor ne in animo Iſidoriana commenta Epiſcopi habuerint. Sanè ex illis haud pauca iſti Patres in ſuos canones tranſtulerunt: quàmque ſerviliter tum coluerint Romanum Papam, inſolenter adeo affirmarunt, ut Gratianus illorum verba, (perperam tamen Carolo Imperatori attributa) retulerit *diſtinct. XIX. cap. 3.* Ex parte hæc ſunt cap. XXX: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam ſedem, ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum*

rendum ab illa ſancta Sede imponatur jugum, tamen feramus & piâ devotione toleremus. Quibus verbis illos Epiſcopos ad injuriam Colonienſi & Trevirenſi Archiepiſcopo non ita pridem à Papa Nicolao I factam, & horum contra Papam iſtum vindicias, reſpexiſſe, non fortaſſis eſt vero abſimile.

Sunt præterea indubie poſt Ludovicum Pium uſque ad Ottonem Magnum multa in Synodis Germaniæ conſtituta. Quamvis enim non eaquæ decebat in Epiſcopis tum fuerit pietas, & reipublicæ ſtatus propter bella civilia & Normannorum Hungarorumque excurſiones miſerrimus fuerit: tamen non omnino neglecta eſt Conciliorum celebratio, prout ſequentibus ſeculis factum & nunc paſſim obtinet. In præloquio ſane Synodi Moguntinæ Arnolpho Cæſare habitæ, ipſi Epſcopi fatentur, ſuis vitiis offenſum numen male ita Germaniam mulctaſſe; addentes: *Ecce labentibus tot annorum curiculis, nunquam nec generali nec etiam ſpeciali Synodo coadunati ſumus, ut aliquid dignũ neceſſariumve Eccleſiæ, cui annuente Deo nos præſumus, mutuis collationum ſermonibus conferremus.* Cæterùm etſi aliquot Synodorũ memoria in Annalibus illorum temporum reperiatur, canones tamen pauciſſimarum in Tomis conciliorum Surianæ & Venetæ editionis ſuperſunt. Nec enim ullius Synodi exſtat aliquid ab ætate Arnolphi Cæſaris ad Henrici II imperium, adeoque ad annum MXXIII.

Notari hoc loco merentur, quæ de Reginone Abbate Prumienſi inſeruit ſuæ epiſtolæ ad lectorem, quà hiſtoriam ejuſdem Reginonis, ſua cura primùm Moguntiæ anno ſuperioris ſeculi XXI editam, commendavit Sebaſtianus Rotenhan. *His temporibus etiam*, inquit, *quibus ſingulæ metropoles ſeparatis legibus & Romanis pontificalibus haud prorſus quadrantibus dirigebantur, Eccleſiaſtica Germaniæ decreta non minus doctè quàm laboriosè congeſſit Regino: quorum exemplar Trevirenſium*

sium Archipræsuli dicatum, apud Moguntinos Vangioneſque conſpicitur. Hæc ille. Significat autem fortaſſis libros duos Reginonis illos, de quibus ita *l. de ſcriptorib. Eccleſiaſt.* Bellarminus: *Dicitur etiam ſcripſiſſe de diſciplina Eccleſiaſtica libros duos quos extare non puto.* Cæterum viſos illos eſſe Tritthemio, nemo temerè dubitaverit expenſis ijs quæ ille tradit de Reginone libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sed & ſupereſt in bibliotheca Acad. Iuliæ antiquus codex membranaceus de diſciplina Eccleſiaſtica argumenti, libros duos comprehendens; quibus Matthias Flacius nomen Reginonis præſcripſit. Num autem hi verè ſint Reginonis iſti, etiam cùm ſecundum ederetur hoc volùmen, definire in nondũ fui auſus. Nunc nihil dubito, poſtquam & Viennenſis Cæſareæ Bibliothecæ & Moguntini alicujus mssti codicis teſtimonio id ipſum probari conſtet. Sed & unicuivis jam in facili eſt id judicare cum in lucem hoc ipſo in loco prodierit, curante Joachimo Hildebrando Academiæ Juliæ celeberrimo tum Doctore. Non autem dubito, etiam alibi ſupereſſe manuſcriptos Reginonii operis codices, & quidem noſtris illis locupletiores. Nec enim ex noſtris colligere eſt, *Trevirenſium Archipræſuli* opus eſſe *dedicatum* quod ſcripſit Rotenhan: aut jubente *Ratbodo Archiepiſcopo Trevirenſium eſſe editum*, quod refert Tritthemius. Cum Tritthemianus codex porrò tantùm *in nongenta ferme capitula fuerit diſtinctus*: haud injuria dixeris quæ reliqua ſunt adjectitia eſſe. Meretur verò opus illud aliquo in pretio haberi, quoniam inter ſequioris ævi juris canonici collectores Regino hic omnium fortè eſt antiquiſſimus.

In univerſum autem quod ad illa à Ludovico Pio ad Ottonem tempora attinet, religiosè omnia priſca inſtituta obſervata haud fuiſſe, in illis Germaniæ maximis turbis, facile eſt ſuſpi-

ſuſpicari. Multa per deſuetudinem plane abrogata, & longè alia paſſim ſaltim moribus invaluiſſe, credibile eſt.

CAPVT XIIX.

De legibus Ottonum. Ab iis Ius VVeichbildicum Magdeburgenſe non eſſe conſcriptum, aut latum.

VEnimus ad Ottonem Magnum: cui ut & ejus filio civiles leges quædam ſcriptæ feruntur acceptæ. Etenim Gloſſa Germanica Speculi Saxonici articulum octogeſimum tertium & quartum libri tertij, ab Ottone Magno anno decimo regni, menſe Iunio, eo loci ubi nunc eſt Magdeburgum, ejuſdem libri articulum octogeſimum quintum & ſextum ab Ottone Ruffo filio, anno regni ſeptimo, ſcribit conditos. Verùm quâ fide iſthæc ſcribantur, nolo pronunciare. Auctori ſanè illius gloſſæ quàm parum ſit tribuendum in hiſtoriâ, jam ſupra memoravimus. Nec tamen refellere illa nunc licet: proinde in medio ponenda; præſertim cum parum referat ſcire in re tam exigua, quid verum aut ab eo ſit alienum.

Majori famâ utrique illi Cæſari adſcribitur Ivs WEICHBILDICVM quod appellatur MAGDEBVRGENSE, magni ſanè olim & nominis & uſus. In fine illius Iuris legitur, datum illud *in anno Domini nongenteſimo quadrageſimo octavo, Imperij anno tertio.* Verùm epilogũ illum non ab eâ eſſe manu quâ ipſe liber eſt conſcriptus, ſole eſt clarius. Etenim auctor libri, de Ottonibus tanquam dudum defunctis ſemper loquitur: quin *art. III* Friderici primi & Henrici ſexti, *art. XXIIX* ejuſdem Friderici primi, *artic. LV* & alibi Ottonis quarti, conſtitutiones recitat. Ex adverſo auctor epilogi Ottonem ipſum loquentem introducit. Quod quàm ineptè cum

ptè cum ipso libro cohæreat, nemo non videt. Prodit verô etiam aliis multis notis Epilogus ille scriptoris sui impudentiam & insciti am. Neque enim dictio, utut barbara sit & inepta, cum scribendi ratione Ottonum veris tabulis usitatâ unum colorem habet: quod neminem vel leviter hoc in studiorum genere versato potest latere. Neque ille annus Christi est Imperij tertius, quum Otto demum anno DCCCLXII Imperator cœperit audire, & ab illo tempore anni Imperij ejus soleant numerari. Nec Benedictus aliquis Papa tum vixit: quin illum qui hujus nominis contra Leonem octavum intrusus est in Romanam sedem, Otto expulit & Hamburgum in exilium misit. Sunt qui à librarij manu errorem commissum in temporum notis causentur, scribendum que pertendant DCCCCXXXIX. Verùm nihil juvat commentum. Præterquam enim quod sit contra fidem manuscriptorum codicum; ne ille quidem Christi annus est Imperij tertius sed regni, quæ accuratè olim fuere distincta, nec jam tum Cæsar fuit Otto sed tantùm Rex Germaniæ, multò minus Papa aliquis Benedictus audijt. Non dubium igitur est, omnem illum epilogum ab homine quodam, studioso quidem Magdeburgensis urbis, sed omnis historiæ imperito, turpi mendacio confictum esse. Scilicet ejusdem notæ hic epilogus est cum tabulis privilegiorum, quæ ab Ottonibus, Magno ac Ruffo, conditæ à sese vel potius exornatæ urbi Magdeburgo feruntur concessæ: quas itidem intra trecentos proximos annos à falsario quodam, fallendi artem minus tamen docto, suppositas esse, certum est. Nec enim est, cur meliora suspicemur, autoritate moti Goldasti, qui tabulas illas non dubitavit inserere suis Constitutionum Imperialium voluminibus, nulla siniſtra nota insignitas. Habet enim multa similia alia: passus nonnunquam humani aliquid, præsertim in gratiam eorum quibus operam mercede locaverat.

Quam

Quamvis verò auctor juris Weichbildici candidius nobiscũ egerit, ne quidem illi tamen tutò credideris, ea omnia ab Ottonibus esse quæ in libro isto ijs adscribuntur. Certè quæ de condito Magdeburgo, de Ducatu Schartovienſe, de Iudicio Palatino Magdeburgenſe & Hallenſe ab Ottone Magno aut ejus filio institutis, narrantur, fabulosa sunt & illius ævi melioribus monumentis refragantur. Sed & Weichbildici illius juris usus longo demum pòst tempore cœpit, ut infrà ostendetur.

Nec tamen negaverimus, jura quædam Magdeburgo, quod opidum Otto maximè excoluit, esse lata, & concessas immunitates.

Id certò scimus, ab illo lata quædam de nepotum successione in bona avorum vivis patruis. Rem hanc ex Witikindo Corbejenſi monacho, Ottoni ferè coævo, recitare operæ fuerit pretium, saltim ut constet quàm rudis per illa tempora fuerit juris scientia ejusque dirimendi ratio. *De legum quoque varietate* (inquit Witekindus *gestor. Saxonicor. l. II.*) *facta est contentio, fuereq; qui dicerent, quia filij filiorum non deberent computari inter filios, hæreditatemq; legitime cum filijs sortiri, si forte patres eorum obissent, avo superstitibus. Vnde exiit edictum à rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam quæ dicitur Stela, factumq; est ut causa inter arbitros iudicio deberet examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhonestè tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igitur pars qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum est, ut æqualiter cum patruis hæreditatem dividerent, pacto sempiterno.* Hæc ille. Rem eandem narrat Sigebertus in Chronico ad annum DCCCCLII. Goldastus leges illas refert: sed quales ipse conscripsit, ex nullo autem veteri monumento acceptas. Habet idem & aliàs cum omnium Ottonum tùm aliorum ejus ævi Imperatoeum nomiuibus inscriptas,

sed

sed in universum omnes suspectæ admodum fidei: fere qualia sunt Magdeburgensia. Quædam non leges sunt sed liberales concessiones. Alia ad nos Germanicos non attinent. Cujusmodi sunt Ottonis IV tabulæ quibus figmentum donationis Constantini perstringitur. Refert Aventinus aliquid l. v de sylvis Bajoaricis in loca culta mutandis: sed nec hoc ad Legum facit negotium. Non possumus vero non huc adferre leges duas Magni Ottonis quales ex codice Moguntino additæ sunt Helmestadiensi nostræ editioni librorum Reginonis de Disciplina Ecclesiastica. Vicesimum primum enim capitulum ita sese habet: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLII Indict. IX Constitutum est in Francofurto à Rege glorioſissimo Ottone, anno illius XV, consentientibus Episcopis Comitibus aliisq; Fidelibus compluribus, Canonum SS. Patrum auctoritate nec non Capitularibus præcedentium Regum institutis coràm positis: Ne oppressio virginum aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus fiat: & ut qui rapiunt eas, sub nomine simul habitandi cooperantes & connivентes raptoribus, siquidem clerici sint decidant à gradu proprio. si verò laici anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuò maneant. Quod si posthac jungere se præsumserint, utrisq; anathematizantur.* Capit. item XXII. *Inventum est etiam coràm præfato Rege, ut nulla Abbatia, quæ per se electionem habet, ad monasterium nec alicui in privatum possit donari. Illæ vero quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus mundiburdio consistit, surrogari possint.* Hæc codex ille Reginonius: quæ tamen Reginonis ipsius non esse quilibet facile judicaverit, conscius Reginonem jam floruisse tempore Regis Conradi primi.

CAPVT XIX.

De ratione legum usq; ad Lotharium II Saxonem: de Burchardi VVormatiensis Decretorum libris, & Legibus familiæ: item de Carolinarum Saxonicarum legum additionibus; nec non Haraldinis legibus Transalbinorum, ut & nauticis VVisbyensibus.

PRæter hæc pauca verò nihil est juris quod securè Ottoni liceat tribuere. Imò nihil est hodiè legum Germanicarum quod ab Ottonis successoribus usque ad Lotharium Saxonem profectum, vel à quoquam illorum conscriptum, memoretur. Adeoque constat, nullarum penè legum, post Ludovici Pij excessum usque ad Lotharium Saxonem per integros ducentos octoginta annos promulgatarum, memoriam supereſſe. Enimverò haud dubitamus in comitijs regni publicis constituta plurima. Verùm illa aut non æque diligenter in chartam relata: aut minus religiosè nec nisi ad breve tempus, fint oportet observata. Nec enim omnium illorum oblivio adeo nunc posset nos tenere, si omnia aut servata diligenter, aut fuissent scriptis publicata. Quorum si non utrumque saltim alterutrum in Italiâ factum. Itaque adhuc extant nonnullæ leges à Regibus Germanicis in Roncalijs Italiæ campis tum latæ. Quales sunt Henrici secundi de venesicijs ac illicitis nuptijs; quas Carolus Sigonius *l. IIX de regno Italiæ* refert ad annum Christi MXIII: & Conradi secundi de beneficijs feudalibus, latæ juxta eundem Sigonium anno MXXVI. Eorumdem regum constitutiones aliæ sparsim in Corpore legum Langobardicarum leguntur. Verùm

rùm ut in Italiâ illæ latæ, ita Germaniam non attigerunt, utroque regno ſua ſibi jura ſeorſim ſemper obſervante.

Interea tamen temporis,& quidem rege Henrico ſecundo, quem ſanctum & claudum appellitant, anno MXXIII habita eſt Salingeſtadij, oppidulo ad Mœnum, Synodus: cujus canones ex Burchardo excerptos Conciliorum operi inſeruit Surius. Quod vel ideo meretur notari, quoniam Conciliorum Germanicorum neque canones neque acta niſi rariſſimè comparent.

Eodem verò tempore Decretum ſuum conſcripſit Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, viginti libris Eccleſiaſtici juris congeſtis, ex Corpore Canonum antiquo, ex canonibus aliquot conciliorum provinçialium Germaniæ Galliæ Hiſpaniæ, Epiſtolis decretalibus Romanorum Pontificum, ſcripturâ veteris Teſtamenti, ſententijs variorum Patrum, & tribus Pœnitentialibus libellis Romano Theodori & Bedæ. Quæ inter cum multa ſint ſuppoſititiæ notæ, facilè liquet quo in morbo opus illud cubet. Loca omnia ex Iſidori næniis deſumpta collegit Blondellus *proleg. præclariſſimi operis de Epiſtolis decretalibus Paparum cap. XIIX.* Hic Burchardi verò labor haud accepit vim legum publicarum ſive per Papam ſive per Cæſarem: itaque nec inter libros legum Germanicarum computari meretur, quantumvis multa contineat haud repudianda. Et verò vult videri Burchardus ipſemet in uſum ſuæ diæceſeos hæc ſcripſiſſe. In præfatione enim ad Brunichonem Wormacienſis Eccleſiæ Præpoſitum cum ſcripſiſſet, Brunichonem operam illam flagitaſſe, addit: *Et id quidem vel eâratione maximè flagitare videbaris quod Canonum jura atque Pœnitentium formæ in noſtrâ quidem diæceſi adeo confuſa ſint, atque inter ſe diſcrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni penè auctoritate deſtituta, vel modicè in Eccleſiaſticâ diſciplinâ inſtitutis*

ſtitutis apparere poſſint. Item: *Et quia hæc res ita habet, ut dilectio tua rogavit, ut opellam hanc congeſtam iunioribus noſtris legendam proponerem, quo ipſi in idonea nimirum ætate ea diſcant quæ vel ſerior æqualium noſtrorum ætas modò aſſequi non poſſit, vel anteceſſorum negligentia non attigit.* Hæc ille. Sine dubio tamen etiam alij lecto hoc libro, propter auctoritatem eorum unde hæc Burchardus collegit, res Eccleſiaſticas ſecundum hanc normam inſtituerunt: adeoque hactenus opus hoc ad ius canonicum Germaniæ ejus ævi pertinet.

Ex illâ vero Burchardi paulò ante recitata querelâ liquet, quàm miſera legum Canonicarum in Germania tum facies fuerit. Sane Capitula Anſegiſi & Benedicti non amplius videntur per illa tempora ullo fuiſſe in uſu: neque enim ex illis quidquam in libros ſuos Burchardus tranſtulit, quin imò ne verbulo quidem eorum meminit.

Idem porrò Burchardus Legem aliquam familiæ ſuæ præſcripſit, quæ adhuc extat ac Decreto ſolet jungi. Continet autem ſtatuta quædam territorij Wormacienſis: qualium ferendarum poteſtas jam illo tempore penes Principes Germaniæ fuit, utut ex iſto ævo nihil ad nos pervenerit.

Non eſt quoque vero abſimile, circa tempora Ottonis I rudimenta illa legum Saxonicarum Caroli Magni juſſu collecta, aliorum operâ aucta fuiſſe & locupletata. Meminit enim Saxonicarum legum Witikindus Corbeienſis Monachus, antè laudatus, hiſce verbis *l. 1. geſt. Saxonicor. Vſque hodie gens Saxonica triformi genere ac lege præter conditionem ſervilem dividitur.* Significat autem diverſis legibus vixiſſe Nobiles, Ingenuos, Libertos, & Servos: quarum unam inſignem Adamus Bremenſis *l. 1. cap. V.* ita memorat. *Quatuor differentiis gens illa* (Saxonum) *conſiſtit;*

consistit; nobilium scilicet & liberorum, libertorumq; atque servorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriæ sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus coniugetur libertæ, servus ancillæ. Si verò quispiam horum sibi non congruentem & genere præstantiorem duxerit uxorem cum vitæ suæ damno componat. Ita Adamus. Nihil vero ejusmodi in Lege Saxonica Carolina reperire est. Forte etiam scriptum nihil hoc de argumento fuit; sed omne illud unicè stetit consuetudine. Wittikindus tamen loco antè citato subiungit: *De legum verò varietate nostrum non est in hoc libello disserere: quum apud plures inveniatur Lex Saxonica diligenter descripta.* Verum enimvero illa quidem varietas non ad illos tres hominum ordines sed ad tres Saxonum populos pertinet, Ostphalos, Westphalos & Angrivarios, ut ex ipsomet Witikindo liquidum est. Quænam vero & illa sit *Lex Saxonica diligenter descripta* quam memorat Witikindus, vix dixeris. Carolina enim quidem Saxonica lex varietatem aliquam sæpius exponit, at *diligenter* sanè *descripta* non est, sed ruditer admodum & pernegligenter. Spangenbergius *in chron. Saxon.* annotavit, Ottonem Magnum in comitiis regni Stelæ jura Saxonum recensuisse ac solemniter confirmasse. Verùm in antiquis monumentis haud temerè legas, Stelæ aliud quid circa leges actum præter illud quod ex Witikindo supra adductum est. Itaque verosimile fit, quod ante diximus, paulatim aliorum industria quæ isthuc facerent Carolino labori adjuncta esse. Sane quicquid hujus fuit, ad nos usque perlatum non est. Nec forte est, cur dubitemus, consuetudine sensim alia atque alia invaluisse, & longè plurima vim legis habentia scripto comprehensa non esse. Prioris generis arbitror esse judicium illud crudele Westphalicum

licum das Vehmgerichte: quamvis enim illud Carolus Magnus instituisse credatur, nemini tamen hoc temerè persuadebitur, cui maximi illius viri prudentia ac probitas non ignota est, id quod alibi prolixius persequimur. Hoc ipsum tamen judicii genus jam Conradi II Salici ætate observatum esse, colligere est ex verbis Wipponis qui vitam ejus descripsit, *cap. 6. Reversus*, inquit ille, *Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum, constanti auctoritate roboravit.* Hoc scilicet Vehmicum jus solum crudelitatis nota non caret: in reliquo Saxonico jure est nihil quod hoc nomine possit accusari.

Verùm ut incertum sit illud de Saxonici juris scripti additamento; ab Haroldo tamen Dano, rege potentissimo, Ottone II circiter imperante, vicinas Germanicas gentes accepisse leges, indubitatæ fidei monumentis est proditum. Adamus Bremensis, qui Henrico IV rege historiam Ecclesiæ Bremensis conscripsit, lib. II. cap. XIX: *Certissimum est eum*, (Haroldum) *tàm nostro populo, quàm Transalbianis & Fresonum genti leges & jura constituisse, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri servare contendunt.* Haud facilè dixeris, quis *populus noster* Adamo sit, nisi Bremenses sint intelligendi: & tamen illi Haroldi imperio non paruerunt. Transalbiani Saxones ne hoc nomine veniant, vetat eorum diserta mentio. Possit videri, Adamo non de Haraldo rege sed de Adaldago Archiepiscopo Hamburgensi sermonem esse. Obscurior sane sermo est & si de Adaldago verba ista accipias, cessat isthæc dubitatio. Cæterum ad Haroldum non autem Adaldagum jam tum olim isthæc verba retulerunt cum Helmoldus tùm Albertus Stadensis qui Adamum exscripserunt. Verosimilius est mendũ subesse verbis illis, quoniam uterq; ille Adami transcriptor

aliud

aliud habent. Illius de Haroldo loquentis nullo Adaldagi facta mentione verba *Hiſtor. Sclavorum l. 1. cap. XV*, ſunt: *Hujus viri* (Haroldi) *induſtria in divinis quidem rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundanâ ſapientiâ, in his videlicet quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & jura ſtatuerit, quæ pro auctoritate viri non ſolùm Dani ſed & Saxones adhuc hodie ſervare contendunt.* Albertus Stadenſis Abbas ad annum DCCCCLXXXIV: *Ipſeque* (Haroldus) *Tranſalbianis & Freſonum genti leges & jura conſtituit, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* Illud igitur certum eſt, Holſatos, Stormarios & Dithmarſos, qui ſunt Saxoniæ Tranſalbini populi, Friſios item, ſaltim illos qui Oceani Cimbrici littora incolunt, nam in reliquis nihil Dano regi fuit juris, leges olim ab Haraldo iſto nactos. De Ciſalbianis incertius. Eſt tamen, cur & hoc affirmes, locus inſignis l. III Speculi Saxonici art. LXIV. *Multæ ſunt in terra Saxoniæ nationes, quæ ſibi aliena dicunt competere jura, ut Holſatij Heideleri & Stormerij, quorum jura & mulctas hic non ſcribo.* Heidelerij indubiè ſunt Hadelerij: quo nomine pars populi Ciſalbini circâ Stadam uſurpatur. Hi verò populi diverſa à reliquis Saxonibus jura fortè per Haroldum ſunt conſequuti. Verisimilius tamen id ab antiquiore origine licet arceſſeris, utpote quùm Witikindus Tranſalbinos illos Holſatios ac Stormarios videatur Suevorum nomine ſignificaſſe *l. 1.* dicens: *Sucvi verò Tranſalbini illam quam incolunt regionem eo tempore invaſerunt, quo Saxones cum Langobardis Italiam adiere, & ideò aliis legibus quàm Saxones uruntur.* Suaborum Holſingis, quos forte quis Holſatos eſſe dixerit, vicinorum meminerunt quoque Annales Francici à P. Pithœo editi, de Ludovico Rege Ludovici Pij filio in Saxoniam trans Viſurgim profecto ità loquentes anno DCCCLII: *Inde tranſie-*

Hoſſingi
Suabi gau
Noſſigau

transiere per Angros, Harudes, Suabos, & Holsingos, & per mansiones singulas populi causas judicans Thuringiam ingreditur. Verum quum hi Suabi Harudes & Holsingi Angris & Thuringis fuerint vicini, non Holsingorum nomine Holsatos aut Suaborum Ditmarsos intelligi, liquet. Ut alius tamen nemo forte illos Transalbinos populos Suevos appellarit; Witikindo tamen illi hoc nomine videntur venire.

Cæterum Haraldi Dani memoria monet, ut hoc loco etiam Wisbyensium legum nauticarum verbo uno & altero faciamus mentionem. Est Wisby Gotlandiæ, insulæ in mari Balthico juris regni Gothici, hodieque urbs sic satis nota, olim autem emporio vicinarum gentium celeberrima. Ab illa Vrbe profectas esse leges nauticas Transrhenanis populis usitatas, dignum sane est memoratu, etsi pauciſſimis hoc sit annotatum. Prodidit autem vir omnis juris longe peritissimus Hugo Grotius in *Floribus ad Ius Iustinian.* de Lege Rhodia p. 117.: *Lex Rhodia* (inquiens) *navalis pro jure gentium in illo mari mediterraneo vigebat: sicut apud Galliam leges Oleronis, apud omnes Transrhenanos populos leges VVisbyenses.* Jamdudum ante haud spernenda de legibus hisce memoraverat Olaus Magnus *l. 2. cap. 22.* Insignia quoque narrat Auctor Descriptionis reipublicæ Danicæ ab Elzeviriis editæ *pag. 81.* Vrbs ipsa Wisby qualis hodie sese habeat, meretur vel ob memoriam conditæ clarissimæ legis intelligi, saltem ex iis, quæ novissime tradidit eximii Itinerarii operis *l. 2. cap. 3.* Adamus Olearius. Oleron insula quæ Gallis leges nauticas dedit, satis nota est, & nihil ad res nostras facit. Operæ tamen fuerit pretium etiam illa saltim legisse, quæ de Legibus Oleroniis differit stupendæ vir lectionis J. Seldenus *l. 2. Maris clausi.*

CAPVT

CAPVT XX.

Ante Lotharium II usum aliquem juris Iustinianei in Italia superfuisse.

SVbsistendum nonnihil in Lothario Saxone, (ad quæ usque tempora Germanici juris historiam perduximus,) quoniam hoc auctore maxima legum omnium per Italiam & Germaniam, imò serpente exemplo, penè per omnem Europam, mutatio facta vulgò creditur. Communis enim penè hodiè ac recepta est fama, leges Romanas antehac sepultas, Lotharij jussu, in scholas pariter ac fora, omnibus alijs antiquatis reductas, atque ita ex eo tempore solas illas leges saltim in Italiâ & Germaniâ vim & usum obtinuisse. Quantumvis verò hæc asserantur satis constanter à viris etiam multæ eruditionis, adeo ut nunc quidem pauci (præter Fridericum Lindebrogium & Georgium Calixtum, viros clarissimos,) fortè sint qui publicato aliquo scripto contradicere sint ausi. Si licet tamen, merito dixeris,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Non difficile quidem fuerit fortassis, manifestum id facere, si per singula euntes ad monumenta prisca ejus & sequentis ævi respiciamus: verùm ita ab instituto nostro abeundum nonnihil fuerit: quod nunquam temerè committendum arbitramur. Est autem forte pretium operæ aliquantulum hic ex occasione â via digredi, saltim quò clarius appareat, per Lotharium in Germania circa leges nihil mutatum, neque jam tum cepisse apud nos Romani juris usum, secus quàm à multis existimatur. Enimvero si ab Lothario jus illud Romanum in Italiam non esse introductum probaverimus, liquet multò minus ejusmodi

quidquam in Germania contigisse. Per partes proinde omnia videamus, ac *primò* quidem num juris Romani ante Lotharij ætatem aliquis fuerit in foro usus an nullus: *inde*, num Lotharij jussu doceri illud in scholis cœperit: *mox* num eiusdem mandato, ut secundum solas hasce leges jus in foris Italiæ dicatur, sit constitutum: *denique* num ejusmodi aliquid in Germania jam tum cæperit: ordine disquiremus.

Principio igitur ad usum Romanarum legum ante Lotharium quod attinet, in Germaniâ profecto Transrhenanâ non illæ fuere sepultæ, ubi nimirum Iustinianeæ quidem nunquam floruerant, veteres non nisi fortè ad breve temporis momentum & in exiguâ parte. In Italiâ fateor ante hæc tempora proximè non eo fuisse in usu, in quo postea fuerunt; aliquis tamen locus in foro nunquam ijs non superfuit. Iam tum supra (*cap. V* videlicet) docuimus, per Ostrogothos Romanas leges in Italia non fuisse abrogatas. Nec Langobardos in ea Italiæ parte, quam occupaverant, id tentasse, itidem jam tum *cap. XI* ostensum. Multo minus ergo id factum Romæ, aut in Exarchatu Ravennatensi alijsque Italiæ locis, à Langobardica dominatione liberis. Carolus Magnus in proœmio legum suarum Langobardicarum quod *cap. XII* recitavimus, sese in Italia utramque legem *Romanam* & *Langobardam* inveniisse testatur: sermo autem illi omnino est de provincijs ad regnum Langobardicum pertinentibus. Libro secundo *Leg. Langobard. tit. LVI l. 1.* tribuitur Carolo constitutio ita sonans: *Sicut consuetudo nostra est, ut Langobardus aut Romanus, si evenerit quod causam inter se habeant, observemus, ut Romani successiones juxta illorum legem habeant: similiter & omnes scriptiones secundum suam legem faciant: & quando componunt, juxta legem ipsius, cui malum fecerint, com-*

componant: & Langobardos illos convenit similiter componere. De cæteris verò causis communi lege vivant, quam Dominus Karolus excellentissimus rex atque Langobardorum in Edictum adjunxit. Ex quibus liquet, à Carolo Romani juris usum in sat multis negotijs veteri Italicæ plebi Langobardico regno subditæ permissum. Non aliter egit Pipinus filius, quem Langobardici regni socium pater vivens accierat. Ejus constitutio paulo ante cit. titulo ita habet: *De diversis generationibus hominum, quæ in Italiâ commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde faida crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, secundum legem ipsius cui negligentiam commiserit emendet. De statu verò ingemitatis, aut de alijs querelis unusquisque secundum suam legem semetipsum defendat.*

Eodem verò tempore Romæ leges Romanas viguisse, vetant nos dubitare Annales Francici ad annum DCCCI sic loquentes: *Post paucos verò dies, jubente ipso* (Karolo) *ij qui Pontificem anno superiore deposuerunt in judicium ad ducti, & habita de ijs quæstione, secundum legem Romanorum, ut majestatis rei capite damnati sunt.* Primus Lotharius Imperator Ludovici Pij filius videtur voluisse Romanas leges abrogare: sed quò minus id fieret interceſſit Leo IV Pontifex. Verba petentis id Papæ apud Gratianum *dist. X c. XIII* hæc habentur: *Vestram flagitamus clementiam, ut sicut hactenus Romana lex viguit absque universis procellis, & pro nullius personâ hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur proprium & vigorem obtineat.* Annuisse Lotharium, sed simul plebi Italicæ optione data legem aliquam sibi eligendi, quod hactenus insolitum, colligere est ex *tit. LVII lib. II Leg. Langobard. Volumus* (inquit Lotharius) *ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere: ut tali lege, quali vivere professi sunt, vivant; illisque denuncietur, ut hoc unusquisque*

quisque, tam Iudices quàm Duces, vel reliquus populus sciat, quod si offensionem contra eandem legem fecerint, eidem legi quâ profitentur vivere per dispensationem Pontificis & nostram subiaceant. Sigonius *l. IV de regno Ital.* vult latam hanc constitutionem anno DCCCXXIIX: verosimilius autem Baronius eam refert ad annum DCCCXLVII. Quum vero sanctionem illam Lotharij is qui leges Langobardicas congessit inseruerit Corpori illius juris, oportet illam ad ætatem Lotharij Saxonis fuisse in usu: tum enim illi libri sunt conflati. Confirmatur idipsum ijs quæ Sigonius *l. IIX:* ad annum MVII annotavit. *In quibus*, inquit, *illud animadversione dignum, cum horum etiam temporum consuetudo ferret, ut omnes ederent quâ quisque lege vivere vellet, Romana Langobarda Salicâ, Bonifacium* (patrem) *Langobardam esse professum, Mathildem verò* (filiam) *Salicam. Quod ex eorum tabulis, quæ plurimæ in Ecclesia Mutinæ asservantur, cognoscitur. Quod in Patre & filio, non idem in viro & conjuge observatum, unde in eodem tabulario per hæc tempora sic scriptum invenitur: Maria, quæ professa sum lege vivere Romana, sed nunc pro ipso viro meo Lege Langobardorum vivere videor, qui professus est ex nationeſuâ lege vivere Langobardorum.* Est autem ultimum hoc consentaneum sanctionibus Luitprandi regis & Lotharij Imperatoris quæ extant *tit. 11. libr. 11. Cod. Langob.* Eam arbitrariam juris professionem ad Lotharium Saxonem usque mansisse, notat idem Sigonius in actis illius Lotharij *lib. XI.* Supersunt porrò in *Cod. leg. Langobard. l. 11. tit IIX. & XLVII* Henrici II Cæsaris, qui ejus nominis tertius est Germaniæ rex, constitutiones duæ: quarum priore antecedentium regum leges confirmantur, alterâ deciditur quæstio nata ex diversis legibus Codicis Iustinianei de juramento clericorum.

Ex hisce omnibus verò clarissimum est, illo tempore Roma

Romanas leges non in nullo fuiſſe uſu : adeoque nemini non liquet, ante Lotharium Saxonem non fuiſſe leges illas in Italiâ prorſus ſepultas : contra quàm à multis hodiè traditur. Imo in ipſa Galliâ etiam tum juris Romani obſervatio aliqua ſuperfuit. Etſi enim Gothorum in Hiſpania reges Romanum jus omne tandem aboleverint, Burgundiones tamen & Franci id minimè commiſerunt. Extat ſane Papiani liber *Reſponſorum*, qui Gundebaldi Burgundionum Regis mandato creditur ex Romano jure collectus. In regis Dagoberti temporum hiſtoria ita loquitur Aimoinus *l. IV. cap. XXV. Idcirco in publico Francorum conventu, à quibusdam proceribus ſecundum leges Romanas, (quæ ſanciunt à paternâ eos dividere hæreditate debere qui noluerint interfecti necem vindicare) omnibus paternis exſpoliati ſunt bonis atque inanes relicti.* Gregor. Turonenſis *l. IV cap. XXIV* á Guntrammo Clotharij I filio ſcribit Celſum quendam Patricium creatum, *in certis tumidum, in reſponſis oportunum, & Iuris Lectione peritum.* Idem *cap. XLVI.* Andarchium quendam laudat *legis Theodoſianæ libris eruditum.* Et verò ipſe Carolus M. Codicem Theodoſianum Aniani xx anno regni ſui, ut habet antiquiſſima illius operis præfatio, confirmavit. Lex Ribuaria tit. LX : *Eccleſia lege Romana vivit.* Additione IV Capitular. Carolinor. *c. CVII* decernitur, Sodomiticum crimen igne expiandum, auctoritate legis Romanæ. Sed & in Formulis ſolennibus Marculphi, quæ Carolinis temporibus in Galliâ ſunt conſcriptæ, frequens admodum mentio fit Romanæ legis. Diſertè *formul.* CXXXXIIX adducitur Corpus Theodoſianum. Ex quibus manifeſtum, ſaltim ijs temporibus non omnino nihil in Gallia jus Romanum valuiſſe. Fortè nec pòſt omne exſpiravit.

Quicquid verò de Galliâ ſit, in Italiâ non deſiiſſe omnem

ejus juris auctoritatem, modò oſtendimus. Et verò videtur illud in Galliâ quidem ex Codice Theodoſiano aut ejus Epitome ab Aniano confectâ, in Italiâ ex Codice Iuſtinianeo deſumi ſolitum. Neque enim Iuſtiniani opus vim aliquam in Gallia, illo tempore Romanis per Francos erepta, potuit invenire: neque Iuſtiniani Codex ſed Theodoſij laudatur à Marculpho. Similiter Carolus Magnus ipſe non Iuſtinianeum ſed Anianeum Theodoſij codicem confirmavit, ceu modo dictum eſt. Nuſquam etiam legere eſt ex Iuſtinianeo Codice aliquid in Capitularia Francorum translatum: contra ex Theodoſiano petitæ quædam leges *l. 6. cap. 281.* in Collectione Anſegiſi & Benedicti. Gerbertus Archiepiſcopus Remenſis, pòſt Sylveſter II Papa audiens, epiſtola ad Wilderodum Argentinæ Epiſcopum, adducit quidem aliquid item ex Novellis Iuſtinianeis; verùm omne illud eſt ſimul Iuris naturæ, additque Gerbertus, idem *Eccleſiaſticos canones fieri jubere*: quin videtur ille Gerberti locus deſumtus ex epiſtola Ioannis VIII Papæ, quam paulò poſt etiam ipſi citabimus. Exemplo tamen Romanæ Eccleſiæ, quæ Novellas Juſtinianeas ſemper atque adeo tum etiam in precio habuit (uti paulo poſt plenius narrabitur) Novellis illis Juſtinianeis in Eccleſiaſticis cauſis etiam per Galliam aliquid auctoritatis datum eſſe, ex quo à Pipino uſq; Rege major ſolito Romanæ illius Eccleſiæ inter Francos cœpit eſſe reverentia, non equidem negaverim. Hinc ſane videre eſt, ad Novellas etiam ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo eſſe provocatum, & poſt ab Ivone Carnotenſi Epiſcopo. Non aliâ de cauſſa videntur iſthac tempeſtate nonnulli in Gallia Novellis Juſtinianeis addiſcendis operam impendiſſe. Quod feciſſe Abbonem patrem Odonis Cluniacenſis, in hiſtoria vitæ Odonis illius teſtatur Joannes Italus: *Veterum* in quiens

quiens *historias & Iustiniani Novellam memoriter tenebat.* Vtut verò sit, omnis illa etiam Novellarum observatio intra pauca negotia Ecclesiastica stetit: de cætero nulla fuit Justinianei juris per Galliam habita ratio.

Ex adverso, devictis Gothis magna Iustiniani per Italiam omnem fuit existimatio, itaque à præsidibus ejus publicatum per Italiam esse novum illud juris Corpus, non est dubium. Huc facit pragmatica illa Iustiniani, cujus initium: *Pro petitione Vigilij venerabilis antiquioris Romæ Episcopi, quædam disponenda esse censuimus, ad utilitatem omnium pertinentia qui per occidentales partes habitare noscuntur.* Ita etiam habet artic. x: *Iura insuper vel leges codicibus nostris insertas, quas jam edictali programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus; sed & eas quas postea promulgavimus constitutiones jubemus sub edictali programmate vulgari, & ex eo tempore, quo sub edictali programmate vulgatæ fuerint, etiam per partes Italiæ obtinere, ut unâ volente Deo sacratâ republ. legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas.* Iustinianei porrò illius universi operis laus luculenta exstat & in historia Langobardica *l. 1. cap. 25* Pauli Warnefridi hominis Langobardi, ut seorsim Novellæ commendantur *Historiæ Miscellæ l. XVI cap. 2:* unde ejus in vulgus opinionem discere est. Quin & Ioannes VIII vel IX Papa, quem seculo nono constat sedisse, in concilio Tricassino circa annum DCCCLXXXIIX in hæc verba scripsit: *Vnde nostra serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis ubi habeatur de sacrilegiis, invenimus ibi à Iustiniano Imperatore legem compositionnis sacrilegij constitutam in quinque libras auri optimi.* Non multo antè etiam adduximus Henrici II Cæsaris constitutionem, quâ variæ leges Codicis Iustinianei quasi conciliantur. Neque verò in ejus ævi scripto aliquo in Italiâ edito ullam temerè Theodosiani codicis memo-

memoriam reperias. Ætate tamen Langobardorum regum manſiſſe in uſu quædam juris Romani ante Iuſtinianum uſitati, per fecit veroſimile, ſecus quam Cujacio eſt viſum, Salmaſius *Diſquiſit. de mutuo p.99.*

Notandum porrò, nihil ex Pandectis adductum eâ ætate legi, ſed interdum ex Codice: plærumque autem ex Novellis. Vnde colligere eſt, Codicis & Novellarum uſum aliquem non vero Pandectarum fuiſſe. Ivo Carnotenſis, quem conſtat floruiſſe uſque ad annum MCXIV, adeoque proxime ante Lotharium, ætate Mathildis, ſcripſit ep. 280: *Inſtituta legum Novellarum quæ commendat & ſervat Eccleſia Romana.* Ne vero quis exiſtimet, tum primùm Novellas aliquam nactas dignitatem, facit Ioannes IIX Papa *ep.163.* monens Epiſcopos quoſdam, ne Bicherrinum quendam præcipitata ſententia excommunicent. *Scitote*, inquit, *quemadmodum in C. cap. Africani Concilij legitur, ſimiliter in 2. Novellar. Iuſtiniani libro, ut nemo Epiſcopus aut presbyter aliquem excommunicet antequam cauſa probetur.* Hincmarus item Archiepiſcopus Remenſis ita locutus erat jam ſeculo nono, in Opuſculo contra nepotem ſuum cap.17. *Sed & leges Romanæ ab Imperatore Iuſtiniano promulgatæ, quas probat Eccleſia, decernunt de Epiſcoporum ſive metropolitani ſui auctoritate, profectione &c.* Ejuſdem verba ſunt Opuſc.47. cap.32. *Anni triginta ſecundum leges publicas, & juxta conſtitutionem Eccleſiaſticam, ut demonſtrat Gelaſius Papa, humanas adornant quæſtiones, & Iuſtinianea lege ac Decreto B. Gregorii ex eadem lege promulgato, negotia inter venerabiles Eccleſias ac Monaſteria locaq; publica anni quadraginta determinant.* Idem l. de divortio Lotharii & Thetbergæ in Reſponſ. ad Interrogationem V egregiè differit de auctoritate Legum Cæſarearum in rebus etiam Eccleſiaſticis, addens: *Damaſus & Leo atque S. Gregorius legum ſententias fecerunt eſſe*

canoni-

canonicas, sicut in eorum invenitur Epistolis. Et commonitoria ad Ioannem Defensorem euntem in Hispanias (innuit autem epistolam LI libri XII.) *B. Gregorius de sacris ordinibus per totum ex legalibus confecit institutis.* Hæc ille. In Epistola autem ista Gregorii Magni omnia ex Codice duntaxat & Novellis sunt collecta. Vnde patet, Codicem & Novellas Justinianeas in foro etiam fuisse Ecclesiastico quodammodo receptas. De Pandectis autem nihil reperio. Et verò rarissima fuisse Pandectarum exempla paulò post audimus, ex Taurelli aliorumq; narrationibus. Observandum porrò Novellarũ codicis nomine fuisse tum in usu, partim quem contraxit in Epitomen Julianus, partim veterem translationem. Id sane patet conferentibus, & cumprimis ex verbis Joannis Papæ ubi liber secundus adducitur, utpote quum binos in libros illa Epitome secta sit. De veteri autem interpretatione post alios id præclarè demonstravit JCtus nemini hodie secundus & amicus noster Joannes Strauchius *Irnerii non errantis cap. 3. §. 5.*

Quantumvis autem aliquis fuerit Codicis & Novellarum in Italia usus, fatemur tamen perquam illum fuisse rarum; usque adeo ut deniq; Pandectæ ferè in nullius, Codex in paucorũ, Novellæ adhuc in pauciorum fuerint fortasse manibus. Et posterius quidem inde etiam colligere fuerit, quod Bononienses Doctores Epistola ad Nihusium scripta Odofredo teste doceant, post Codicem & Digestum, *librum Autenticorum demùm inventum esse ab Irnerio.* Non nisi Novellarum autem Epitome sub Novellarum appellatione usos etiam Irnerium, Bulgarum, Azonem, Joannem, Accursium, post alios monuit Jacobus Gothofredus harum rerum si quis alius dum viveret peritissimus.

Vt in breve igitur contrahamus quæ hactenus disputata

tata sunt, ita se res habet. Ante Lotharium in Italiâ juris Romani, & quidem maximè Justinianei, usus aliquis arbitrarius superfuit, exiguus ubivis, frequentior tamen Romæ inque aliis Exarchatus locis quàm in regno Langobardico, Novellarum præcipua fuit auctoritas in rebus Ecclesiasticis nonnullis.

CAPVT XXI.

Quod vulgò asseritur, Justinianeas leges in scholas Lotharii jussu & auctoritate esse reductas, id non tantum incertum sed & falsum esse.

AD alterum pergendum, & num Lotharii jussu doceri cœperint in scholis Leges Justinianeæ, inquirendum.

Constat quidem, circà hæc tempora Bononiæ cœpta iterum juris studia: verùm an auctoritas ac mandatum aliquod Lotharij Cæsaris accesserit, id verò est quod quæritur. Vt negemus potius quàm affirmemus, inducimur nos quidem duplici argumentorum genere: quæ tamen in ejusmodi quæstionibus, si non unicè, saltim maximè valent. Alterum est: *quod nullo antiquo monumento fide digno Cæsari isti Iuris studia referantur accepta.* Alterum: *quod optimi quique veterum ea de novo exordio studij illius, Lothario item & Bononiensium rebus, narrent, quæ probant haud obscurè, nullam Lotharij auctoritatem ad juris illius interpretationem accessisse.* Prior argumentatio demonstrat incertum esse hoc omne, adeoque temerè idipsum vulgò nunc affirmari. Posterior sententiam illam vulgarem etiam falsi convincit. Neque verò humanarum rerum tutò quid affirmes hodie, quod ad nos priscis monumentis delatum non est: multo minus

minus asserere licet quod antiquis fide dignis testimonijs adversatur.

Est autem longè certissimum, non in ullo sive historicorum sive aliorum scriptorum monumento paulò vetustiore Cæsari Lothario attribui initia studiorum juris Romani reparatorum. Enimverò optimâ fide scribit Calixtus noster. *Invaluit hodie opinio, auctoritate jussúq; Lotharij, quem & Luderum vocant Helmoldus & Albertus Stadensis, Iustinianéum jus in scholas & forum revocatum fuisse. Sed id nemo veterum mihi lectorum vel verbulo innuit, nedum adserit. Otto Frisingensis, Imperatorum Henrici IV è filia nepos, Conradi III frater, Friderici Ahenobarbi patruus, qui eâ ipsa ætate vixit, geminam Lotharij in Italiam expeditionem commemorat: de VVernero & jure veteri revocato ἀδὲ γεύ; rem tantam & adeò memorabilem utique non prætermissurus, si ita, ut creditur, sese haberet. Tantundem Dodechinus, Robertus de monte, Helmolaus, Albertus Stadensis, Gobelinus, Vincentius, Antonius, Blondus, Trithemius, Volaterranus, Egnatius, Sabellicus, Nauclerus, Cuspinianus. Adde quod nec Centuriatores Magdeburgici, nec Card. Baronius, qui omnes pluteos omnia scrinia excusserunt, ullam ejus rei mentionem faciant.* Hæc Calixtus, & verissimè quidem. Addo ego: ne in alijs quidem proximorum seculorum barbaris historicis, qui multis voluminibus in Germaniâ & alibi prodierunt, quidquam hujus legi. Lovanienses sanè à Nihusio hac de re rogatos, tantum abest vetustum aliquid promere potuisse pro adversa sententiâ, ut ingenuè sint fassi niti se *præcipuè Forsteri fide.* Ne Ioanni quidem Sleidano fuisse lectum aliquod vetustum hujus rei monumentum, apparet ex ejus hisce verbis *l. 3. de quat. summis Imperiis*, ubi de Lotharij agit itinere Italico: *In lucem quoque tunc revocatum fuisse traditur bellorum tempestatibus oppressum*

sum Ius civile, quod Iustiniani Cæsaris mandatu consutum esse diximus. Fortè tamen nec Sleidano mens fuit verbulo *tunc* iter Italicum Lotharij præcisè significare.

Non tantum verò nihil typis est hactenus publicatum paulò antiquius fide dignum pro illa populari sententiâ testimonium, sed ne in archivis quidem latere aliquod hactenus non editum, meritò collegeris inde, quoniam ne Bononiæ quidem, ubi juris renovata illa studia cœpisse constat, nihil hujusmodi reperitur. Id ut affirmemus, non Sigonius tantùm sed & ipsi illi Bononienses, qui Bartholdo Nihusio nuper de Irnerio percunctanti responderunt, nos permovent. Non est enim quod dubitemus, Sigonio nihil non lectum quod in Bononiæ tabulariis veterum est monumentorum. Quam sanè diligentiam in Regno Italiæ describendo adhibuerit, ipse haud subticet epistola qua libros de Regno illo Iacobo Boncompagno inscripsit. *Hic statim*, inquit, *magna illa, qua ceteros quoque video circumventos fuisse, difficultas occurrit: undenam res tam antiquas tam obsoletas tam dispersas eruerim, quas constaret à nemine accuratè fuisse memoriæ consecratas. Valuit hoc quidem plurimum ad meam in hoc officio debilitandam ac prope frangendam industriam. Verum contrà tanta fuit meæ in hoc quoque genere operæ probandæ cupiditas, ut, quod postea experiens sensi, nulla rem aggresso subsidia defutura sperarem, si modò ad ea conquirenda paulisper animum adiecissem. Quamobrem ad perscrutanda omnia, sive manifesta sive occulta, ad hoc studium quoquo modo pertinentia monumenta, conversus, primùm omnes mihi, sive profanarum sive sacrarum actionum, qualescunque essent, commentarios comparavi: deinde vetera Italiæ, & maxime Lombardiæ, tabularia perlustravi, atque omnia fere quæ apud civitates, ecclesias, monasteria, pontificum, regum atque Impera-*

peratorum diplomata residebant, aut præsens inspexi, aut certe absens beneficio amicorum hospitumq; cognovi: postremo singularum etiam chronica civitatum, quæ post millesimum à Christo annum confici in Italia cæpta apud privatas nunc etiam familias asservantur, adiunxi. Ita his omnibus assidua opera ac flagranti studio lectis, & rebus temporibus locis ac personis inter se accuratissimè comparatis ac judicatis, fallacibus plerisque hujus operis angustiis, quæ obstare videbantur, occurri. Hæc Sigonius. In illo autem opere de Regno Italiæ l. XI res Lotharij omnes diligentissimè quidē ex antiquis monumentis persequitur: non nisi ex recenti tamen fama aliquid subiungit de reducto in forum auctoritate Lotharij jure Romano, studia autem juris (quo de negotio nunc agimus) & quidem Lotharij jussu in scholas revocata esse, ne quidem ex fama vulgari narrat, minimè profecto id silentio præteriturus si quid ejusmodi Bononiæ aut alibi fide dignum reperisset. Recitabimus verba viri doctissimi, quæ ipso obitu Lotharij jam enarrato annectit. Constans doctorum hominum monumentis est fama, Lotharium, ut ex uno Iure civili Romano post hac judicia fierent, lege sanxisse. Ante hoc tempus Italici certe alij Longobardica alij Salica alij Romana lege utebantur; inposterum autem omnes uni juri, uniq; legi, reliquis abrogatis, nempe Romanæ obtemperarunt: jusque civile publicis Italiæ in gymnasiis majore celebrari studio & diligentiore coli opera cæptum. Primus autem Bononiæ Irnerius exponere cæpit, ut Odofredus memoriæ prodidit; primusque glossas, ut vocant, in illud scripsit, quem deinde alij sequuti certatim illius sunt industriam æmulati. Hoc autem sensisse quoque videtur Vrspergensis, cum Irnerium regnante Lothario ad Pandectas interpretandas accessisse scribit; in eo tamen aperte falsus, quod Mathildis rogatu id suscepisse muneris ait, quæ multo ante Lotharij Imperium è vitâ migravit.

Hæc Sigonius. Idem & *libro XV* doctrinæ Iuris mentionem facit; verùm ne ibi quidem Lothario tribuit revocationem ejus in scholas: imò ita loquitur, ut facile appareat Cæsareum aliquod mandatum non accessisse. *Post Lotharij* (inquit) *Imperatoris decretum* (cujus scilicet meminit libro XI) *cum jus Romanum toto ferme occidente celebraretur, multæ civitates ejus sibi interpretandi negotium asciverunt, sed nullo loco aut illustriore doctorum cum laude, aut majore studiosæ inventutis celebritate, quam Bononiæ. Nam Bononienses primi Pandectas inventas ex loco superiore exponere, primi glossas, quas vocant, in eas scribere instituerunt, Irnerius, Bulgarus, Hugo, Iacobus, & Martinus: ijdemque ubi sui non supperarent, peregrinos, ingenio doctrinaq; florentes, stipendio conduxerunt.* Hæc iterum Sigonius. Neutro sanè loco affirmat, mandatu Lotharij Ius cæptum doceri, quod tamen Sigonij his testimonijs conantur nunc probare in nupero illo responso de Irnerio Bononienses. Quis crediderit verò reperiri Bononiæ monumenta certæ fidei de Lotharij hoc jussu, quum ne Sigonius quidem affirmare id sit ausus?

Clarius idipsum liquet ex ejusdem doctissimi viri Bononiensi Historia, quam post opus de Regno Italiæ ex ipsis tabulis Bononiensium vetustissimis concinnare aggressus, perductâ rerum serie ad annum MDLXXXIII, operi immortuus est. Nihil & ibi legas de edicto isthoc Lotharij. Imo in argumento historiæ anni MCII hæc verba habentur: *Irnerius Philosophiam Bononiæ docens, Mathildis rogatu Pandectas interpretari cæpit, & primus glossas in eas scripsit.* Itaque Sigonius profecto studiorum juris innovatorum laudem non Lotharij mandato sed Mathildis rogatui disertè adscripsit: non sanè id facturus si quæ Bononiæ monumenta reperisset in contrarium euntia. Sudat hîc

hìc miserè Nihusius in suo corollario ad Apologeticum, *Argumenta non esse Sigonij: nec certè si supereſſet pro suis hæc agniturum: nec reperiri hanc narrationem in ipsa Historia: Irnerium anno illo secundo forsan nondum fuisse natum, ut qui decesserit anno MCXC: Sigonium fortè non ex propria sententia scripsisse: denique ultimam manum operi non esse impositam.* Cæterùm quisquis illorum argumentorum sit autor: Sigonium in ipsa Historia idem tradidisse, sed à Senatu Bononiense id expunctum, ex Vrbis illius tabulis propalarunt nuper ipsimet à Nihusio consulti Bononienses Doctores. *Nec te turbet,* (inquiunt) *quod Sigonius de rebus Bononiensibus sub anno centesimo secundo supra millesimum ex Vrspergensi retulerit, Irnerium Pandectarum interpretationem jussu Mathildis fuisse auspicatum: quia cum Sigonius interierit nec dum Historia Bononiensi absoluta, Illustrissimi Senatus decreto, ne Auctoris fides labasceret, id suppressum fuisse, publica Vrbis testantur tabularia.* Iidem rectè demonstrarunt, Irnerium jam ante annum CIↃ C LX, si non quinquagesimum, è vivis excessisse: ut liqueat inanem esse etiam illum Nihusij prætextum de sero obitu Irnerij. Quod porro causatur Nihusius, ex aliena sententia loquutum Sigonium, adfertur sanè etiam à Bononiensibus istis. Verba illorum barbara sunt: *ibi se gerit Sigonius non ut comprehensor, sed ut purus relator opinionis Vrspergensis illius, quam alibi in Historia de Regno Italico consultò oppugnavit.* Etsi autem Sigonij verba ipsiusmet manu exarata non liceat nobis legere, falsum tamen esse quod Bononienses illi ac Nihusius dicunt, haud difficile collectu est. Quî enim Vrspergensis sententiam sine addita censura recitaverit Sigonius, quam alibi rejecit: cum ad Bononiensem historiam inprimis pertineat accurati quidquam de tanto negotio definire? Ecquid præterea causæ habuerit Senatus

Bono-

imò multo ante, ut patet ex Morena

Bononienſis inducendi atque ex Hiſtoriæ corpore per decretum delendi nudam alienæ ſententiæ recitationem? Certè ſi verum eſt (quod Bononienſes ſcribunt) factum illud eſſe, *ne Auctoris fides labefieret*: probaverit Sigonius Vrſpergenſis hiſtoriam, neceſſum eſt. Neq; enim ſententiæ fideique tuæ quicquam derogas, ſi referas quid fortè alijs ſit viſum. Quid, quòd illa omnia quæ in Argumento habentur, non prodiderit Vrſpergenſis? Neque enim ille tradidit, *Irnerium Bononiæ philoſophiam docuiſſe aut jus cœpiſſe interpretari circa annum MCII*, aut *cœpiſſe tunc Pandectas exponere*; ne quidem diſertè dixit, ab Irnerio *gloſſas juri eſſe additas*. Quæ omnia cum docuerit Sigonius, non profecto ille Vrſpergenſis hiſtoriam recitavit, ſed ſuam ipſe ſententiam prodidit. Fateor ultimam Bononienſi Hiſtoriæ illi manum à viro doctiſſimo non eſſe impoſitam: nullum tamen eſt dubium, huic ſententiæ illum immortuum eſſe: neque fidem apud illum inveniſſe quæ de Lotharij mandato circa legum Romanorum profeſſionem vulgo narrantur. Indubiè ſcilicet etiam id tradidiſſet, ſaltim eo opere, quo res Bononienſium, quorum in clientela & ſtipendio vivebat, illuſtrare inſtituit, cum primis haud neſcius illam de Lothario fabulam præ alterâ de Mathilde narratione populo placere. Sint vero etiam hæc Sigoniana de Mathilde fabuloſa: hoc tamen nemini non patet, Sigonio haud lectum eſſe monumentũ aliquod vetuſtum, unde de Lotharij illo ſcito poſſit nobis conſtare. Lecta verò illi ſunt Bononienſium omnia. Ac proinde nec Bononia hujuſmodi quid habet. Quod nos probandum ſumpſimus.

Hunc defectum monumentorum priſcorum non minus ex ipſorummet Bononienſium Doctorum nupero reſpon-

reſponſo de Irnerio, firmâ licet collectione comprobare. Ipſi enim glorioſis adeo verbis operam & diligentiam ſuam commendant, ut ſuperſtitum monumentorum quidquam eos fugiſſe penè nefas ſit ſuſpicari. *Omnia Patriæ monumenta*, ajunt, *curioſè perluſtravimus, omnia veterum interpretum ſcripta ac edita, Odofredi vel maximè qui præceptores Irnerio coævos audivit, aſſiduè obvolvimus; ſolum tandem annalium Italicorum ac Patriæ vomere laboris invertimus.* In epiſtola ad Nihuſium, quam hic famoſo libello, cui *Suſcitabulo* nomen, inſeruit; *poſtulanti tibi*, inquiunt, *quicquid erat in ſcriniis hujuſce generis teli in uſus tuos contulimus.* Tanta profeſſos, ecquis dubitet, invento antiquo aliquo documento, maluiſſe ad teſtimonia heri & nudius tertius nata, Sigonij videlicet Alidoſij & Ioannis Bonifacij provocare? Sanè de hominibus paulo doctioribus id nemo ſuſpicabitur. Multò igitur minus credere id fas eſt, de ijs, quos ſaltim Romanæ & Pontificiæ leges vetant ignorare, qualis eſſe debeat teſtis idoneus. Meminerunt tamen, dixeris, *legis cujuſdam conditæ per Lotharium de jure civili in ſcholis publicè interpretando.* Ita quidem eſt. Vtinam verò in medium produxiſſent illam ex Bononiæ ſuæ tabularijs! Certè factum id oportuit: neque alio teſtimonio amplius fuiſſet opus. Hactenus ſcilicet ejuſmodi lex edita non eſt. Codici certe Iuſtinianeo aut Novellis non eſt inſerta. Ne quidem Goldaſtus, quo majore diligentia nemo temerè Germanicorum Cæſarum conſtitutiones collegit, vel gry ejus publicavit. Quid? quod ipſi Bononienſes ſatis prodant, aut planè nihil illius legis ſibi viſum, aut non niſi ejus fragmentum. Neque enim, ubi res poſtulabat, illam in teſtimonium vocant, aut fidem ejus urgent: quomodo fieri & ſolet & pareſt. Tantum obiter, & frigidè, in re nihili,

nihili, verbulo laudant. Quum enim dixissent, Comitijs Roncalienſibus anno MCXXXVI de jure dicundo actitatum, idque Sigonij verbis probassent, addunt: *& ſumitur ab exordio legis* CVIVSDAM *conditæ per Lotharium de jure civili in ſcholis publicè interpretando.* Non lectam autem ipsis integram aliquam ejusmodi legem, manifestè produnt, quando disertè fatentur, OPINARI *sese* illam latam *ab anno centesimo tricesimo ſeptimo ſupra milleſimum.* Cui profecto conjecturæ non fuisset locus, si constitutio aliqua suis numeris absoluta in manus illorum incidisset. An aliquid Lotharij nomine fortè circumfertur, ejusdem commatis cum Theodosij secundi tabulis, de bonarum artium studijs Bononiæ docendis? Equidem, si quid tale est quo usitatæ leges in foro simul abrogantur, (nam & hoc legi illi tribuunt Doctores isti) haud dubitaverim non has minus Lotharij quam illas Theodosij nomine confictas chartas, quisquilijs accensere, dignis quæ piper amiciant, ne quid dicam gravius. Scilicet infra sole clarius faciemus, Lotharij iussu nihil veterum legum esse antiquatum. Neque est cur existimemus, Doctoribus istis imponi haud potuisse suppositiâ quadam Lotharij sanctione: quum non obscure ijdem approbent ineptam illam insulsam & barbaram Theodosio adscriptam sanctionem, quam recitat Middendorpius *l. IV de Academ.* Hæc enim est, quâ Bononia scholæ suæ initia in Theodosium refert: quod & hi Doctores faciunt. An fortè ne commentitium quidem hujusmodi Lotharij Cæsaris de juris disciplinâ monumentum aliquod supereſt? Suspiceris id meritò attentius expensis Bononiensium illorum verbis. *Quo anno* (de MCXXXVI sermo est) *mense Novembri, cum ferè omnes Itali Principes in Roncalijs convenerint, ut de jure miniſtrando ſubditis Imperij, & Italis vel maxi-*

maximè, quàm graviter disceteretur, enarrante Sigonio de regno Italiæ l. XI & sumitur ab exordio legis cujusdam conditæ per Lotharium, de jure civili in scholis publicè interpretando. Narrat sanè Sigonius, illo anno in Roncalijs regni Italici procerum comitia habita, recitat quoque ille exordium legis à Lothario tum promulgatæ, quæ & codici legum Langobardicarum est inserta, ab hisce verbis incipiens: *Cum apud Roncalias, secundum antiquorum Imperatorum consuetudinem, pro justitia ac pace Regni componendâ consederemus.* Vereor itaque, ne hoc ipsum proœmium venditent nobis Bononienses isti pro exordio legis de jure civili interpretando. Si factum, profectò periniquè est factum. Nihil enim lege illâ, de docendo jure, sed de bonis feudalibus, ne quis illa injussu seniorum, quos vocant, distrahat, cautum est: ut rectè scribit Sigonius & ex ipsius legis passim obviæ verbis est notissimum. Nullo verbulo autem innuit Sigonius, actum esse de docendo jure: neq; id ex legis illius proœmio est colligere: nisi fortè trahenda huc putes illa: *pro justitia componenda*: quod explodi potius meretur quâm confutari.

Igitur ex ipso etiam illo Bononiensium doctorum Responso fit manifestum id quod diximus: nullum Bononiæ reperiri antiquum monumentum de Iure Romano per Lotharium in scholas reducto. Non minùs verò id confirmare est ex ijs, quæ Nicolao Alidosio civi Bononiensi, quo præcipuè teste nituntur, doctores illi attribuunt. Huic videlicet *summis vigiliis indefessisq; laboribus octo perlustrata tabularia publica, ac cœnobiorum archiva studio pertinaci excussa*: scriptosque ab illo libros de Scholæ Bononiensis doctoribus, cumprimis de Iureconsultis. Memorat is quidem, Lotharij jussu Irnerium Romanas leges interpretatum esse: sed cum dicit, factum id circa annum MCXXIIX (quod

à vero esse alienum rectè observatum nostris Bononiensibus doctoribus) prodit profectò, ex famâ id potius scriptum quàm vetusti testimonij fide. Meretur verò & id observari: à Bononiensibus nostris tantùm *ex præfatione Alidosii in libr. de Doctoribus juris Bononiensib.* illa de Lothario adduci: unde conjicere est, ipso in opere non esse ab Alidosio isto productum aliquod monumentum vetus Lotharij. Si autem ejusmodi quid nec est Alidosio visum, quid amplius dubitemus asserere, ne quidem hujus quidquam Bononiæ superesse? Tantum igitur abest, Alidosij testimonio firmari famam illam, ut nullo æquè pateat, omni eam certitudine destitui.

HACTENVS ergo luculentè ostensum est, ni fallor, saltim temerè vulgò Lothario auctori adscribi Iuris Romani in scholas reductionem. Idem nunc etiam falsitatis convincemus, eo argumento: quod antiqua & fide digna monumenta quotquot hanc rem attigerunt, longè alia de primordiis renovati studij Iuris Romani prodiderint. Conradus Abbas Vrspergensis qui unus omnium sequioris illius ævi historicorum tantam rem memorare non neglexit, cum de Lothario secundo fecisset verba ita addit; *Hujus temporibus magister Gratianus canones & decreta in unum compilavit. Eisdem quoque temporibus dominus VVernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renovavit; & secundum quod olim à divæ recordationis Imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis fortè verbis alicubi interpositis eos distinxit.* Mathildis quidem & Gratiani tempus non accuratè ad Lothariani Imperij annos quadrat: non Lothario autem resuscitati juris studij laudem aliquam tribuit Vrspergensis sed Mathildi. Nec temerè tamen ille præteri-

isset

isset Lotharium, si quas partes fama hac in re Lothario tum tribuisset. Fuit enim ipse Vrspergensis ut historiæ ita & legum studiosus (ut aliàs dicetur) nec Lotharij ætate multum inferior. Quum enim ille humanis excesserit anno MCXXXVII, hic (quemadmodum ipse testatur) factus est presbyter anno MCCII, quinquennio pòst monachus Præmonstratensis, iterùm octavo post anno constitutus Abbas Vrspergensis. Quî ergo tanti facinoris recens adeo fama hominem doctum & harum rerum studiosum latuisset, si quid in hanc rem jam tum de Lothario fuisset vulgatum? Ridiculum est quod scribere non erubuit Nihusius; *Vrspergensis hæc ab initio statim ab hominibus doctis esse reiecta:* quum tamen neminem ex paulò antiquioribus nominatim potuerit laudare qui rejecerit. Bononienses in suo Responso tria cumprimis objectant: *primum* est, quod Mathildis & Lotharij ætas non inter sese congruant; *alterum* quod Bononia nunquam paruerit Mathildi, adeoque à Mathilde non potuisse Iuris disciplinam instituì; *tertium*, non potuisse à Mathilde in omnem Italiam juris Romani usum introduci, cum non omni Italiæ imperaverit. Verùm enimvero, *ultimum* quidem illud ad Vrspergensem nihil: neque enim ille Mathildi adscribit usum juris illius in foro. *Primum* jam fassi sumus: παχυλῶς nimirum quædam ab Vrspergensi heic dicta. *Secundum* verò nullius est contrà Vrspergensis quidem rationem ponderis. Esto enim; Bononiam extra ditionem Mathildis fuisse: nihilominus tamen Irnerium Bononiæ degentem docentemque illa rogare potuit & ad jus renovandum permovere, quod unum Mathildi Conradus attribuit. Saltim hoc igitur ex Vrspergensi discimus, non primùm Lotharij jussu sed jam ante principatum

cipatum illius, Mathilde obstetricante, ab Irnerio Romani juris disciplinam aliquam institutam.

Porrò etiam illa quæ ab Henrico Cardinale Ostiense, & Odofredo Bononiense Iurisconsulto, duobus maximis auditoribus Azonis, (quem discipulos Irnerij audivisse & anno MCCXV obiisse, constat) de origine renovati Romani Iuris narrantur, nihil de Lothario habent, sed non obscurè innuunt, privato potius studio omnia isthæc cœpisse. Henrici verba hæc ipsi Bononienses ex *comment. in cap. pr. extr. de Testament. n. 2.* adducunt in Responso suo: *As, id est, duodecim unciæ. As ergo quandoque ponitur pro obolo. Propter quod verbum venit Bononiam studium civile; sicut audivi à Domino meo.* Significat autem *Domini* titulo magistrum Azonem. Ex his vero Ostiensis verbis apparet, initium renovandæ Iuris disciplinæ non Cæsareo alicui mandato deberi, sed Grammaticæ controversiæ nescio quomodo excitatæ. Ex Odofredo porrò Bononienses illi tantum hoc memorant: Irnerium initiò operam posuisse, in evolvendis Codice, Digesto veteri & novo, atque Institutionibus Bononiam tunc perlatis: inde oblatum illi Infortiatum sed primò tribus partibus mutilum, mox integrum, tandem inventum librum Authenticorum; atq; ita Bononiæ jus Romanum docentis munera Irnerium esse auspicatum. Ejusdem Odofredi testimonio scribit Ioannes Fichardus, ante Irnerium quendam Piponem jus docuisse, non tamen ex publicâ cathedra. Itaque & Odofredus non obscurè testatur, nullam Cæsaream auctoritatem ad jus docendum initiò quidem accessisse.

Notatu porro digna sunt Bononiensium doctorum verba Responso inserta. *Ab anno centesimo vigesimo octavo,*

supra

supra milleſimum, Bononiæ Iuris publicæ profeſſioni exordia dediſſe, priſcorum tradunt memoriæ, ad hæc uſque tempora conſtantiſſimè perductæ. Eapropter publici gymnaſii noſtri inſigni loco, ubi legislatorum Iuris conſultorum ac interpretum quamplures non ementitæ conſpiciuntur imagines, illa Irnerij hunc titulum promeruit: Irnerius omnium primus leges commentatus eſt anno MCXXIIX. Hæc illi. Quæ ſi vera ſunt, liquet profecto Iuris profeſſionem publicam Bononiæ non cœpiſſe ex Lotharij aliquo inſtituo. Scilicet Conradi Suevi partibus addicti tum Bononienſes Lotharium, primâ quidem expeditione, anno triceſimo tertio, in Italiam euntem ſpreverunt, alterâ demum expeditione, anno MCXXXVI, ægre in gratiam à Lothario ſunt recepti: ut latè Sigonius narrat. Itaque ſi quæ Bononiæ Iuris publica profeſſio jam ante annum triceſimum ſextum cœpit, illa profecto non debetur Lothario. Hoc certe adeò eſt liquidum, ut ipſi Bononienſes doctores hiſtoriæ evidentiâ permoti refellant illos, qui Lothario exordia hujus profeſſionis jam tum circa annum viceſimum octavum adſcribunt: imò ultrò fateantur, *Irnerium privatâ auctoritate interpretationi Legum initia dediſſe*, pòſt demum acceſſiſſe Lotharij legem. Quorum ultimum conjectura inani nititur, prius fidem ab hiſtoria accipit.

Cæterùm ut ante alteram illam Lotharij Italicam expeditionem ſtudia Iuris jam in pretio fuiſſe, ità neque tùm Bononiæ à Cæſare illo præ alijs urbibus Iuris ſcholam conceſſam, haud difficile collectu eſt ex ijs quæ Francillus Taurellus de Pandectis Florentinis refert, præfatione ejus editionis quâ opus illud Florentinis proprium exactè typis exprimere ſtuduit & multis communicare. Verba quædam digna ſunt quæ hic memorentur. *Pandecta-*

dectarum id seu Digestorum est antiquam volumen, Florentiæ nunc Pisis olim adservatum, cum Amalphi prius omnem supra memoriam fuisset. Inde acceptum Pisani, quod Innocentium II Pontificem Maxim. & Lotharium Cæsarem item II classe adversus Normanum Rogerium juvissent, egregiè navatæ operæ monumentum retulerunt, diuq; penes se habuerunt, donec per Ginum Caponium, æquè nobilem ac strenuum virum, Florentini, anno salutis CIↃ CCCCVI Pisis in potestatem redactis, subiectionis symbolum transtulere. Liber itaque illo ex tempore summa cum curâ ac religione, tanquam cœlo delapsus, est custoditus. Atque hæc ex antiquis Pisanorum annalibus apud Plotium Gryphium eorum civem accepimus. Quibus & Raphael Volaterranus per omnia ferè adstipulatur. Et illo multò antiquior Raynerius Grachia Pisanus his libris, quos ante ducentos fermè annos de bello Tusco conscripsit. Sed & Plotius idem affirmat, antiquum instrumentum se domi habuisse donationis ejus in Pisanos per Lotharium collatæ, quod postea contagiosæ pestis periculo vitando inter alia scriptæ igne consumptum fuit. Hæc Taurellus. Idem non multò post addit nonnulla apprimè notatu digna. *Hic liber vetustatem atque adeo auctoritatem plurimam vel uno argumento commendare potest, quod postremi Digestorum tituli paginis carie disiectis, & ab imperito vel indiligenti quopiam homine præposterè concinnatis atque compositis, penultimæ antepenultimæ prælata est, hæcq; posterioris in sedem reiecta. Hic error in omnes, quos vidimus, vel calamo vel typis descriptos libros, irrepserat. Cum igitur nullum Digestorum volumen præposteri hujus ordinis expers in manibus habeatur, fatendum est, & ex hoc cætera fluxisse, erroriſque originem esse vetustissimam.* Vltimum hoc etsi Iacobus Cujacius in dubium vocavisset *l. 2. Obser. 1.* præter alios ipsumque Antonium Augustinum *Emendation. l. 1. cap. 1.* suo quoque testimonio confirmat,

mat, longè doctissimus historicus Jacobus Augustus Thuanus *l. 1. histor. vitæ suæ*, ubi de Florentia sibi visâ narrat. *In eadem urbe*, inquit, *in palatio cum cæteris cimeliis reservatur Pandectarum opus; quod Thuanus dum evolveret, ex scripturâ antiquissimum esse, & ex ligatura archetypum, ex quo omnia nostra exemplaria descripta sunt, animadvertit. Nam eadem quæ in extremo transpositio hodie passim habetur illic cernitur; ut ex illo manasse in nostros libros appareat, quod & Antonius Augustinus observavit.* Ex his omnibus ea, quæ ante dixi, nisi valde fallor, luculente satis patent. Neque enim Pisani tanti fecissent illud Pandectarum volumen, si non jam tum magno in pretio haberi cæpisset Romani veteris juris auctoritas. Neque Lotharius donasset Pisanis Pandectas, queis sine disciplina Romani juris minimè profectò integra est, si Bononiæ juris illius scholam habendam constituisset. Scilicet si Bononiensium doctorum conjecturæ credimus, aut etiam Alidosij ac Bonifacij narrationibus, jam antè cœpit Bononiensis illa juridica schola, quam Pandectæ Pisas sunt translatæ. Bononia ergò potius quàm Pisa à Cæsare tantum munus impetrasset, si à Cæsare schola illa fuerit instituta, & quidem in publicis regni comitijs, quod persuadent sibi Bononienses doctores.

Postremò Ius illud privato quodam studio doceri cœpisse, Caroli quoque Sigonij videtur haud obscurè testimonio probari posse: si quid ejus valet fides. Non tantum enim in Historia Bononiensi narrat, Irnerium civile jus interpretatum esse Mathildis rogatu, verùm in eam planè sententiam loquitur *l. XV de regno Italiæ*. Verba integra jam tùm suprà hoc ipso capite adduximus; hîc notari meretur, dicere ibi Sigonium: *multas civitates juris interpretandi SIBI negocium ADSCIVISSE: primos Bononienses*

nienſes Pandectas ex loco ſuperiore inſtituiſſe: eoſdem ubi ſui non ſuppeterent peregrinos ſtipendio conduxiſſe. Si autem hæc aliquid habent veritatis, Lothario ſanè neutiquam juris interpretatio accepta ferenda eſt, verùm laus illa aut unicè aut potiſſimùm eſt ipſiusmet Bononiæ.

Cæterum ut illa Sigonij (ceu nuperè nata) nullam mereantur fidem: quàm falſum tamen ſit, à Lothario reſtitutam Romani juris doctrinam, perſpicuè jam expoſitum eſt.

CAPVT XXII.

Quod vulgò aſſeritur, Lotharij Cæſaris juſſu abrogatis receptis omnibus legibus ſolas Romanas in fora Italica reductas, id falſum eſſe demonſtratur.

DE ſecundo plus ſatis. Conſequens eſt videamus, num Lotharij Cæſaris juſſu in Italia abrogatæ ſint receptæ hactenus leges, Langobardicæ ſcilicet & Francicæ, & in earum locum ſolæ Iuſtinianeæ reductæ: quod non minus vulgò aſſeritur, ab alterâ tamen quæſtione multum eſt remotum. Namque doceri juſſæ fortè ſint leges, non tamen ut ſecundùm eas ſolas etiam in foro pronunciaretur. Enimverò vetuit quidem Papa Honorius Pariſijs alibique doceri Romana jura, quod eorum uſus nullus tum eſſet in foris Galliæ: in ipſa tamen Gallia doceri cœperunt etiam tum cum in foris minus obſervarentur. *Imò ubi Academiæ & Profeſſiones juris* (verba ſunt Ioannis Tilij locupletiſſimi Francogallicæ reipubl. ſcriptoris) *in Gallia inſtitutæ ſunt & ornatæ privilegijs, nominatim proteſtati ſunt reges, ſe Iura illa non auctoritatis loco ſed rationis tantùm*

tùm accipere. Idem & alibi factum, ubi hodieque ſcholæ quidem jura iſta excolunt at fora reijciunt.

Cæterùm ut ad præſens negotium accedamus; antiqua profectò monumenta conſulentibus, etiam hæc de Lothario Cæſare fama non incerta tantùm videtur ſed etiam longè falſiſſima. Principiò enim, quod de hiſtoricis libris ab illo uſque tempore ad avorum memoriam exaratis ſuprá diximus, nihil in ijs contineri de Iure illo in ſcholas à Lothario reducto, id veriſſimè affirmare etiam eſt de uſu illius juris in Italiæ foro, qui itidem Cæſari iſti tribuitur. Certè hactenus à nemine quidquam paulo vetuſtioris teſtimonii eſt editum. Sed nec edi poſſe, meritò collegeris inde, quoniam neque Sigonius neque Bononienſes nuperi doctores, neque alij quibus hoc curæ fuit & nihil non lectum Italiæ ſcriptorum, non ità hoc affirmarunt ut haud diſſimulaverint, famæ popularis fide totum niti. Sigonius videlicet omnes Lotharij res in Italia geſtas uſque ad obitum perſequitur diligentiſſimè: quâ narratione finitâ demum ità addit: *Conſtans doctorum hominum monumentis eſt fama, Lotharium ut ex uno jure civili Romano poſt hac iudicia fierent, lege ſanxiſſe.* Ex famâ itaque totum hoc eſt acceptum, non ævi veteris ſed doctorum recentium. Iamverò Bononienſes in Reſponſo ſuo nihil adſerunt ex ævo paulò remotiore. Semel obiter meminerunt Legis cujuſdam à Lothario latæ: ſed illam ſuprá jam exploſimus. Etverò longè certiſſima ſunt quæ *præfat. ad Cod. leg. antiquar.* Fridericus Lindenbrogius habet. *Nonnulli commentum novum addunt, Irnerium quidem è ſitu ac pulvere jus Romanum reproduxiſſe, uſum autem ejus in foro, abrogatis alijs omnibus legibus, Lotharium iterùm edicto publico confirmaſſe. Hoc quidem illi dicunt; ſed rectiùs faciunt qui illis*

fidem non habent. In re enim seria æquè perniciosum est, ficta stolide credere, quàm falsa confingere. Et vellem sane Edictum hoc Lotharianum aliquis nobis ostendisset. Quod cum hactenus factum non sit &c. Hæc Lindenbrogius verissimè. Neque enim hujus Lotharianæ legis vel gry exstat, cum alia ejus & Conradi & Friderici ad nos pervenerint. Indubiè verò ipsi Codici debuisset inseri illa tanti momenti constitutio: imò ex more ejus ævi fuisset inserta, quomodo Friderici sanctio de *privilegijs scholarium* in codice *Ne filius pro patre*, aliæ alibi locum invenerunt. Quis sanè crediderit tantæ rei constitutionem in Italiâ prorsus interiisse? hominibus doctis magno numero Romana illa jura ibi excolentibus?

Certè, quum nulla hodie lex, nullum testimonium paulo vetustius supersit, quo probari possit, Lotharium receptas hactenus leges in Italiâ antiquasse solis Romanis substitutis, quàm temerè id vulgo affirmetur, liquidum est. Abire autem etiam â vero isthuc omne hinc patebit. Principiò enim indubium est, si quid tale à Lothario est constitutum, factum id esse in regni Italici conventibus. Neque enim in potestate unius Lotharii Cæsaris fuit omnes leges abrogare, nisi ex Ordinum regni illius consensu. Si autem historijs credimus, semel tantùm ab illo, & quidem secunda expeditione Italicâ, anno Christiano post millesimum centesimum sexto tricesimo, in Roncalijs conventus totius regni est habitus: tum verò temporis longè alia sunt acta, ne minora quidem prætereuntibus annalibus. Sed & sequente demum anno inventæ sunt Amalphi Pandectæ & Pisanis victoribus donatæ: quod & Sigonius prodit. Mirum verò, si solum jus Romanum in forum sit Cæsareâ auctoritate receptum, nondum Pandectis repertis.

quomodo ergo jam ante inventas Pandectas Esto
Sabinus p. 126. præsertim cum ex emplaque
habentur videantur sumta ex Amalfitano exemplari

Estoverò hoc argumentum levius. Omni exceptione majus petitur ab usu Langobardicæ legis etiam diu post Lotharii ætatem per Italiam superstite. Non quidem certò affirmarim ego id quod nonnulli scribunt, nec improbat Melchior Goldastus, anno post millesimum centesimum quadragesimo, adeoque post obitum Lotharij demum, in Codicem illum leges Langobardicas relatas, qui hodieque tribus libris distinctus supereſt. Illo tamen circiter tempore opus hoc concinnatum esse, per est verisimile. Namque in multis exemplaribus collectio ista tribuitur Petro Diacono Cassinensi: quem à Lothario Cæsare Logothetam Italicum, Exceptorem, Chartularium & Capellanum Romani Imperij constitutum esse, liquet ex Lotharij ipsius *epistola ad Guibaldum Cassinensem Abbatem*, quæ recitatur in Chronico Cassinensis monasterij. Confirmat idem, quod nec in illius Codicis antiquis manuscriptis temere ullius Germanici Cæsaris constitutio habeatur, quæ recentior sit Lothario ac forte ejus successore Conrado. Certe Caroli IV edictum, quod *lib. III. t. I. editionis Lindenbrogianæ* exstat, non habet Goldasti editio: neque illud ad regnum Langobardicum pertinet. Confectum sane hunc Codicem fuisse jam ante Fridericum Cæsarem, vetat nos dubitare auctor Consuetudinum feudalium qui *lib. II. tit. XXII. & LVIII.* hanc ipsam nostram distinctionem in citandis Langobardicis legibus observat. Cæterùm si illâ demum Lotharij aut Conradi ætate leges Langobardicæ à Logotheta Cæsario in codicem sunt relatæ, quis crediderit ejusdem Lotharij jussu Leges illas Langobardicas esse antiquatas? Inanc profectò fuerit in codicem referre quod nulli amplius usui erit. Verùm hoc fortassis haud satis liquet,

quum multa illius codicis exemplа nomen Petri Diaconi non præ ſe ferant : nec deſint qui ex Odofredo ſcribant, Apuliæ quoſdam reges qui de Sardinia in Apuliam venerunt fuiſſe compilatores Lombardæ legis, alij ex *Gloſſ. in cap. 1. in verbo, Scriptum XXIII. q. 1.* narrent Carolum quendam iſtius operis auctorem. Etſi enim ridiculum ſit creditu illud de Apuliæ regibus, quos per craſſiſſimam ἀνισοχρονίαν Odofredus cum antiquis Langobardorum regibus confundit : & Carolus Cottus ille quem gloſſator notat, commentario codicem iſtum illuſtraverit adeoque opus illud minimè congeſſerit : tamen ne videamur incerto argumento noſtra probare, potius hoc omittemus. Langobardicas tamen leges poſt Lotharij obitum in ipſo Langobardici Italiæ regni foro obſervatas, eſt quod dubitemus. Diſertè ſiquidem hoc affirmat auctor Conſuetudinum feudalium Langobardicarum Obertus de Orto; quem Friderico I Cæſare circa annum MCLX Mediolani conſtat floruiſſe. Verba ejus ad Anſelmum filium *lib. II. tit. 1.* hæc ſunt: *Cauſarum quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur jure Romano, aliæ verò legibus Langobardorum : aliæ autem ſecundum regni conſuetudinem.* Paulò pòſt de jure Romano addit: *Legum autem Romanarum non eſt vilis auctoritas ſed non adeo vim ſuam extendunt ut uſum vincant aut mores.* Alibi, & quidem nominatim libri hujus ſecundi *tit. XXII & LVIII*, haud pauca adducit idem auctor, quæ ſecundum leges Langobardicas ſint tenenda. Si autem in foro etiamtum valuit Lex Langobardica, ſi juris Romani tùm tantum *non vilis fuit auctoritas*, manifeſtum utique eſt non ex ſolo Romano jure cauſas tùm judicatas, nec aliquo Cæſario regnique illius proceium ſcito priſcas lege. paulò ante fuiſſe antiquatas. Illas verò ipſas Langobar-

gobardicas leges etiam ſequentibus ſeculis auctoritatis ſat multum retinuiſſe in Italiæ foris, haud obſcurè patet ex eo, quod Carolus Cottus Siculus, Placentini Iurisconſulti diſcipulus, ante quadringentos annos commentarijs eas illuſtraverit: cujus induſtriam imitati ſunt Nicolaus Boërius Andreas de Barulo & Ioannes Baptiſta Nanna. Patrum memoriâ ſcripſit Iacobus Spigelius ICtus & Hiſtoricus præclarus: *Eſſe quaſdam Italiæ civitates, quæ in hanc uſque diem iudicia ſua ex Edictis Langobardorum magis quàm ex decretis Imperatorijs exercent.* Item: *in Tranſpadana regione certa capita Langobardicarum legum etiamnùm ſervari: idque ſatis notum ijs eſſe qui volumina interpretum Iuris civilis verſant.* Melchioris Goldaſti *in prolegomenis Collectionis Conſuetud. & legum Imperial.* verba hæc ſunt: *Franciſcus Curtius Iunior probaturus Leges Langobardorum in diſceptandis litibus auctoritatem habere, profert ſententias Gloſſatorum utriusque juris, nimirum Accurſii, Pilei, Conradi, & Ioannes Theutonici, veterum Iuris interpretum.* Si horum vero interpretum Iuris ætatibus nunquam non auctoritatem ſuam retinuit Langobardicum jus, poſt Fridericum etiam Cæſarem, indubiè non illud à Lothario eſt antiquatum: adeoque nec ſolum Romanum jus ejus mandato in fora Italiæ eſt traductum. Certè unicum hoc ſufficit convincendo populari errori: ideoque nec à me vel verbulum porrò ut adijciatur, neceſſùm eſt.

Et vero etſi Vir longe clariſſimus Joan. Jacobus Chifletius *Lumine Salico VI pag. 247.* adducat verba Jugurtæ Tomaſii ex *lib. 3. Hiſtoriæ Senenſis*, de arbitrariâ Legis Salicæ obſervatione Senis uſque ad ſeculum decimum tertium uſitata. Fateor tamen inter formulas à Chifletio ibi adductas nullam eſſe recentiorem anno 1121. Ideoque in hoc teſti-

teſtimonio nullum ſententiæ meæ præſidium collocabo. Sicut neque hoc urgebo nunc, quod hodiè in omni Italia non niſi merè arbitraria obtineat Romanarum Legum obſervatio, ubivis primum (ut Venetiis ſolum) locum conſuetudinibus & ſtatutis, quamvis Romano juri maxime adverſis, obtinentibus: quod vi veritatis coactus eſt fateri ipſemet Arthurus Duck *l. 2. c. 3.* quo nemo auctoritatem Romano juri diligentius conciliavit. Non inquam hoc urgebo: quandoquidem id contra Lotharii edictum fieri hodie pertinax aliquis forte cauſetur.

CAPVT XXIII.

Vera hiſtoria reducti Iuris Romani in ſcholas & fora Italiæ.

POſſumus meritò ab hoc loco diſcedere, poſteaquam clare evictum jam eſt, nullam Lotharij auctoritatem ad Iuris Romani reductionem ſive in ſcholas ſive in fora Italiæ, acceſſiſſe. Fortaſſis tamen etiam illud exponendum, quomodo ergò reſtauratio illa contigerit. Conſtat quippe illâ ipsâ ætate mirum in modum cœpiſſe in Italiâ Romanum jus invaleſcere, nec tamen facilè patet, quemadmodum fieri id potuerit ſine Cæſareâ auctoritate. Et verò hæc dubitatio videtur multos adeo in illam de Lothario ſententiam perduxiſſe.

Igitur id primùm in memoriam revocandum, quod ſupra jam eſt probatum: ſemper uſum aliquem Romani juris in Italiæ foris remanſiſſe, etiam Langobardorum Francorum & Germanicorum regum ætate, imò in populi ſingulorumque tandem fuiſſe liberrimo arbitratu poſitum, Romanam Langobardicam aut Salicam legem ſibi

sibi eligendi. Non potuit verò non initio Romanum jus in exiguo esse usu, cùm quod primores Italiæ Langobardici aut Francici essent sanguinis adeoque patrijs potius legibus mallent vivere, tùm quod Romanæ leges minus benè intelligerentur, quæ illorum erat temporum conditio. At in illarum explicationem, occasione fortassis Grammaticæ controversiæ de asse motæ, magno studio Bononiæ incumbente Irnerio, easque ab æquitate & singulari prudentiâ commendante, indubiè hactenus minus cognitæ rei crevit, ut solet, admiratio. Itaque fortassis & Mathildis, potentissimæ ejus ætatis per Italiam Principis fœminæ, rogatu magis magisque ad jus illud illustrandum inductus est Irnerius, & Bononienses cives novo exemplo scholam publicam doctrinæ juris, forte circa annum CIↃ C XXIIX, instituerunt. Inde intelligi solito clarius illud jus & passim per Italiam singulari in veneratione esse, imò in fora tantùm non unicè recipi cæpit. Neque vero publico quodam decreto fuit opus, quo usus ejus invalesceret; cum etiam antehac non omnino nihil ejus fuisset observatum, & in singulorum arbitrio, ex receptâ dudum Lotharij primi constitutione & hinc ortâ trecentorum annorum consuetudine, fuerit collocatum Romanis an Langobardicis Iuribus sese submittere. Vt nunc autem Romana etsi non omnes tamen plærique sponte suâ mallent, præter insignem illam æquitatis & prudentiæ novam opinionem, haud injuriâ factum suspiceris, illâ sub Romanarum veterum legum specioso prætextu, reapse vere novarum rerum cupiditate & Germanici Imperij tædio: queîs post Henricorum Suevicorum Cæsarum infelicia tempora, Italicos omnes vehementer laborasse, rectissimè etiam Carolo Sigonio est annotatum.

Hæc omnia penè liquent ex ijs quæ jam tum in medium adduximus. Quanto verò desiderio prisci status circa ipsa illa tempora flagraverint Romanæ urbis cives, non sine usu est cognoscere, saltim ex epistola ad Conradum id nominis alterum missâ, & oratione legatorum quâ Fridericum primum exceperunt, apud Ottonem Frisingensem *l. 1. de gestis Friderici c. 28. & l. 2. c. 21.*

Nec verò est quur miremur, vel solâ & unicâ æquitatis laude & opinione placuisse tùm Italis Romanum illud jus, atque ità ultrò admissum nullo jussu Cæsareo. Enimvero illo uno nomine & spontaneo motu trans Alpes jam tum seculo tertio decimo penetravit. Neque verò ulla aliâ de causâ aut aliâ ratione vel Hispani vel Galli Romanum jus admiserunt. Notatu digna apprimè sunt quæ Ioannes Tilius, vir Gallicarum rerum peritissimus, in hanc sententiam *l. de repub. Gallicâ* memorat adductis ipsius Philippi Pulchri regis verbis. *Propterea*, inquit, *ubi Academiæ & professiones juris in Gallia institutæ sunt & ornatæ privilegijs, nominatim protestati sunt Reges, se iura illa non auctoritatis loco sed rationis tantùm accipere. Inter archiva privilegiorum à Philippo Pulcro Rege concessorũ Aurelianensibus, tabulis scriptis mense Iulio anni milleſimi trecentiſimi duodecimi, rex Philippus narrat: regnum suum consuetudine non jure scripto gubernari, præter Provincias quasdam, ubi prospicientibus regibus antecessoribus populares plurimum utuntur jure scripto, non quod obstricti sint, sed quia illud sibi continuandum assumpserunt. Et quemadmodum liberales artes serviunt Theologiæ, ita leges scriptas ad rationem informatricem morum intelligendam adiuvare, docere jus suum cuique tribuere ex ratione secundum Deum & consuetudinum intelligentiam comparare. Atque ut Romani legibus Græcorum usi sunt, unde duodecim tabulæ profluxerunt,*

ita

ita etiam Reges voluisse Romanum jus & scriptum publice legi & disci in regni Academiis, ut doceretur æquitas & excoleretur ratio, ex quibus plurimum in regno Galliæ iudicatur. Quod si decreta iudicia & statuta consuetudinibus anteponenda defuerint, neque habeatur contraria consuetudo ex qua fuerit iudicandum, posse adhiberi leges. Ne quisquam cogitet, iuridicis Academiis in regno institutis Reges consuetudini atque rationi leges juraq; scripta prætulisse: multa prodesse ad doctrinam quæ tamen non accipiuntur; exemplo Ecclesiæ quæ canones multos non accipit, & tamen ex conditione leguntur in Academiis. Sensa enim mores & consuetudines hominum ex variis temporibus & locis collecta non mediocriter ad doctrinam conferre. Hactenus illius instrumenti verba: & hucusque Tilius. Paulo clarius Philippi Pulchri illud institutum narrat Fr. Hotomannus Ancitriboniani c. XVII hisce verbis: *Præterea in confirmatione Academiæ Aurelianensis anno MCCCXII facta, invenio Regem Philippum Pulchrum confirmationis auctorem dicentem: non modo regnum suum moribus & jure non scripto regi ac gubernari, verumetiam iis in locis ubi receptum est ius scriptum incolas eo jure non teneri; teneri autem consuetudinibus, ad exemplum & imitationem juris scripti introductis. Cæterum, ait, super negotiis & causis forensibus regnum nostrum consuetudine moribusq; non jure scripto regitur: licet in partibus regni quibusdam subiecti, ex permissione progenitorum nostrorum & nostra, juribus scriptis utantur. In pluribus non ut juribus scriptis agantur, sed consuetudine, iuxta juris scripti exemplar moribus introducta. Et paulo post: Non putet igitur aliquis nos recipere, vel progenitores nostros recepisse leges quaslibet, ex eo quod in diversis locis & studiis regni nostri per scholasticos legi sinantur, &c.* Hæc Hotomannus. Pari verò æquitatis in vulgus opinione, non aliter, in Hispania quoque invaluisse jus Romanum, liquet

liquet ex ijs quæ cum alij tum Polycrates narrat *l. III cap. XXII* de Stephano Caſtellæ rege, qui indignatus à populo has leges ceu juſtiores Gothicis præferri, totas aboleri juſſit. Eodem verò tempore ex legibus Romanis exceptos fuiſſe novem legum libros à Wacario Langobardo monet Alteſerra *l 3. rer. Aquitanicar. c. xv.* Notatu digna ſunt quæ hac de re memoriæ mandavit in *prolegom. codicis Leg. Antiquarum* Frider. Lindenbrogius. *Etiamnunc*, inquit, *in Galliæ Hiſpaniæque ſcholis ob ſolam æquitatis rationiſque præſtantiam ſtudioſæ juventuti prælegitur Ius Romanum; non autem in iudiciis, quaſi neceſſario evincens, allegatur. Alphonſus Rex LI. Tauri. Petr. Pithœus in Fragment vet. Iuriſconſ. Guil. Fornerius Comm. de Feud. Tit. I. Alphonſ. de Villadiego in Comment. ad For. iud. lib. 2. tit. 1. l. 8. Quinimo ſub pœna capitis in Hiſpania vetitum fuiſſe leges Cæſareas in foro allegare, teſtatur Petrus à Plaza in epitome delictor. lib. 1. cap. 1. pag. 42. Et Vidum Fabrum Pibracium Regis Poloniæ Cancellarium nunquam Romanas leges citaſſe niſi petita venia, multotiens à viris magnis in Gallia audivi. De hac Romanarum legum auctoritate videndus Ioh. Gutierrez Canonic. Quæſt. lib. 3. cap. 108. n. 11. 12. pag. 307. Rebuffus de eo quod intereſt. pag. 32. n. 14. Ann. Robertus Rer. iudic. lib. 2. cap. 1. pag. 290. 291. Haillan. de l' Eſtat de Fanc lib. 3. pag. 190. Bernard. Zixritz de prærog. Principum.* Hæc omnia Lindenbrogius. Quid, quod ſimus demonſtraturi *cap. 33.* in Germaniæ quoque forum itidem jura illa Romana ſenſim ſeſe inſinuaſſe, tantùm populi potius voluntate quam auctoritate publicâ?

Hæc vero quum ità ſeſe habeant, ſanè mirum non eſt, in Italiâ etiam receptas leges illas Romanas, etiamſi nulla Cæſarum auctoritas acceſſerit. Scilicet harum legum uſu illâ ſtatim tempeſtate gloriatos quàm maximè eſſe

esse Italicos, liquidò perspicere est ex sermone Friderici primi, quo in campis Roncalijs Italos est allocutus, narrante Radevico *l. II. cap. V.* Meretur tota historia hîc adscribi, præsertim cum ante illud tempus (agebatur autem annus Christi post millesimum centesimum quinquagesimus octavus) Iuris Romani doctores conventibus Regni Italici interfuisse, haud legas. *Sequentibus*, inquit Radevicus, *diebus, plenâ atque solenni curia, iudicio & iustitiæ à mane usque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum quàm pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor iudices, videlicet Bulgarum Martinum Iacobum Hugonem, viros disertos religiosos & in lege doctissimos, legumq; in civitate Bononiensi doctores & multorum auditorum præceptores, cum his alijsque legisperitis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat & terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces bajularent (is enim Italorum mos est, ut habentes querelas crucem manibus præferant) miseratus illorum, ait: Mirari se prudentiam Latinorum, qui cum præcipue de scientia legum glorientur, maxime legum inventrentur transgressores, quàmque sint tenaces iustitiæ sectatores in tos esurientibus & sitientibus justiciam evidenter apparere.* Hæc ipse Fridericus Cæsar. De Langobardis eodem tempore ita cecinit Guntherus *lib. II*

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Provida consilio, Legum Iurisq; perita.

Item: *Illa tamen Legum prudens, & Iuris amori*
Dedita gens.

Et verò jam illo tempore Italos acri studio incubuisse Iuris Romani disciplinæ, vel ex eo liquet, quod una Bononia jam tum quatuor habuerit Iuris professores, & quidem, ut Radevicum loquentem modò audivimus, *multorum audi-*

auditorum præceptores. Indicat idipsum laudatissimi illius Friderici Cæsaris authentica *Habita*, in gratiam Iuris studiosorum maximè edita, quam Codici *Ne filius pro patre*, jussit inseri. Fortassis tamen non ab omnibus æquè est benignè de Romano illo jure tùm judicatum. Certè S. Bernhardi *l. 2. ad Eugenium Papam* longè alia tùm sententia fuit. *Quotidie*, ait, *perstrepunt in tuo palatio leges: sed Iustiniani, non Domini. Rectius etiam? Istud tu videris. Nam lex Domini immaculata, convertens animas: ea autem non tam leges quàm lites sunt & cavillationes subvertentes iudicium.* Credidit scilicet ille, ab ipsis hisce Romanis legibus eam litium multitudinem ortam: quam quidem prima etiam reparati Iuris Romani tempora comitatam esse, ex Radevici illâ ante prolatâ narratione manifestum est. Verùm ut nonnulli fortè ita cum Bernhardo senserint, indubiè tamen plærique magno tùm Romana isthæc jura honore sunt veverati.

Igitur, ut in breve omnia quæ de initijs restituti juris Romani disseruimus, contrahantur: Cœperunt illa Iura iterùm apud Italos refloresçere spontaneo populi studio, penes quem nempe arbitrium erat vel Langobardicas vel Romanas leges sectandi. Idque enatâ opinione, Romanum jus Langobardico & æquius & plenius & utilius esse: ad gloriam quoque pertinere non amplius hærere in maiorum institutis quasi rudioribus & multum barbaris, sed prisca Romana sectari. Non negaverim tamen, ad populi hoc studium paulatim etiam Cæsarum curam accessisse. Certè de semetipso, nescio quid, videtur Fridericus I Cæsar in hanc sententiam prædicare, in Roncalienſibus comitijs apud Radevicum *lic. IV. cap. III: Nostis quod Iura civilia, nostris beneficijs in summum provecta, firmata, ac mo-*

ac moribus utentium approbata, satis habent roboris. Verùm quomodo ille jura civilia provexerit, haud liquet: nec enim historijs eâ de re quidquam est proditum, & unica tantùm Cæsaris hujus constitutio, quæ nonnihil huc faciat, exstat, de *privilegijs* nempe *scholarium.* Non dubium tamen est, illius optimâ cum gratiâ Romanas illas leges invaluisse: quoniam & ipse ad antiquorum Cæsarum potentiam ac jura adspirabat, & Romani juris doctores jam tum, quæ in legibus illis de Cæsaribus antiquis dicuntur eorumque potestate, sui temporis Cæsaribus ibant attributum. Nota est contentio Bulgari & Martini coram ipso Friderico instituta, *quomodo Imperator sit dominus mundi:* Martino quod ille omnium bonorum *proprietarium dominium* Cæsari tribuisset, Bulgarus tantùm *imperium*, ab ipso Cæsare equo donato, enatâque hinc Bulgari illa haud inficetâ querelâ: *dixi æquum, amisi equum, quod non est æquum.* Fateor hanc historiam Henrico VII Imperatori & Lothario atq; Azoni JCtis attribuere Bodinum *Meth. Hist. c. 6.* verum falli illum vel ex eo liquet, quod eam ad annum Christi CIↃ IↃ LIIX Ottonis Murenæ Chronici Laudensis scriptoris coævi verbis referat magnus Ecclesiasticorum Annalium conditor Baronius. Porrò non ex alio fonte manarunt illa in oratione Mediolanensium, quam recitat Radevicus *lib. II. cap. IV*, in Roncalijs ad ipsum Fridericum Cæsarem habita: *Scias omne ius populi in condendis legibus tibi concessum. Tua voluntas ius est. Sicut dicitur: quod Principi placuit legis habet vigorem, cum populus ei & in eum omne suum Imperium & potestatem concesserit. Quodcunque enim Imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto præceperit, legem esse constat. Profecto secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda;*

moda; ut videlicet omnibus debeas imperare qui omnium noſtrûm ſuſtines onera tutelæ. Hæc jam tùm Mediolanenſes, præter animi quidem ſui ſententiam & contra illam quam affectabant libertatem, ex mente tamen illorum qui ex Jure Romano ſui temporis rempublicam gubernandam exiſtimabant: inducti recens in eam publicè noxiam ſententiam ab Irnerio & hujus diſcipulis, cum primis illis quatuor famoſis Romanarum Legum Bononienſibus tum magiſtris. Et verò per etiam eſt veriſimile ab hiſce magiſtris perſuaſum Fridericum primum Cæſarem ſolito ſtatim altiora ſpiraſſe, quod multis tum ærumnis cauſa fuit. Quod licet per ſit iniquum (ceu alibi demonſtravimus) tamen ita credi, & tum & pòſt nunquam non vehementer Cæſaribus placuit. Adeoque illorum intelligentiores quoſque Romana hæc jura præ alijs in foro obſervari maluiſſe, non eſt quod dubitemus.

CAPVT XXIV.

Romanas leges non eſſe à Lothario Cæſare in Germaniam traductas: eaſdem demum ſeculo decimo tertio in Galliam & Hiſpaniam penetraſſe.

VIdemur fortè nimis operosè Italica attigiſſe, qui tantùm Germanici juris hiſtoriam exponere inſtituimus. Verum enimvero non licuit illa ſicco, quod ajunt, pede præterire, vel brevi labore adverſum adeo multos defungi. Tum verò, quando oſtendimus, nihil à Lothario in Italia circa leges eſſe motum, ſimul etiam demonſtramus, id quod maximè hujus eſt loci & *quarto* quæſitum: multò minus in Germaniam Cæſaris illius decreto Roma-

nas

nas leges contra omnis decursi ævi mores esse introductas. Cui sane fiat verosimile, Lotharium de Romanarum legum usu in Italia, ubi illæ & hactenus nonnihil valuerant, tunc novam lucem per Irnerium acceperant, populoque omni erant acceptissimæ, nihil constituisse; in Germaniam verò illas traduxisse quæ eas ne viderat quidem hactenus, neque eas intelligebat, multò minus eas sibi expetebat? Certè hæc clara adeo sunt, ut, postquam in Italiâ nihil à Lothario hac de re constitutum esse probatum à nobis est, non opus habeamus novis argumentis, queis ostendamus nec in Germaniâ ab illo Cæsare circa leges quidquam novatum.

Non tamen desunt nobis plurima, quibus seorsim & hoc licet astruere. Nam ut de scholis Academicis ne verbulum quidem adferamus, (quas constat ante seculum Christi quintum decimum in Germaniâ vix cœpisse) in fora Germaniæ jam Lotharij ætate Romanas leges esse receptas, nullo monumento, nullo testimonio paulò vetustiore traditur. Adeoque id qui asserunt fabulas nobis obtrudunt & inania commenta. Quid, quod nullus Romani juris interpes, qui in Germania vixerit, ante seculum quinctum decimum temerè usquam memoretur? Certè qui historias tradiderunt illorum, Germanum neminem post Irnerium omni illius temporis spacio laudant. Vix ante illud tempus unum alterumque, saltim qui titulotenus doctor juris Romani audierit, habuit Germania. Est enim & id colligere ex illâ Friderico III Cæsari adscripta in doctores illos invectiva, quam infrà in testimonium advocabimus. Vt autem Germania sit usa in foris Romano jure, & caruerit tamen juris illius interpretibus ac doctoribus, id ἐκ τῶν ἀδυνάτων est. Imo vel hinc solùm

est perspicere liquidò, nullum illius juris ante quinctum decimum seculum in Germaniâ usum fuisse.

Porro ita de Germania loquitur Conradus Abbas Vrspergensis, ut sub finem seculi duodecimi non tantùm non Romanas sed ne quidem alias scriptas leges ibi multùm observatas esse, manifestum sit. Scribit videlicet ad annum MCLXXI de Friderico Cæsare & Henrico Leone Saxoniæ Duce: *Imperator ipsum Ducem frequenter evocat ad curiam, ad obiecta responsurum: ubi quidam Principes & fautores Ducis, more Teutonicorum, qui sine lege & ratione voluntatem suam pro iure statuentes, contra Imperatorem hoc ius tenere voluerunt &c.* Idem ad annum MCLXXXVII. *Eo anno Fridericus Imperator iam cruce signatus conventum Principum apud Nurnberg coadunavit, ubi de pace terræ disposuit, & in literas redigi iussit: quas literas Alemanni usque in præsens* Friedebriff *literas pacis appellant, nec alijs legibus utuntur tanquam gens agrestis & indomita.* Ita Vrspergensis & de Germanis in universum & seorsim fortè de Suevis: minimè profectò ita locuturus si more Italorum Romanas leges Germani tùm coluissent, quas ab Irnerio iterum luci expositas adeo diligenter antè notaverat, hîc haud obscure earum in Germania neglectu popularibus suis exprobrato. Nec verò est quur quis credat, si non in Suevis, alibi tamen & quidem forte in Saxoniâ Romanas leges observatas: paulo enim pòst demonstrabimus, seculo demum tertiodecimo ipsum Speculum Juris Saxonici esse conditum & quidem ex receptis tùm consuetudinibus: alibi quoque per Germaniam passim novas tùm leges scriptas, quarum solarum auctoritas pene usque ad annum post millesimum quingentesimum mansit integra.

Igitur tantum abest, jam Lothario Cæsare in Germaniam

niam Romanas leges pedem intulisse, ut vix trecentis pòst annis cœperint hîc invalescere, quando jamdudum in Hispaniam pariter & Galliam aliquâ ex parte commigraverant. Scilicet jam ab Alphonse rege circa annum M CC XLI Romanum jus in Partitas, quas vocant, est digeri cœptum, quod notavit Petrus Pithœus. Honorij III Papæ temporibus circa annum M CC XX in scholas & fora Galliæ nonnulla jam penetraverant, eâque de causâ Parisiis & per Galliam alibique doceri vetitum, utut Papa aliud prætexat. Edictum exstat *lib. V. Decretal. tit. de privilegijs cap. super speculâ* in hæc verba: *Sane licet sancta Ecclesia legum secularium non respuat famulatum, quæ æquitatis & justitiæ vestigia imitantur: quum tamen in Francia & nonnullis Provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt rarò ecclesiasticæ causæ tales quæ non possunt statutis canonicis expediri: ut plenius sacræ paginæ insistatur &c.* Et infrà. *Firmiter interdicimus & districtius inhibemus; ne Parisiis, vel in civitatibus seu aliis locis vicinis, quisquam docere vel audire ius civile præsumat. Et qui contra fecerit non solum à causarum patrociniis interim excludatur: verum etiam per episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur.* Non sanè tam acriter doceri jus Romanum prohibuisset Papa, nisi jam tum in scholas ac fora illud saltim aliquâ ex parte transiisset: imò nisi jam tùm opinionem & auctoritatem parere sibi cœpisset majorem quàm expedit Pontificiæ majestati: expedit autem saltim non in nimiâ esse, certè debet infrà Paparum Jus Canonicum æstimari. Constat sane, jam tum Placentinum Monpessuli Romanum jus docuisse. Imò Lutetiæ jam ante Honorium Papam non defuisse civilis juris doctores, disertè testatur Richordus *Chronographus* ad annum CIↃ CC IX, referens usque adeo floruisse illius

Vrbis ſcholam, ut non ſolum *de trivio & quadrivio* (ſic tunc audiebant ſeptem artes liberales) *verum de quæſtionibus IVRIS civilis & canonici, & de ea facultate quæ de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena tunc & perfecta inveniretur doctrina.* Nec tamen dixerim, etiam tum ita occupata fuiſſe illis legibus fora Galliæ, ut nunc fortè. Supra ſcilicet ex ipſo Philippo Pulchro rege audivimus, quando Aurelianenſem ille ſcholam inſtituit (id autem factum anno MCCCXII) legibus ſcriptis rarò uſos Gallos, nec jus Romanum niſi in provincias aliquot paucas receptum fuiſſe. Franciſcus quoque Hotomannus *Antitriboniani cap. 17. & Francogall. cap. XX.* de ratione judiciorum Galliæ, ætate Ludovici Sancti & Philippi Longi obſervatâ, ex Ioanne Ionvillæo, Budæo, alijs illa narrat, quæ ſatis indicant quàm procul fuerint tunc judicia à legibus Romanis. Diſertè Budæus *in annotationib. ad Pandectas* notat, à Philippo illo Longo MCCXCII conſtitutum etiam hoc: *ut Prælati & Barones* (tertij ordinis judices,) *ſtatuerent qui ad quamque jurisdictionem exercendam idonei viderentur: ſimul ut tres viros deligerent qui in eas regiones mitterentur, quæ IVRE SCRIPTO utebantur, ut in iis ius dicerent, & ſi quæ capitalis quæſtio habenda eſſet literatiſſimos quoſque adhiberent.* Vtut autem ne quidem initio decimi quarti ſeculi per omnem Galliam Romani juris uſus invaluerit, non dubium tamen eſt, jam decimo tertio ſeculo in quaſdam ejus provincias admiſſum; adeoque cum Germaniam ſeculo tantùm decimo quinto pervaſerit, manifeſtum eſt, quàm ſit fabuloſum illud, de Romano jure non In Italiæ tantùm ſed & Germaniæ judicia à Lothario Cæſare traducto

Verùm quid immoramur confutandæ illi fabulæ?

Subit

Subit tamen mirari, quâ origine illa cœperit tantosque progressus sumpserit, ut etiam plurimos longè doctissimos viros in errorem pertraxerit. An verosimilis videtur Calixti nostri conjectura? primo Philippo Melanchthone auctore omne hoc proditum esse: cujus fidem alij re, ut sæpe fit, minus rite examinata, sint secuti: Melanchthonem vero huc deveniſſe memoriæ quodam lapsu & studio in Lotharium. Sanè verum est, quod eidem Calixto nostro notatum, Chronologiarum nuperos scriptores Carionis Chronicon à Melanchtone confectum in testimonium allegare. Et habetur hoc ipsum non tantum in Lotharij historiâ *l. 4. Chronici* qui est Peuceri, sed etiam *l. 3.* in Justiniani rebus, qui ipsiusmet est Melanchthonis; quin & varijs locis alijs Declamationum Philippi. Attamen ipse Ioachimus Carion in proprio suo Chronico jam tum idem narraverat, & memorant idipsum etiam Itali multi recentiores, apud quos nulla vel exigua est Melanchthonis auctoritas. Igitur primus fabulæ auctor revera latet. Nec tamen infrequens, ut magna viri alicujus auctoritas multis imponat, & quidem ijs maximè qui alijs occupati plurima credere satius habent quàm inquirere. Quod in his historiæ minutijs eo est proclivius, quo pauciores sunt qui aut velint aut possint ijs excutiendis quidquam operæ impendere.

CAPVT XXV.

A Friderico I legum nonnihil scriptum esse. Cæterorquin Germaniam à Carolinis temporibus usque ad seculum XIII nullis penè scriptis legibus usam.

NOn tantùm autem non Romanas leges in Germaniam Lotharius introduxit, sed nihil omnino circa jura mu-

ra mutavit. Nullam certè legere hodie est latam ab ipso legem quæ Germaniam obligaverit.

Plures constitutiones promulgavit Fridericus Primus in Roncalijs Italiæ campis, ibique præsentibus etiam Germaniæ primoribus, qui in comitatu erant; quarum magna pars hodieque supereſt, partim in Feudorum Langobardicorum libris, partim alibi passim, ut in ipso Codice Justinianeo & Feudalium libris. Sed fortassis nihil eorum in Germania observatum est. Nec vero perinde illa ad res Germanicas attinent: & feudalia jura sua seorsim à Longobardicis in quammultis diversa habuit semper Germania. Majoris igitur indubiè apud Germanos auctoritatis fuere quas in Germaniâ ipsâ Fridericus ille tulit. Si tamen verum quod Conradus Vrspergensis refert, non alijs legibus Alemannos suâ ætate usos quam illis de pace conservandâ, à Friderico anno MCLXXXVII jam sacræ expeditioni accincto latis, ne quidem omnes Friderici constitutiones multum auctoritatis acceperunt. Illæ tamen de pace in magno semper fuere pretio. Inter illa enim Germaniæ dissidia & bella civilia pene perpetua, quum in omnibus ferme regni comitijs pax publica novis juramentis esset stabilienda, secundum has Friderici leges perdiu pacis civilis controversiæ judicatæ videntur. Etiam alia tamen, admodum licet pauca, & Friderici hujus & Henrici sexti ut & Ottonis quarti cum alibi leguntur, tùm in libros Iuris Saxonici & Suevici nec non Magdeburgensis Weichbildici transierunt.

In universùm ergò judicia Germaniæ usque ad tertium decimum seculum à Carolinorum temporibus considerantes, merito dixerimus, non ex scripto, sed ex receptis moribus, ex æquo ac bono, sententias pronunciatas

tas esse. Veræ enim illæ Carolinæ veteres leges, de quibus suprà egimus, manibus hominum jàm exciderant. Neque enim aliás Epko Repkovius *prologo Speculi Saxonici* dixisset, ante sese neminem Iura Saxonica scripto comprehendisse: neque alibi per Germaniam legum illarum scriptarum memoria intercidisset. A regibus autem qui Carolina tempora sunt sequuti, ut & à Principibus, vix aliquid circa leges novatum memoratur: scriptas aliquas leges populo propositas esse, neque memoratur, neque alijs indicijs intelligitur. Vt verò Carolina illa vetera instituta manserint in populi manibus, tamen plæraque tantùm ex consuetudine & æquo ac bono non potuerunt non decidi: in illa scriptarum legum paucitate & emergentium negociorum multitudine; à prisca vivendi simplicitate multùm jam degeneratis omnium moribus; unde negociorum adeoque & litium necessum est copia succrescat solito major. Iam in judicijs regni Germanici publicis omni illâ ætate sententiam dixisse homines literatos haud legere est, sed vel ipsum Regem vel Principes non tam literis imbutos, quàm morum & solius æqui gnaros. Nec ad privata judicia lecti Scabini aut judices doctrinâ præstantes, sed quos senilis prudentia commendabat & experta justitia ac pietas. Quos utique leges Latinè scriptas (usque ad seculum autem tertium decimum nihil penè apud nos patriâ linguâ scriptum est) intellexisse tantum abest, ut ne quidem illi legere potuerint, plærisque tum ex populo laico legendi scribendique imperitis.

Sed fortassis quem aliter sentire faciat nomen Carolinarum legum, quas jam ante illud tertium decimum seculum passim observatas esse, reperire est. Namquè

& Sa-

& Saxonici & Suevici Speculi, Magdeburgensis item Weichbildici, juris auctores ita Carolinas leges laudant, quasi ad sua usque tempora semper fuerint in usu. Pertinet huc quod de Ottone quarto Cæsare ad annum MCCIIX refert Godefridus monachus S. Pantaleonis apud Agrippinenses. *Rex primò, deinde reliqui Principes jurant firmam pacem terrâ marique conservandam, omnes iniustas exactiones vectigalium deponendas, omnia etiam jura à Carolo Magno instituta observanda & tenenda.* Constitutum autem ita est in comitijs Francofurtensibus: in quibus, eodem Godefrido scribente, tanto numero Principes Germaniæ convenerunt, *ut non in pluribus annis, tot nobiles, tot potentes, insimul convenerint.* Verum enimverò jam tùm suprà monuimus, hac tempestate ab imperito vulgo ferme omnem vetustiorem consuetudinem in Carolum auctorem relatam esse, multa quoque alia ex illo tempore à libertatis avido & per commercia jam insolente populo illi attributa, alibi animadvertimus. Tum verò diserte Epko Repkovius Saxonicas leges, quas Carolo adscribit, à se primum literis traditas profitetur. Vt non dubium sit, Carolinorum jurium nomine tùm temporis non scriptum sed consuetudinarium jus significatum esse, per errorem plurimis alienis legibus in hunc censum relatis. Vt fieri assolet ubi literæ deficiunt. Optimè scilicet Titius Livius: *literæ sunt una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum.*

Prius quam hoc caput claudamus, fortassis haud fuerit absque pretio operæ, si ex Odofredo nonnihil adferamus, de Friderico II Imperatore, Friderici I nepote, quod ad Juris Civilis Romani historiam attinet. Verba autem Odofredi recitantur ab Alvarotto Proœmio Feudalium

lium n. 12 hæc. *Vt unum sciatis, Authenticum quod fuit compositum à Iustiniano habet novem Collationes. Postremo cum venit Imperator Fridericus Iunior, misit has constitutiones ad civitatem istam* (Papiensem) *Doctoribus LL. ut aptarent eam singulis legibus sub congruentibus titulis. Et ita fecerunt Doctores dum convenerunt in S. Petro: qui istam* (authent. *Cassa*) *aptaverunt ad legem istam. Postea quid fecerunt? Dominus Hugolinus post nonam Collationem posuit librum Feudalem, & omnes constitutiones Friderici antiqui & junioris, & aliquas LL. Conradi Imperatoris. Et vocatur decima Collatio. Sed pauci sunt qui habent ita ordinata in libris suis.* Hæc ille. Quæ adduximus, quoniam nos huc invitavit temporis ratio, etsi serius longè Authenticarum aliæque Collationes in Germania vim acceperint.

CAPVT XXVI.

Seculo decimo tertio Ius Pontificium in Germaniâ cœpisse.

AT post annum millesimum ducentesimum ad leges scribendas animum Germani majore studio appellere cæperunt, indubiè Italorum imitatione aut æmulatione.

Quin & circa seculi tertij decimi initia Jus Pontificium, simulac promulgatum est à Gregorio nono, in Germaniam videtur penetrasse. Neque verò ante hæc tempora fortassis id quod à Gratiano confectum est Decretum pedem huc attulerat. Etsi enim illud jam anno superioris seculi quinquagesimo primo fuisset editum, mox Eugenij Papæ jussu in scholas receptum tantos statim progressus fecisset, ut jam tum Friderico I Cæsare Doctores Decretistæ appellati in foris Italicis causas egerint,

rint, ceu liquet ex ijs quæ narrat Arnoldus Lybecensis *l. III. Chron. Sclavor. cap. X*: in Germania tamen forte auctoritatem non invenit tam brevi temporis spacio. Erat nimirum tum Germania longinquis illis in Palæstinam expeditionibus & bellis Italicis pariter ac civilibus occupata: & clerus magnam partem rudis, otio, luxuriæ, armis, venationibus, at sacris studijs & canonum doctrinæ minime omnium, vacabat. Adhoc nullo Pontificum aut Cæsarum jussu illud Decretum vim legum ea ætate acceperat. Imo, si multis credimus, nec hodie fortè accepit. In hæc sane verba scribit *præfat. in Canon. pœnitentiales* Antonius Augustinus. *Video multos iuris studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant. Cum tamen Gregorius nonus Pontificia auctoritate usus omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit, Gratianus unius magistri & monachi personam gerens, ea, quæ refert, non maiori pollere potuit efficere auctoritate, quàm antea fuerunt. Itaque si qua sunt ab eodem relata ex Pontificijs Epistolis, aut ex Conciliis generalibus sumpta, ea suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent: at quæ ex provincialibus concilijs, aut ex Episcoporum, aut aliorum sanctorum virorum libris aut epistolis accepta sunt, ea generalem non habent auctoritatem. Accidit autem sæpe, ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum.* In eandem sententiam Paulus Laymannus: *Quum opus, sive totum complexum Gratiani, à nullo hactenus Pontifice sit confirmatum, sicut notavit Iohannes Maior, Rodriquez, Canisius & Suarez: ideo non omnes canones sive capitula Decreti, Pontificij vel Ecclesiastici iuris auctoritatem habere credendum est.* Nec aliter Martinus Delrio *disq. Mag. l. V. sect. XVI. Communis & indubitata est sententia, etsi Gratiani Decretum à Sede A-*

de Apostolica sit receptum, ita tamen receptum esse ut fides dictorum sit penes authorem, & tanta sit eorum canonum quos in medio producit authoritas, quanta est fontium unde illa manarunt. Nec enim quisquam eorum qui ius Ecclesiasticum vel à limine salutavit, ignorare potest, multa in Decreto haberi, quæ postea à Decretalibus, Sexto, Clementinis & Extravagantib. abrogata fuerunt, nonnullaque à Gratiano per errorem inserta esse quæ cum veritate pugnare deprehenduntur. Ita illi. Quod tamen num omni ex parte vero sit consentaneum, præsertim postquam hodie Gratiani ille liber auctoritate Gregorii XII est recognitus & publicatus, haud temere dixerim. Certe ipsiusmet Iurisconsultissimi Cardinalis Tuschi longe est alia sententia. Etenim diserte *Tract. conclus. tom. 2. D. concl. 110. n. 1.* scribit: *Fuit comprobatum & confirmatum à Sixto tertio summo Pontifice. n 1.* ita loquitur: *Hodie sine dubio probat, quia Gregorius XIII illud approbavit, dum in Bulla sua impressoribus concessa illud cum Decretalibus Sexto & Clementinis appellat Corpus Iuris Canonici.* Cæterùm quid quid sit de illa quam hodie obtinet Decretum istud auctoritate, prima tamen isthac ætate quum nemo fuerit qui Germanos ad Decretum istud astringeret, saltim primis quinquaginta annis procul dubio, in populo bellicoso & literarum studiis minus dedito, nullo in pretio fuit.

Verùm postquam Gregorius nonus, anno post millesimum ducentesimum tricesimo circiter, Decretales suas edidisset, easq; ubivis mandasset observari, quæ tunc temporis erat Paparum auctoritas, indubie Pontificii juris usus statim etiam in Germaniâ cœpit. Vt sane minus dubitemus facit Ioannes Semeca, à patria Teutonicus Italis vulgo dictus, Halberstadiensis cathedralis Ecclesiæ Præpositus, qui omnium primus in Decretũ glossas confecit, mortuus

tuus anno seculi illius quadragesimo quinto. Hic enim est ille, qui in verficulis tumulo inscriptis audit:

Lux Decretorum, dux doctorum, via morum.

Ejus verò industriam alii quoque Germani tum secuti sunt: ut Pontificii Iuris interpretes diu ante Germania dederit quàm Romani. Auctor Anonymus historiæ Archiepiscop. Bremens. à Lindenbrogio editus, testatur anno 1179 Bartholdum quendam electum Archiepiscopum Papæ fuisse commendatum, *decretorum legumque peritiâ.*

Neque verò est quod miremur, Germanos homines in recens illud studium confestim incubuisse, quoniam constat ne à Danis quidem jam tum id neglectum. Disertè id testatur Arnoldus id temporis Lybecensis Abbas *l. III. Chron. Slavor. cap. V.* Verba ejus sunt. *Scientia quoque liberali non parum profecerunt: quia nobiliores terræ filios suos non solùm ad clerum promovendum, verum etiam secularibus rebus instituendos, Parisios mittunt. Vbi litteratura & idiomate linguæ terræ illius imbuti, non solum in artibus, sed etiam in Theologia multum invaluerunt. Siquidem propter naturalem linguæ celeritatem non solùm in argumentis Dialecticis subtiles inveniuntur, sed etiam in negotiis Ecclesiasticis tractandis boni Decretistæ sive Legistæ comprobantur.*

Indubie igitur jam tùm, in Germaniâ non minus ac Daniâ, Pontificii quoque illius Juris auctoritas atque usus invaluit. Et vero publico Ordinum Imperij Germanici decreto ita cautum videtur, Friderico II Cæsare, anno seculi tertij decimi sexto post tricesimum. Verba constitutionis Germanica lingua promulgatæ, atque à Goldasto parte alterâ Reichssatzungen editæ, hæc sunt cap. xv. Wir gebieten auch vestiglich daß man in allem Römischen Reich

Reich an geiſtlichen Dingen nach Gebot vnd nach Raht der Ertzbiſchoffe ſich habe / vnd jegcher Biſchoff oder Ertzprieſter nach geiſtlichen Recht richte. Man ſol auch die weltlichen Gerichte an jhrem Rechte behalten. Eadem verba habentur in conſtitutione Rudolphi I quam *Chronici Spirenſis libro* v. *cap. cxix* inſeruit Chriſtophorus Lehmannus. Neque verò jus Eccleſiaſticum videtur aliud intelligi quàm illud novum Pontificium. Non ſatis patet autem, quid ſibi velint illa: Man ſol auch die weltlichen Gerichte an jhrem Rechte behalten. An fortè hoc volunt? Iudiciorum quoque civilium proceſſus juxta Pontificium jus inſtituendos eſſe? Sanè jam ex eo uſque tempore judiciorum ratio à priſca ſimplicitate & brevitate nonnihil deflexit. Autor Speculi Suevici ſub finem fortè decimi tertij ſeculi conſcripti l. 1. c. v: Vß den zweyen Büchern (Decret vnd Decretal) nimt man all die Recht/ der geiſtlichen vnd weltlichen Gericht bedarff. Quæ in eandem ſententiam fortè ſunt accipienda.

Etſi verò extra controverſiam fuerit penè ſacroſancta Pontificij juris apud plæroſque auctoritas, permulti tamen priſcas conſuetudines ſuas videntur prætuliſſe. Diſerte Epko Repkovius auctor Speculi Saxonjci l. 1. art. 111: *In ſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hæreditatibus, licet in quinto gradu Apoſtolicus matrimonia contrahere conceſſit: qui tamen nullam Decretalem in noſtri Iuris feudalis & civilis poteſt condere præiudicium.* Quam ſententiam fruſtra Gloſſator interpretatione ſua conatur in mitius torquere, eoque tanquam Pontificiæ majeſtati adverſam cùm alijs nonnullis Speculi illius Saxonici aſſertionibus anathematis fulmine percuſſit Gregorius undecimus. Notum quoque eſt, cùm Friderico ſecundo tùm inprimis

Ludovico Bavaro imperantibus, Pontificiæ auctoritatis opinionem multùm in Germaniâ defeciſſe. Tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis à Principibus apertè etiam eſt contraitum, & Friderico tertio Cæſare cum Nicolao V Papa in novas leges tranſactum. A Principibus & Vrbibus Germanicis multa ſanè ſunt jam olim condita ſtatuta Pontificio illi juri repugnantia. Quæ tollere in Pontificum gratiam Carolus IV per conſtitutionem quandam conatus quidem eſt, non potuit tamen. Exſtat & Martini V Papæ bulla in ipſo Conſtantienſi concilio anno MCCCCXVII edita, quâ graviter de Germaniæ Ordinum illis ſtatutis (recenſet autem illorum ſatis multa) conqueritur. Verum nec ille quidquam effecit. Neque verò illa cleri aliorumque perpetua penè diſſidia non arguunt juris Pontificij contemptum: legibus ſcilicet iſtis clero eam immunitatem libertatem & honorem tribuentibus, quam ne largirentur alij ſua intereſſe prudenter exiſtimaverunt.

Itaque utut ſancta nunquam non fuerit auctoritas Juris Pontificij per omnem Germaniam, uſque ad avorum memoriam, & cumprimis illud valuerit poſt inſtitutas ſcholas Academicas, adeoque poſt annum milleſimum quadringenteſimum; attamen omni ex parte illud nunquam obtinuit. Indubie verò etiam ſic magnam Germanicis rebus mutationem attulit: quippe quod multùm receſſit ab antiquis Eccleſiaſticis legibus, uſque ad illud tertium decimum ſeculum uſitatis, ac Pontificis dominatum clerique dignitatem in immenſum extulit, novum & longum judiciorum ordinem, comperendinationum & procraſtinationum uberem campum, pro ſimplice majorum juridici proceſſus formula obtruſit, multitudi-

tudine varietate & obscuritate legum & clero & aliis crucem quasi fixit, superstitiosos hominum animos in rempublicam armavit, clerum ac populum perpetuò collisit, denique litibus Germaniam replevit & emunxit argento. Certe plus longe mali ab illo Jure est enatum quàm boni.

CAPVT XXVII.

Cur à seculo decimo tertio frequentiùs leges Germanicæ scribi cœperint. De constitutionibus Cæsareis ad ævum Maximiliani primi.

IGitur in hunc modum jam tum tertio decimo seculo operoso quodam Jure Canonico scripto uti cœpit Germania nostra. Ex eodem verò tempore usque & civilia Jura, publica privata, majore quam hactenus studio conscripta sunt. Etsi enim plurima scripta non sint sive de industriâ, sive ex negligentiâ, ut fieri solet: attamen & provinciarum quarumdam receptæ consuetudines à nonnullis in literas sunt redactæ, & cum ferendarum legum statutorumque condendorum potestas esset penes regni comitia, proceres singulos, urbes plurimas, collegia plæraque, quod alibi docetur, pene quicquid novi est latum literis quoque est commissum. Cujus rei ego causam haud aliam crediderim, quam quod in universum scribendi usus, & quidem Germanicè scribendi, apud majores cœperit frequentior tùm esse. Eâ nimirum tempestate plebis res per commercia & fœdera efloruerunt, & patria lingua magis magisque exculta est: ideoque & scholæ scientiarum studijs institutæ sunt majore quam hactenus numero. Neque verò commercia ritè exerceri sine scriptione possunt & vernaculæ linguæ cultu, neque scriptio

ptio addiſci citra ſcholas. Igitur ſcribendi uſu jam facto frequentiore, non eſt mirum leges quoque novas in memoriæ ſubſidium conſcribi cœptas.

Cæterùm publicarum Imperij conſtitutionum, quæ uſque ad Maximiliani I tempora promulgatæ, pauciſſimæ hactenus typis ſunt editæ. Latent autem indubiè cum alibi tum fortaſſis & in Moguntinis regni tabularijs, quanquam minimè olim juſta diligentia in illis conſervandis fuerit adhibita. Scilicet typographiæ arte nondum inventâ Imperij decreta tantùm ad paucos potuerunt pervenire: & magis magisque indies collabaſcente Cæſarum auctoritate, ac republicâ in partes abeunte, parum roboris conſtitutionibus illis ſuperfuit: adeoque à pauciſſimis data opera eſt illis comparandis aut cognoſcendis. Igitur vulgò pene unius Caroli IV Aureæ quam vocant Bullæ, quâ de Cæſarum electione accuratius cautum eſt, ex tanto ævi ſpacio memoria & uſus aliquis remanſit: & in vulgari Codice Conſtitutionum Imperij noviſſimarum, paucæ tantum Friderici III præmittuntur. Nonnullas tamen alias, etſi non adeo multas, conſtitutiones à Friderico II uſque ad Fridericum III latas nobis edidit Melchior Goldaſtus, partim Latinè, partim Germanicè, monumentis Imperij publicatis æternam laudem commeritus. Nec tamen dubito, plures adhuc in archivis quibuſdam detineri, vel etiam per incuriam fortè intercidiſſe.

De quibus omnibus etſi ſigillatim agere non ſit inſtituti mei, unum tamen & alterum non poſſum præterire. Gotfridus monachus Agippinenſis in S. Pantalionis cœnobio ad annum M CC XXXVI ſcribit: *Curia celeberrima in Aſſumptione B. Mariæ apud Moguntiam indicitur, ubi ferè omnibus*

bus Principibus regni Teutonici convenientibus, pax iuratur, vetera iura stabiliuntur, & Teutonico sermone in membranâ scripta omnibus publicantur. Hinc verò discere est, stabilita tum esse recepta hactenus jura, & novam constitutionem Germanicâ linguâ promulgatam. Habetur illa apud Goldastum tomo II Reichssatzungen pag. XVII hoc titulo: Kayser Friederichs des Andern Recht / gesetzet vnd bestätiget mit der Fürsten Räthe vnd mit anderen grossen Herrn vnd Weisen / zu dem grossen Hove zu Maugantze / vnd geschahe nach vnsers HErren Christi Geburt 1235 Jahre zu S. Marien im dritten Augusti. Videtur autem hæc esse omnium prima Imperij constitutionum quæ vernacula lingua sit conscripta. Certè ante hanc, quod sciam, nulla memoratur. Vnde lucem accipit id quod antè diximus, hac tempestate Germanicè scribendi usum in reipublicæ quoque negotijs invaluisse. Quò pertinet quod Aventinus notavit *l. VII. Annalium Boicor.* de Rudolpho I. Cæsare Austriaco. *Statuit ut posthac, ob insolitiam nobilitatis, Principum & Pontificum edicta, privilegia, in Teutonum linguâ ederentur, quæ hactenus Romano sermone data sunt.* Est autem idem & Martino Crusio annotatum *Annal. Suevicor.* l. III. p. III. cap. I. *De hoc negocio sic lego: Rudolphum iussisse, ne amplius literas contractuum Notarij Latinè scriberent sed Germanicè. Multos enim simpliciores plebis anteà Latina scriptione deceptos fuisse.* Verùm illa Rudolphi constitutio hactenus typis non est edita; nec omni ex parte observata, diu post Romanâ lingua plurimis passim tabulis conscriptis. Verissimum enim est quod avorum memoria Beatus Rhenanus *Rer. Germanicar. lib. II.* scripsit: *Tantùm Latini sermonis usus apud Germanos in conficiendis tabulis receptus fuit; id quod cum cæteris nationibus commune habuimus. Ab annis tamen centum & quinquaginta secus apud nos factum videmus.*

Sic Vngaricus sermo nostrâ ætate primum scribi cœpit. Quæ tamen Rhenani verba minimè ita accipienda sunt, quasi ante annum præter propter M CCC L nullæ tabulæ Germanicè sint exaratæ, sed illo circiter tempore Latini sermonis usum in tabulis conscribendis prorsus exoleviſſe. Secus quàm in ipsâ Galliâ est factum: ubi jus Latine est dictum ad tempora usque Franciſci I Regis, atque adeo demum anno M D XXXIIX edicta Gallicè concipi cœpta, notante id præter multos alios etiam Dionyſio Petavio in suo Temporum Rationali & Tabulis Chronologicis.

Quicquid vero hujus sit, superat hodieque Rudolphi I Cæsaris Germanica quædam constitutio, anno M CC XCI Spiræ promulgata, & *l. V. Chronici Spirensis cap. CVIII.* à Christophoro Lehmanno inserta. Illius verba quædam etiam hîc merentur recitari. Wir setzen und gebieten bey vnsern Hulden / daß alle vnsere Fürsten / vnd alle die Gerichte von vns habent / recht richten / als des Landes Sit vnd Gewonheit ist / vnd dasselbe gebieten den die Gericht von jhn han. Swer des nicht entut / über den wollen wir richten schafflich / als recht ist: vnd swas vns über jhn ertheilt wird / das wollen wir nicht lassen / noch nimmer übersehen / noch niemandes schonen. Vnd gebiten auch vnsern Fürsten / daß sie mit der Busse zwingen die von jhn Gerichte haben / daß sie recht richten / vnd der Busse nicht entlassen die jhn ertheilt wird. Wir setzen vnd gebieten / daß kein Richter jemand zur Achte thue wan offentlich / vnd daß der Richter jemant auß der Achte lasse / er nehme die Gewißheit daß dem Kläger gerichtet werde nach des Landes Gewonheit. Thut es der Richter nicht / so sollen wir über jhn richten als recht ist. Obscuriora quidem hæc nonnihil sunt præ loquendi prisco usu immutato: conveniunt tamen cum capitulo VI & VII constitutionis Germani-

manicæ Friderici II, & satis clare docent, visum illa ætate omni Germaniæ, ut jus diceretur tantum secundum leges & consuetudines cuivis loco proprias, neminem verò ad Romana aut alia jura fuisse adstrictum. Ex eadem porro Rudolphi constitutione discere est, circa hæc tempora cœptum scripto agi in foris. Id sane in foro Cæsareo est constitutum. Wir gebieten euch / daß man alle Fürgebot mit Briefen thu / vnd Briefe darüber gebe / wie man von Gerichte scheide / vmb daß man mit dem Briefe vnter deß Hofrichters Insigel bereden müge / daß Fürgebot vnd das Ziel / vnd die Tage die vor Gerichte genommen sind.

Jam tum ante verò, anno videlicet 1281, eodem Rudolpho Cæsare curante, in conventu Ordinum Moguntiacensi, repetita denuo fuit illa Friderici II constitutio de pace civili, & in quinquennium sacramento Principum confirmata. Authenticum exemplar in membranâ exaratum consecravi ego AVGVSTÆ & incomparabili Bibliothecæ optimi & literatissimi hoc seculo Nestoris AVGVSTI Brunsvico Lyneburgensium Ducis, ut præclarum adeo monumentum digno loco reconderetur. Exordium constitutionis illius ita sese habet: Wir Rudolpff von Gottes gnaden Römischer Küninc / hant die rathe die der Keiser Vriderich vnser Vorevare / zu dem grossen Hove zu Maguntze / mit der Vorsten rade / gebot vnd sezte / als hier na geschreven stant / die geschworen in der vorgenante Stat zu Maguntze / etc. Quæ verba non simplicitatem tantum & ruditatem istius temporis, sed malitiam quoque ævi & corruptissimum reipublicæ statum indicant; utpote cum necessarium fuerit pacem civilem tum sæpius, & quidem non nisi ad paucos annos valitura lege, componere. Et verò eadem constitutio, sed Friderici nomine obliterato & nonnullis additis, repetita

repetita iterum & in triennium confirmata est anno 1287: tertia vice idem factum Spiræ anno 1291, ceu liquet ex iis quæ habet Lehmannus.

Cæterùm omnium totius illius temporis constitutionum clarissima est, quam Carolus IV Cæsar promulgavit in Comitijs Norimbergensibus anno MCCC LVI & vulgo *Aureæ bullæ* nomine usurpatur, de electione Cæsarum & Electorum dignitate potissimum agens. Reliquarum scilicet omnium memoria penè exstincta, hæc semper hucusque magna in veneratione est habita, propter insignem usum: ideoque & ipsum autographum ejus sanctè servatur Francofurti ad Mœnum loco electioni Cæsarum dicato. De autographo illo Francofurtensi ita scribit amicus & quondam auditor noster Vir Amplissimus Joachimus Hagemejerus Exercitatione Præliminari ad Dissertationes Bernhardi Sutholti th. 78: *Aureæ Bullæ Caroli IV Imperatoris authenticum exemplar servatur Francofurti ad Mœnum, quod nuper vidimus. Constat ex quadraginta tribus foliis: bulla verò seu sigillum ex auro factum refert uno latere effigiem ipsius Caroli, altero castrum magnum cum duabus turribus.* (est autem reverà urbis Romæ imago) *Fila serica quibus liber transfixus est, sunt flavi & nigri coloris. Aliam descriptionem hujus libri habet Ostermannus in principio Epitom. Aureæ Bullæ, quæ à codice Francofurtensi prorsus aliena est*, Hæc ille. Nonnihil quoque aliam libri hujus descriptionem refert verbis Pilei Cardinalis, Urbani V anno 1379 in Germaniam Legati, qui librum illum viderat & manibus versaverat, *ad l. 2. Petri de Andlo cap. V.* Marquardus Freherus. *Prædictus* (inquit) *liber scriptus in pergameno in 24 foliis cum coopertura grossa. In quo erant scripta diversa negocia sacrum Imperium & Electores ejusdem tangentia. Qui quidem liber transfixus erat cum filis sericis glauci & rubei*

coloris

coloris involutis; cum bulla seu sigillo aureo rotundo Imperiali appendente. In cujus uno latere apparebat figura Imperialis in majestate sedens, cum corona Imperiali in capite, habens in manu dextra sceptrum & in sinistra pomum cum cruce desuper, modo Imperiali, & à latere dextro clypeum cum aquila, & sinistro clypeum cum forma Leonis. In circumferentia verò legebantur hæc verba: Carolus Quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ rex. Ab altero vero latere castrum magnum cum duabus turribus habens portam inferius in medio, cum litteris AVREA ROMA. In circumferentia verò legebantur hæc verba: Roma caput mundi regit orbis frena rotundi. Hactenus & Pileus. Quæ ab Hagemajeri narratione dissidere apertum est. Sed fortassis mendum est in numerali nota filorum, & fila olim rubea vetustate jam nigricant. Quâ ratione Pilei & Hagemejeri descriptiones possunt videri concordes. Meretur verò & id cumprimis notari, quod cùm manuscripta tùm edita exemplaria Carolinæ illius constitutionis in quammultis dissentiant. Quæ anno superioris seculi nonagesimo quarto ex Palatino Archivo Heidelbergæ (Frehero nisi fallor curante) edita est, redolet antiquam & rudem scripturam, adeoque possit haberi reliquis melior. Hinc sanè à Goldasto aliisque est reliquis prælata. In haud paucis verò dissentiunt editiones variæ: ut proinde haud injuria & de manuscriptis idem suspicandum videatur. Merito verò & hoc mireris, quod isthæc Carolina Constitutio Latine non autem Germanice, ex more jam tum recepto, sit conscripta. Fortassis vero hoc factum, quoniam legi illam voluere proceres & Carolus ipse etiam à Pontificibus Romanis: quod illorum interesse crederetur, haud ignorare quæ de omni electionis negotio in Germania placuerant. Quicquid sit, extant quidem hodie versi-

versiones Germanicæ variæ: nulla tamen earum hactenus auctoritate publicâ est probata. Operæ fuerit pretium legere, quæ vir summæ industriæ Limnæus cũ de variantibus lectionibus Latinis, tum de Germanicis versionibus annotavit, in commentario ad Bullam illam Carolinam observatione præliminari tertiâ & quartâ. Quantumvis porro Constitutio illa quam maxime circa ceremonias sit occupata, concordiam tamen & tranquillitatem publicam illius observantiâ in quam multis hactenus stetisse certũ est. Hodie nihilominus multum illius auctoritati jam detractũ est: cumprimis ex quo illa quæ ibi sunt consensu omnium Imperii Ordinum constituta, privatim vitii accusare imo damnare impune licuit. Ne quid nunc dicã, quod longa ætas & in alia prorsus vergens consuetudo multa antiquaverit.

Debebat porrò meritò haud minore quam est Carolina hæc in pretio esse illa, quam Ludovicus Bavarus anno M CCC XXXVII Francofurti ex Electorum aliorumque Principum sententiâ promulgavit de Iurisdictione Cæsaris & Papæ; quâ profecto illi tempestati nihil fuit utilius. Verum illa forsan tota perijsset, nisi Albericus de Rosate *l. 3. cod. de quadriennij præscript.* Huld. Mutius *l. XXIV. Germanic. rer.* Hieron. Balbus *l. de coronat. ad Carolum V.* alijque nobis servassent. Quod indubiè factum, partim propter subsequentem Caroli IVti & Electorum Principumque nonnullorum à Ludovico defectionem, partim ob superstitiosum Papalis nominis eâ tempestate apud plurimos malè rursum invalescentem cultum. Etsi enim Ludovico imperante concionibus Franciscanorum quorundam monachorum, aliorumque præclaris pro auctoritate Cæsareâ scriptis libris (quos inter excellunt Guilielmi Occami, Marsilii Patavini, Ioannis de Ianduno) haud

haud exiguam jacturam existimatio Pontificiæ in secularibus, quæ vocant, majestatis esset passa; satis tamen multi pro Pontifice semper depugnarunt, toto ordine Prædicantium monachorum Papales partes strenuè defendente, & clero magnam partem curiæ Pontificiæ obnoxio, non multò post etiam Carolo ipso Romanæ curiæ adulante.

CAPVT XXIIX.

De statutis Principum liberarumque gentium & Vrbium scriptis: inprimis jure Lybecensi, & processu Vrbium forensi usque ad seculum decimum quintum usitato.

PORro singulis Principibus legum ferendarum ut olim ita & ab illo usque seculo decimo tertio fuisse potestatem, nullum dubium habet. Quis vero etiam dubitet, quas interea temporis constitutiones hi promulgârunt literis esse traditas, in illo jam vulgari scribendi usu? Auctor anonymus, sed cujus eximiam eruditionem non possumus non laudare, libri *de Privilegio Belgarum de non evocando cap. 1. n. 3.* antiquissimas Brabanticorum Ducum constitutiones latas esse circa annum 1312 testatur. Addit mox verba ipsa tabularum Joannis Ducis Brabantiæ inartificiosâ simplicitate venerandarum: quibus ille populo suo sancte promisit, *cunctis se jus postulantibus judicia recti facturum, per scabinos aut eos quibus judicare incumbit, atq; uti secundum proposita negotia forum sortiuntur: nimirum unicuique secundum jus civitatis suæ; & si quid elucidandum aut mutandum incidit circa leges, id semper facturum adhibito consilio bonorum virorum illius regionis.* De Ludovico IV Cæsare Bavaro, qui itidem seculo vixit quartodecimo Aventinus *l. 7. Annal. Bojor.*:

Bojor.: Idem, inquit, *veteres leges Bojorum correxit, novas tulit: instituta gentis in libellos retulit; quibus adhuc Boji uti solent, & secundum eas codice proposito jus dicunt.* Idem ab alijs Principibus prudentia eximijs factitatum esse, non est dubium. Tamen earum constitutionum hactenus penè nihil est typis publicatum: sive longo tempore perierint, sive posteris indignum fuerit visum, edere illa antiqua & rudia imo ferè nullius hodie amplius usus.

Eandem penè fortunam experta sunt Gentium quarundam & Vrbium liberiorum statuta: quæ itidem ferendarum legum potestate impetrata, & opibus viribusque potentes, singulæ quæ in rem suam facere visa sunt condiderunt. Cœpit autem & hoc institutum circa seculum tertium decimum. Eminuerunt autem inter illas Germaniæ gentes isthac ætate Frisij atque Helvetii. Ac de Frisiæ quidem ejus quæ à Flevo ad Visurgim in Oceani littore extenditur, tùm fœderatæ, communibus legibus, ut & de Ostfrisiæ patriæ meæ proprijs alijs, seculo tertio decimo & quod excurrit latis, multa quidem narrat civis meus Vbbo Emmius luculentissimus Frisicæ historiæ auctor l. 13. p. 190. & 193: supereſt quoq; apud nonnullos in scrinijs Codex legum Frisicarũ illà circiter tempestate conditus: tamen nihil horum typis editum est hactenus, præter leges à loco in Ostfrisia prope Auricam, ubi sunt conditæ, dictas Opstalbomicas: quas antiquissimis aliis Sibrandus Siccama Jurisconsultus junxit Franekeræ anno 1617. Sed nec Helveticorum populorum vetera illa statuta prodierunt in lucem: quod equidem sciam.

Inter Vrbium leges nonnullæ præ alijs olim eminuerunt, ad quarum exempla multæ aliæ compositæ sunt. Colonienses nimirum, Aquisgranenses, Lybecenses, Mag-

Magdeburgenſes. Colonienſium ita meminit jam olim auctor Iuris Magdeburgici art. 1 : *Ius civile ſeu municipale eſt, quod homines unius civitatis ſeu fori concluſerunt inter ſe tenentes, iuxta eorum arbitrium & antiquas conſuetudines: quemadmodum Colonienſes circa Rhenum Ius Caroli confirmatum habent.* Fabuloſum quidem eſt indubiè illud de Carolo: patet tamen, jam illo tempore quo ſcriptor ille vixit, clari cumprimis in Germania nominis fuiſſe Jus Colonienſium. Eodem verò in cenſu habet Gloſſa articuli illius Polonica Ius Aquiſgranenſium, quaſi nempè & illud à Carolo Imperatore ſit profectum. Eſt quidem & hoc fortè fabuloſum. Vt Colonienſe tamen ita & Aquiſgranenſe jam tum inſigni in pretio fuiſſe, manifeſtum hinc eſt. Hinc ſanè natum quod & olim & hodie nonnullæ Rheno vicinæ celebriores urbes, Aquiſgranum aut Coloniam ſoleant provocare in cauſſis dubiis.

Friderici Barbaroſſæ primùm ætate ad mare Balthicum florere cœpit Saxonibus incolis Lybeca, ita ut mox caput ſuper omnes Saxonicas extolleret, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* An jam tum ſtatim legibus ſcriptis fuerit uſa, dubito. Obſcurum tamen quid huc fortè faciens habet de urbe illa Arnoldus Abbas *lib. 11. chronici Sclavor. cap. XL.* quo loco narrat, quibus conditionibus Cæſari urbs illa circa annum MCLXXX dedita ſit. *Priuſquam ei civitatem aperuiſſent, exierunt ad eum, rogantes ut libertatem civitatis, quam à Duce prius traditam habuerant, obtinerent, & juſtitias quas in privilegiis ſcriptis habebant, ſecundum jura Soſatiæ, ipſius auctoritate & munificentiâ poſſiderent.* Haud liquet, quæ illa jura ſint *Soſatiæ:* niſi fortaſſis legendum *Holſatiæ.* Cui meæ conjecturæ aſſenſit etiam in doctiſſimis ſuis ad Helmoldum & Arnoldum notis Henricus Bangertus,

gertus, amicus noſter. Cæterùm ſi nondum tunc, paulò pòſt tamen Jus Lybecenſe cœpit, quippe quod mox in alias quoque vicinas urbes tranſierit. Exſtant tabulæ Friderici II Cæſaris, ſeculi decimi tertij anno ſecundo poſt triceſimum ſcriptæ, quibus confirmat ab Adolpho Holſato Hamburgenſibus conceſſam libertatem *utendi antiqua juſtitia Lybecenſium.* Sed fortaſſis illa verba non ad leges pertinent, ſed ad jura quædam paſcuorum aliorumque bonorum, more Lybecenſium poſſidendorum. Neque vero ex verbis tabulæ certo eſt colligere, Hamburgenſes olim Lybecenſium legibus uſos, quod tamen ſcribit Cyriacus Spangenbergius *lib. 11. Hiſt. Schaumburg. cap. VII.* Quam meam ſententiam dudum aſſertam poſt calculo ſuo probavit clariſſimus Hamburgenſium rerum ſcriptor, itidem amicus noſter, Petrus Lambecius *l1. pag. 98,99. & deinceps.* Certius eſt, multas vicinas urbes à Lybeca leges non minus atque ab Athenis Attici olim Romam accepiſſe, & hodieque obſervare. Sicut Roſtochium, Stralſundium aliæque nonnullæ urbes in litibus dirimendis Lybecam ſolent provocare. Merentur legi, quæ narrantur de jure Lybecenſi, dato oppidis Holzatiæ, Plonæ, Oldenborgo, Kylio & Jetzehoæ, in id ut eò certius iſthac libertate creſcerent, *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cypræi pag. 252. lib. 2. cap. 5.* Cumprimis erudita ſunt quæ de hoc Lybecenſium jure prudentiſſime pariter & præclariſſime commentatus eſt Juriſconſultus ſummus Mævius.

Hamburgum ſtatutorum condendorum facultatem à Comitibus Holſatiæ ſerius impetravit & quidem anno demum ſeculi decimi tertij nonageſimo ſecundo. Adolphi Comitis verba hæc ſunt: *Concedimus etiam & donamus eisdem jus tale, quod vulgo* Röhre *dicitur: Statuta mandare, & edicta*

edicta promulgare secundum placitum eorum, pro utilitate & necessitate civitatis prædictæ, ac eorundem: & revocare eadem, quotiescunque, & quandocunque ipsis visum fuerit expedire. Conferimus nihilominus eisdem de mera & libera voluntate nostra, ut jura sua & sententiam nusquam alias, id est foris civitatem, quam in domo consulum ipsius civitatis, secundum SCRIPTI LIBRI ipsorum liberum jus exequantur: tali conditione adjectâ eidem; ne pauperi aut diviti vel alicui ex parte nostra postulanti, qui sibi autumaverit aut suspicaverit minus juste esse sententiatum & injuriam esse irrogatam, si petierit ipsius libri copiam nullatenus denegent. Donamus etiam præterea plenam & perfectam potestatem super causis emergentibus, de quibus non est sententia in libro prædicto, novum jus creandi & statuendi de communi consensu Consulum & Potestatis, pro sua voluntate. Ita tamen ut hujusmodi jus sic de novo creatum libro prafato inscribatur, & pro perpetuo jure ab ipsis ac ipsorum posteris teneatur. Ex quibus verbis confirmatur, jam tum urbium statuta in libros referri solere, quod supra asseruimus. Et vero jam ex eo condi passim cæpere libri quos Statbücher hodieque appellamus.

Id mirorvero, cum diu ante Saxonicas urbes floruerit præcipuâ gloriâ Spira Nemetum, à diligentissimo & doctissimo rerum urbis illius scriptore Christoph. Lehmanno nullam scriptam legem urbis illius referri, quæ sit lata ante seculum quartumdecimum. Vide Chronici lib. II. cap. XVI. XIX. & XX. Proculdubio autem alibi sunt antiquiora. Sed non est meum singularum Vrbium jura quando & quomodo sint instituta, exponere. Id in universum tamen arbitror verissimum; nihil scripti juris in iis reperiri quod præcedat annum millesimum ducentesimum.

Etsi verò interea temporis sat multæ urbium leges in literas sint relatæ, indubiè tamen plurimæ scripto nullo comprehensæ sunt. Id de industriâ factum esse suspicatur doctissimus Lehmannus *lib. IV. cap. XXI.* & quasi exemplo Athenienſium, qui obscuriores leges populo proposuerunt quo Senatus auctoritas servaretur. Et sanè prudenter Plutarchus in Solone: *Initio nullius momenti videbatur, tamen permagnum esse posterius apparuit; ita cum magistratus legibus dissolvere litem nequirent, usu veniebat ut semper Senatus operam requirerent, ad eosque controversias deferrent, qui legum domini quodammodo erant.* Neque ego negaverim nonnusquam & in Germanicis urbibus Senatum id egisse; quoniam legum peritia ad paucos redacta paucis illis non potest non multum auctoritatis præ omnibus aliis conciliare. Crediderim tamen potius id accidisse, partim antiquo more quo leges scribere insolitum fuit, partim quod judicatum sit multis legibus minimè opus esse, modò judiciis viri expertæ virtutis & senilis judicij præficerentur: quod ut fieret, opera sane tum adhibita maxima est. Scilicet multis in urbibus haud leviter laboratum, ne quid legum plebem ipsam temerè lateret: itaque quotannis semel, bis, ter, sæpius, populo omni leges vernacula linguâ prælectæ, etiam describendi eas facta potestate; & judices ex medio populo constituti, ratione tantum habita majoris prudentiæ & æquitatis, juramenti religione additâ, in dubiis *se judicaturos ex animi sententia, vel optima atque æquissima sententia usuros*, quomodo etiam olim apud Athenienses & Romanos jurari solitum.

Operæ pretium fuerit fortassis hoc loco meminisse processus forensis, illa tempestate qua in urbibus breve illud

illud & populare jus viguit, obſervati. Nimirum ſupra quidem dictum, jam tum ſeculo decimo tertio una cum Pontificio jure proceſſum in Decretalibus præſcriptum in fora Germaniæ alicubi, ſaltim ex parte, introductum eſſe: & verò abunde id patet ex proceſſu legibus Saxonicis & Suevicis laudato, qui profecto haud parùm abeſt à priſca majorum ſimplicitate: in multis tamen urbibus rudis illa ac vetuſtiſſima judiciorum ratio manſit integra. Sufficit idipſum unius Lehmanni teſtimonio probare, quo homine rerum Imperij noſtri dubito num quis peritior fuerit. Is de Spirenſi urbe ita commentatur noſtrate lingua *lib. IV. chron. cap. XXI.* Was den Proceß in Rechtſachen anlanget / wiewol man vor Gericht vnd Raht in Rechtſachen gar langſamb den Brauch der Protocollen angefangen / ſo iſt auß denſelben / ſo faſt vor 200 Jahren beſchrieben / zu vermercken / daß von alters ein kurtzer Proceß allen bürgerlichen Irrungen gehalten / vnd ſchwere Sachen in zweyen oder dreyen Gerichtstagen auffs längſt erledigt worden. Es befindet ſich auß einem Protocol / darin mehr als tauſent Vrtheil eines Rahts / ſampt der Partheyen Clagen vnd allen Handlungen / ſo vor Gerichten vnd Raht fürkommen / nicht allein in Sachen der Burgerſchafft zu Speyr / ſondern auch vieler adeliſchen Perſonen auffm Land / der benachbarten Städt / Flecken / vnd Dorffſchafften / ſo Entſcheidt vnd Vrtheil vorm Rhat zu Speyer vielfältig geſucht / daß die Partheyen nur mündtlich vnd gar nicht in Schrifften / jhre Sachen entweder ſelbſt / oder durch eines Rahts verordnete vnd beädigte Fürſprechen / nach geſtalt der Sachen entweder vor Gericht / ſo ſie dahin gehörig / oder vor Raht für getragen / der Cläger ſeine Clage kurtz / ohne weitleufftigkeit / doch zur Nottürfft anbracht / der Beklagt darauff ſeine Einrede fürgewendt / der Cläger hinwieder

wieder replicirt / vnd der Beklagt duplicirt / darneben jeder Theil sein Beweißthumb mit lebendiger Kundtschafft / oder in Schrifften dargethan. Hæc Lehmanniana justo prolixiora nonnihil fortè sunt ; tamen omnia hîc legi & expendi commerentur.

CAPVT XXIX.

De Iure VVeichbildico Magdeburgensi.

VT de Iure Magdeburgensis urbis seorsim nonnihil dicamus, meretur ejus olim existimatio & usus. Etenim inter omnium Germanicarum urbium statuta & consuetudines prima semper famâ Magdeburgensia fuere. Illa fabulosè referri in Ottones Cæsares suprà ostendimus. Id verò certũ, jam seculi decimi tertij initio in Prussiæ urbes, à milite Ordinis Germanici sive conditas sive subactas, transiisse. Privilegium ab Hermanno Magistro illius Ordinis anno M CC XXXIII editum: *Statuimus autem in iisdem civitatibus IVRA MAGDEBVRGENSIA in omnibus sententiis in perpetuum observari : hoc indulto, ut cum reus aliquis in sexaginta sex solidis puniri debeat, hîc in triginta solidis Culmensis monetæ mulctetur.* Quod ipsum ne tum quidem mutatum, quando Prussiæ magnam partem fœdere pacto in ditionem Casimirus rex Poloniæ anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto accepit. Verba fœderis sunt: *Item cum terræ ipsæ & hostes istas terras incolentes variis hactenus legibus sive juribus, videlicet Magdeburgensi, Culmensi, Poloniensi, hæreditario, & Prutenico, in decidendis quibusvis eorum quæstionibus & administratione justitiæ utebantur ; quod etiam illis sub nostro principatu & regimine volumus firmum esse ac perenne.* Auctor Iuris Weichbildici *art. X. § 1.* scribit, omnes Poloniæ, Bohemiæ, Marchiæ Misnensis & Lusacensis

censis urbes præter Hallas Saxonicas, *jure Magdeburgensi locatas esse.* At nos non multo pòst demonstrabimus, primùm Leskone nigro rege, circa annum MCC LXXXVI in Poloniæ urbes, inprimis Cracoviam, jus istud receptum esse. Porrò idem auctor *loc. cit.* dicit, ex illis usque Poloniæ, Bohemiæ, aliisque terris appellandum esse in controversijs dubijs Hallas & Magdeburgum. *Magdeburgum*, inquit, *civitas est totius provinciæ Saxonum præcipua, capitalis ac senior, & civitas Hallensis super jure illius fundata est, ac utraque uno utitur jure.* *Eapropter omnes de Polonia, Bohemiâ, de Marchia Misnensi & Lusacensi, civitatibusque illis subjectis, quæ Iure Magdeburgensi locatæ sunt, jus suum in appellando ex Halla reportare debent. Si verò Hallenses in sententiâ deficiant vel invenire ignoraverint, eandem quærere & reportare ex Magdeburgo coguntur.* Et verò ex Poloniâ usque appellatum est Hallas & Magdeburgum, ad Casimiri II Regis tempora, circa annum MCCC LVI. Matthias Mechovius l. IV. Chronici Polonici cap. XIX: *Considerans quoque rex Kazimirus, pernicioſas in Maydenburg ex regno Poloniæ appellationes, fortunas atque substantias subditorum devorantes, jus supremum Theutonicale in castro Gracco, anno domini 1356 constituit. Advocatum per solum regem eligendum; Septem vero Scabinos ex certis civitatibus Graccoviæ urbi vicinis, per procuratorem generalem Graccovienſem legendos commisit, & provocationes ad Maydenburg peramplius fieri per patentes litteras prohibuit, quarum tenor sic incipit. In nomine domini amen. Quoniam humana conditio &c.* In eandem sententiam Nicolaus Jaskierius Polonus in gloss. marginalib. ad Ius Weichbildic. art. IIX: *Articulus præsens & sequentes quatuor parum afferunt utilitatis nobis. Appellatio enim in Hallam vel Magdeburgum ex regno Poloniæ abolita est in anno Dom. MCCC LVI per*

per Ducem olim Casimirum Magnum Poloniæ regem, locatumque est jus provinciale in castro Cracovienſi, ut illuc omnes in appellando recurſum habeant. Extat conſtitutio ipſa Caſimiri, renovata ab Vladislao anno MCCCCXLI, in codice legum Polonicarum. Porrò & Hamburgum conceſſione ſuorum tum Principum, cæpiſſe uti Jure Weichbildico Magdeburgico, anno MCCLIX, idque jus κατ' ἐξοχὴν tum audiiſſe ſive oppidanum ſive das Statrecht / per ſit veroſimile ex iis quæ differit P. Lambecius V. Cl. & amicus noſter *l. 2. Rer. Hamburgenſium n. 279.*

Hinc vero haud obſcure colligere eſt tempus conſcripti juris illius Weichbildici: quod vulgò exſtat. Non eſſe illud ab Ottone I aut II Cæſare, ceu nonnulli fabulantur, jam *cap. XIIX* oſtenſum eſt. Poſt Ottonem IV ſcriptum eſſe, liquet ex ejus aliquot conſtitutionibus libro paſſim inſertis. Imo recentius eſſe anno Chriſti MCCXC patet, quoniam quo tempore ſcriptum eſt cœperat jam uſus Magdeburgici juris per Poloniam: ibi autem demum anno MCCLXXXVII invaluit; ſi credimus Decio & aliis. Nec tamen forte ſcriptum eſt jam abolitâ per Caſimirum regem ex Poloniâ appellatione in Haliam aut Magdeburgum. Itaque veroſimile fit, exaratum iſtum librum circa initia ſeculi quarti decimi præter propter. Indubiè tamen jam antea literis exaratum jus Magdeburgenſe aliquod in manibus fuit. Neque enim aliàs jam tum anno triceſimo ſeculi decimi tertij, vel anno octuageſimo ſexto potuiſſet commodè in Pruſſiæ & Poloniæ urbes, aut anno quinquageſimo octavo Hamburgum commigrare. Ante verò hunc librum conſcriptum, in Poloniam, Bohemiam, Luſatiam, & Miſniam, Magdeburgenſe jus jam tranſiiſſe, diſerte etiam teſtatur ipſemet autor hujus libel-

libelli, ſcribens earum provinciarum urbes jam tùm Iure *Magdeburgenſi locatas eſſe.*

Veroſimile autem eſt, ipſum illud Iuridicum collegium quod Magdeburgi & Hallis præcipuè ad patrum memoriam uſque valde floruit, non multò ante quartum decimum ſeculum inſtitutum eſſe. Neque vero illud ab Ottone Magno aut Ruffo eſſe (quod tamen ab auctore libelli illius Weichbildici aſſeritur & vulgò creditur,) ullo fide digno teſtimonio vetuſtiore probare eſt. Non is ſane eſt auctor libelli cui hiſtoriæ veteris tutò quidquam credas. Et verò cumprimis illo tempore perfamiliare Germaniæ fuit fabulas fingere vel fictas admittere: ceu liquet de legibus quæ in Conſtantinum & Carolum & Ottonem Magnos relatæ vulgò ſunt, de inſtitutis ab Ottone tertio ſeptem Imperij electoribus, de Rulandinis coloſſis juſſu Caroli Magni in ſymbolum libertatis erectis, & ſimilibus aliis, tum primùm credi vulgo cœptis.

Pudet recitare hîc quæ auctor gloſſæ Weichbildici Juris narrat ad articul. x. nec tamen fortè licet præterire. *Imperator tandem ibidem circa Albim fluvium Ducatum fundavit Schartauu cognomine: ſed & civitatem Magdeburgum ibidem locavit, communiq; privilegio Iuris Municipalis de conſenſu totius provinciæ dotavit. Filius eius tandem Otto Ruffus privilegium Iuſque Municipale, per patrem eius Ottonem Magnum civitati conceſſum, auctoritate Imperiali confirmavit, nonnulla etiam iuxta eorum plebiſcita, ac de conſilio prudentium illius provinciæ, ex iure Provinciæ, ex jure Provinciali quod Speculum Saxonum vocatur, extrahendo addidit. Quin immo illa, quæ in Speculo Saxonum obſcure habebantur, hic clarius enodavit. Huicque operi ac provinciæ præfecerat ſequeſtratorem ſacri ſui Palatij Burchardum de Manpheſt* (alij rectius habent, *Mungelfeld*)

an Manſfeld

feld) Professorem sacræ Theologiæ, ac utriusque Iuris Doctorem. Is etiam ex mandato Imperatoris, in Ius Provinciale, seu Speculum Saxonum Commentarium fecit, legibusque & canonibus adornavit, idque in conclavi sedendo facere coactus. Præsens etiam Privilegium, ut supra tactum est, congestum glossis & interpretationibus lucidius declaravit. Sed & Processum Iuris (Richtsteig) compilavit, quem tandem Gerko de Kertavv consummatius peregit. Ecko vero de Repkavv Speculum Saxonum Latinis literis illuminavit, ad instantiamq; Comitis Henrici de Phalckenstein in Germanicum traduxit. Corpusque ut sit Iuris Magdeburgensis congestum, revisum, diligenterque interpretatum, per Imperatorem Ottonem confirmatum fuit. Sed & per successores eius illæse custodiebantur, ac quædam superaddebantur, pro commodo & utili civitatis Magdeburgensis. Privilegium etiam, quod Otto Ruffus civibus de Maydeburg, ac provinciæ quin immo & aliis civitatibus super Iure Maydeburgensi fundatis, & qui ius à Maydeburgensibus reportant, largitus est, hic subinferre consultò videbantur. Hæc Glossa; quibus profectò nihil est fabulosius. Vt enim nunc concesserim illa de Ducatu Schartovienſe, (de quo tamen nihil legas in Witikindo Dithmaro aliisque Saxonicarum rerum scriptoribus) per Ottonem Magnum & Iure municipali per Ottonem Ruffum constituto; quàm anile est commentum, ex Speculo Saxonici Iuris per Ottonem Ruffum quidquam in Ius illud municipale esse translatum & quidem per aliquem utriusque Juris Doctorem: cum Speculum illud seculo decimo tertio sit editum nec ante hac ullus, vel in ipsa temere Italia, utriusque Juris doctor visus sit. Adde auctorem glossæ Speculi vixisse seculo decimo quarto, ut infrà ostendemus, & tamen hic nugator coævum illum fecit Ottoni Ruffo. Enimverò multæ sunt fabulæ in ipso Iure

Weich-

Weichbildico & Saxonico, plures in Gloſſa Speculi; at nuſquam putidiora mendacia reperias quàm in Gloſsâ illa Weichbildica. Vt illis libris in hiſtoria veteri quid credere, ſit putidiſſimis fabulis fidem adhibere. Quod tamen videmus factum etiam in hac clara doctrinæ luce. Verum de his ſatis.

CAPVT XXX.

De Speculo Iuris Saxonici & Suevici, nec non Codice Iuris feudalis Saxonici ac Suevici.

POſt annum milleſimum ducenteſimum conſcriptum quoque eſt Speculum quod appellant Saxonici & Suevici Iuris, ut & jus feudale Saxonicum Suevicumque, ſecùs quàm vulgo perſvaſum eſt. Enimverò vulgo quidem jam pene trecentos annos creditum eſt, Saxonicum illud Speculum à Caroli Magni uſque ævo eſſe. Id enim paſſim Gloſſator docet: unde in plebem ſerpſit ſententia. Hinc Cranzius Saxoniæ l. II c. XXI *In commemoratione rerum à Carolo geſtarum præterire non debemus, quod gens noſtra de illo inflatis prædicat buccis, dediſſe illum Leges Saxonibus, quæ in codice quod Speculum vocant, extent recollectæ.* Ipſe Baldus conſilio C LXXIV: *Saxones conſuetudinem habent & ſtatutum Imperiale Caroli Magni, quod nullus poſſit alienare bona extra iudicium domini.* Cæterùm hanc vanam fabulam ſuprà jam exploſimus. Et vero ipſe auctor libri hac parte imponere nobis noluit: Carolinorum enim temporum ſemper meminit ut diu præteritorum. Diſertè etiam ſic loquitur l. III art. LXXIII. *Iſtud etiam ius habebant miniſteriales uſque ad tempora VVichmanni Archiepiſcopi Magdeburgenſis.* Item: *A prædicti autem Archiepiſcopi temporibus hoc ius eſt frequentatum.* Atqui conſtat Wichmannum illum

à Friderico Barbaroſſa conſtitutum Archiepiſcopum ex Epiſcopo Citicenſi, circa annum M C LIII. Quà de re legendus Otto Friſingenſis *l. II. de geſt. Friderici c. VI.* Non diſſimulat verò auctor Speculi ætatem ſuam illo tempore inferiorem eſſe. Idem *l. III art. LVII* Regem Bohemiæ memorat: hic verò regius titulus à Friderico itidem eſt demum Ladislao Duci collatus anno M C LXIIX: quod à Friſingenſi proditur *l. III c. XIII.* Porro idem auctor *l. I art. III* ſcribit: *Inſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hereditatibus: licet in quinto gradu Apoſtolicus matrimonium contrahere conceſſit.* Apoſtolicus hic eſt Innocentius tertius, cujus decretalis habetur *l. IV tit. XIV de conſanguin. & affin. Cap. non debet*, lata in concilio generali anno ſeculi tertij decimi decimo quinto. Itaque Speculum illud ſaltim illo anno, ſi non anno triceſimo ejuſdem ſeculi, quo circiter Gregorius Papa opus Decretalium edidit, eſt recentius. Nec tamen multò eſt recentius. Namque *lib. III. cap. LXII* enumerantur feuda vexillaria quæ vocant Saxoniæ, nullâ mentione facta Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium. Ille autem Ducatus eſt à Friderico II inſtitutus anno triceſimo quinto.

Itaque circa confinia ſeculi duodecimi & decimi tertij vixerit auctor operis neceſſium eſt: ipſumque opus intra primos quinquaginta annos demum eſt confectum. Paulùm diverſa ſunt quæ Spangenbergius in Chronico Saxoniæ ad annum M CC XIII narrat: illo ſcilicet anno Fridericum II Cæſarem in comitijs Mersburgenſibus jus feudale tuliſſe, ac Speculum Saxonum additis novis conſtitutionibus locupletaſſe. Verum illo quidem anno Speculum illud nondum fuiſſe exaratum, jam demonſtravimus. Fortè tamen latæ ſunt tum leges illæ, quæ libro

tertio

tertio ab articulo LXXXVII usque ad finem Friderico Cæsari adscribuntur, quasi nempe omnia alia sint à Carolo Magno profecta.

Vt minus de auctore ipso operis dubitemus, ipsemet præfatione Germanicæ versionis effecit. Ita enim canit rudibus versiculis de sui Latini operis Germanica versione:

Nun dancket all gemein/
Dem von Falckenstein/
Der da ist Graff Hojer genant/
Daß an deutsch ist gewandt/
Diß Buch durch sein bitte/
Ecke von Repkaw es thete.

Alijs dicitur Epko: nonnullis etiam Eccardus audit, creditúrque is esse *fidus Eckardus* qui in proverbium apud Germanos abijt, quod tamen nihil habet simile vero. Videtur autem à vicino nobis pago *Repke* cognominatus. Neque verò dubium est, hominem Saxonem fuisse, & quidem hic viciniæ natum. Goldastus existimat fuisse judicij Cæsarei in Saxonia assessorem: sed mera est & teste carens conjectura. Patet verò jam tum ex modò recitatis versiculis, Speculum illud ab auctore primùm Latinè editum, inde rogatu Hojeri Comitis Falckensteinij Germanicè versum. Et verò utraque editio hodieque superest, soletque in exemplaribus typo publicatis conjungi.

Quamvis vero auctor ille profiteatur sese tradere leges à Constantino & Carolo Magno Saxoniæ perscriptas, nemo tamen non videt quàm id sit à vero alienum. Neque enim Constantinus Saxoniæ imperavit, nec temerè in hoc codice quidquam reperire est quod sigillatim ab illo sit profectum: nisi huc trahas illud *lib. III. art. LXIII.* Con-

Constantinum Imperatorem Sylvestro Apostolico & per eum Ecclesiæ mulctam sexaginta solidorum concessisse temporalem; quæ fabula pars est mentitæ donationis Constantini, quâ isthac tempestate totum pene orbem Curia Pontificia dementaverat. Nec quæ hoc libro continentur ea sunt Saxonum jura, quæ Carolus Magnus in literas fecit referri: quod suprâ jam ostendimus. Quin ipse Epko haud diffitetur, sese primum illa Latinè collegisse, nullius alterius ope aut doctrina adjutum.

Da ers in Latein hatte bracht
Ohn Hülff vnd ohn Lehre.

Verùm illi ætati receptum fuit, nihil non legum & consuetudinum, quarum initia latebant, in Constantinum & Carolum auctores referre. Et verò Epko tantùm populares consuetudines & de jure sententias hactenus non scriptas complexus est, magno sane studio, tamen judicio, quantum apparet, non semper æquè exacto. Ipse in procœmio Germanico:

Dieses Recht hab ich selber nicht erdacht/
Es habens von alters auff vns bracht
Vnser gute Vorfahren/
Mach ich auch ich wils bewahren/
Das mein Schatz vnter die Erde
Mit mir nicht begraben werde.

Multas verò insulsas sententias, tum primum natas, aut inepto vulgo creditas, pro antiquis legibus in codice illo obtrudi, haud difficile probatu est; saltim si attendere velimus ad ea quæ de republicâ disseruntur. Cujus generis est illud quod statim articulo primo libri primi legitur; *Apostolico super equum candidum equitare constitutum est, & in ascensu eius à Principe sella, ne decidat, tenebitur.* Ne alia nunc in exemplum adducamus. Ne-

Neque vero hic Codex auctoritate publica promulgatus est. Nusquam enim id legas. Proœmium quoque versionis Germanicæ nihil ejusmodi præ se fert. Quin haud dissimulat auctor, Latinæ editionis ergò multis se esse calumnijs obnoxium: alios quoque consulendos, imò præferendos nonnunquam, statuit, si de æquitate harum sententiarum dubitetur.

Wer in diesem Buche/
Fragrede suchet/
Ob jhm daran ichts mißhage/
Des thu er zu hand keine klage/
Vnd wege die Sache in seinem Sinne/
Nach dem End vnd Anbeginne.
Vnd erfrage sich an weisen Leuten/
Die die Warheit können deuten/
Vnd haben auch die Sitte/
Daß sie gerecht seyn damitte.
Ob er an jhme denne/
Das recht erfahren könne/
Ich rate jhn daß alsobalde/
Daß er sich daran sol halden.
Denn das viel weiser Leute lehren/
Die es an gut kehren/
Jst besser den mein eines sey.
Ein ander merckt aber darbey/
Das keines Mannes Mund/
Bas darnach stund/
Wie er die Leut gemein/
Beyde groß vnd klein/
Rechtes bericht zu tunde.
Das thut der Mund mein/
Des gebe ich vhrkund dis Büchlein.

Vide.

Videtur tamen ab initio ſtatim mirè opus illud populo placuiſſe. Itaque uni calumniatori audet auctor mille laudatores opponere.

Doch das tröſtet meinen Muht /
Was einem daran wirret /
Das es wol tauſent dünckt gut /
Alſo bleib ich vngeirret.

Ne ſequentibus quidem temporibus ullâ Cæſarum auctoritate diſertè hic codex eſt confirmatus. Nec tamen valde mirum, in multa Saxoniæ aliarumque provinciarum fora tranſiſſe opus, nulla licet publica auctoritas acceſſerit. Scilicet, recepto hactenus more, ſecundum conſuetudinem & ex æquo ac bono ſententiæ tùm ferebantur: quorum magnam partem hoc Codice contineri perſuaſum fuit. Itaque una illa opinio potuit haud difficulter efficere, ut ubi Saxonica jura ibidem & hi libri obtinerent, adeoque hinc Saxonica jura peterentur.

Et vero hic Codex ſecutis ſeculis præcipuus fons habitus Saxonici juris: ideoque in interpretationem ejus à viris præclaræ nobilitatis & dignitatis eſt haud parùm laboris impenſum. Gloſſa ad lib. III. art. LXV. *Super intellectu articuli præſentis nonnullæ fuerunt opiniones & controverſiæ. Quidam enim ut Burchardus Epiſcopus Magdeburgenſis & Comes Otto de Falckenſtein intelligere voluerunt articulum* Item. *Alij verò ut Volradus de Dreyenleben & Conradus de Roslau intelligere textùm voluerunt.* Item. *Alij verò ut Henricus de Bentensleben & Thidericus de Lemvvenden textum intelligere voluerunt.* Ex his verò Burchardus Archiepiſcopus is eſt, qui à civibus Magdeburgenſibus anno M CCC XXXVII eſt occiſus. Quo patet, jam tum ſtudioſos Saxonici juris viros maximos hunc codicem conſulere ſolitos.

solitos. Iunior hisce est auctor Glossæ. Vixit enim quantum videtur seculo decimo quinto : qui historiæ licet omnis imperitissimus, tamen ad Saxonici juris cognitionem, Romani quoque & Pontificij mediocrem peritiam attulit. Sed alienum ab instituto fuerit si de interpretibus velim dicere.

Minus certi quid dicere nobis licet de IVRE FEVDALI SAXONICO : Nam & auctor incertus est, nec de tempore confecti libri potest ex ipso scripto multum colligi. Atque Glossa quidem Speculi libro I artic. XIV & XXVI, libro III art. LXXVIII opus illud adscribit Friderico Secundo Cæsari. Glossa Germanica Juris illius Feudalis Fridericum Cæsarem de Stauffen autorem operis facit. Verum non licet illorum historiis & narrationibus tuto credere. Tum vero Glossator Speculi ad artic. XII *l. 1.* fidem decoquit. *Carolus*, inquit, *Magnus jus provinciale Saxonibus statuit, Fridericus vero Imperator jus Feudale: ut in auth. de usib. feudor. collat 10.* At in authenticis nullibi legas à Friderico I vel II Imperatore Saxonibus feudale aliquod jus datum esse. Nec *in libris Feudalibus Langobardicis* Fridericorum constitutiones nisi paucas ejus argumenti reperire est. Recitat Radevicus constitutionem insignem à Friderico I in Roncaliis de feudis latam *l. IV cap. VII*: quæ & alibi memoratur ut omnium clarissima. De integro aliquo Codice feudali, vel ab illo vel ab hoc promulgato, nihil narratur. Itaque etiam hoc fabulis Glossatorum illorum annumerandum est. Verisimilius videtur, ab aliquo juris perito privatâ opera librum conscriptum, atque ita in usum, cùm similis argumenti nihil exstaret, traductum esse. Forte etiam ipso illo decimo tertio seculo prodiit: sub initium quippe sequentis seculi jam in Bohemi-

am ac Poloniam commigrasse videtur. Nec tamen id certo asseruerim. Illud certius est, seculi decimi quarti fine magnum pretium obtinuisse.

Similiter nec de SVEVICI IVRIS PROVINCIALIS AC FEVDALIS SPECVLO certò asserere licet, aut quo auctore aut quando cœperit. Melchior Goldastus *præfat. in tom. I.* Reichssatzungen (cui operi Suevicas illas leges inseruit) narrat quidem sibi acceptum, Bertholdo Barone de Grimmenstain auctore Speculum aliquod Suevicum conscriptum esse: non audet tamen illius vulgati Speculi Suevici parentem istum nuncupare, quod & in editis & in manuscriptis codicibus sibi visis nomen omne desideretur. Ad tempus quod attinet, affirmaverim penè, seculo demum decimo quarto librum illum elaboratum esse. Namque *l. 1. cap. CCCLIIX* ita scribitur: Wir lesen auch das Innocentius der Babst Entsatz Käyser Otten von dem Römischen Reich / durch ander sein Vnrecht. Narrantur itaque Ottonis IV & Innocentij tertij res, ut vetustæ & nonnisi lectione acceptæ. Friderici II mentio fit *epilogo libri secundi:* usus Decreti & Decretalium in foro *l. 1. cap. V.* De Papæ tamen in Cæsarem auctoritate passim ita cultor loquitur, ut mos non tulit Ludovico Bavaro imperante. Itaque forte paulo ante illius tempora Codex hic confectus est.

Apparet vero legenti, etiam Suevos multa tùm Carolo Magno attribuisse quæ minime ab illo sunt profecta. Ipse auctor tamen *lib. 1. cap. V* profitetur, opus hoc ex jure scripto & consuetudinario concinnatum esse. Et verò ex ipsis legibus Romanis nonnulla transscripsit *libro primo* sed sæpius perineptè. Ita *cap. LXI* Marcianus Iurisconsultus huic Marcellus audit, *& cap. CCCLXXVII* Hadrianus Cæsar

Cæsar magister est. Videtur autem omnino imitatus Speculum Saxonicum, ne quidem dubitans integra capitula ad verbum inde describere. Ne à titulo Speculi quidem voluit abstinere. Quanquam ille & aliàs illius temporis scriptoribus multis arriserit, ut Vincentio Bellvacensi, Guilielmo Durantis, Maranthæ, aliis. Iura quoque ipsa non multum dissident nisi successione hereditatum & appellationibus: quod scribitur *Speculi Saxonici libr. 1. tit. 17. 18. 19. & lib. 1. Spec. Suevici cap. 393. §. 2.*

CAPVT XXXI.

De usu scriptarum legum per seculum decimum tertium & quartum.

Hisce legibus scriptis, & quidem solis fortè (neque enim aliæ scriptæ leges ità innotuerunt) usa est Germania, tertio decimo seculo penè usque ad decimum quintum, ex quo tempore Romana jura pedem huc transtulerunt. Enimvero in nullis comitijs regni à seculo decimo tertio usq; aliæ leges aut propositæ aut confirmatæ sunt. Anno MCC IIX Ottone Cæsare, *Rex & Principes jurarunt, omnia jura à Carolo Magno instituta observanda & tenenda.* Anno MCCXXXVI in Comitijs Moguntinis, Friderico Cæsare, *omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus, vetera jura stabilita, nova statuta in membranâ scripta Teutonico idiomate publicata sunt.* Quod idem scribit Gothofredus. Quæ nova autem illa fuerint supra dictum est. Ejus constitutionis diserta verba hæc sunt *cap. VI.* Wir setzen vnd gebieten bey des Reichs Hulde / daß alle vnsere Fürsten vnd alle die Gericht von vns haben recht richten / als des landes Sitt vnd Gewonheit sey. cap. VII. Wir gebieten

vnd ſetzen das kein Richter jemands vß der Acht laſſe / er nehme die Gewißheit / das dem Kläger gerichtet werde nach des Landes gewonheit. Poſt ſummos Germaniæ motus & longiſſimum interregnum in eadem prorſus verba conſenſum non ſemel eſt, Rudolpho Cæſare. Partem conſtitutionis recitavimus jam capite XXVII. Alberti I Auſtriaci *conſtitutione IV art. VI* (habet illam Goldaſtus parte altera der Reichsſatzungen p. XXIV.) iterum expreſsè cautum: das dem Kläger gebeſſert werde nach des Landes gewonheit. Ex privilegio Spirenſibus à Ludovico Bavaro conceſſo anno MCCCXV hæc verba Lehmannus *l. IV. Chron. Spir. c. XXI* recitat: *Omnia privilegia & jura omneſque libertates & gratias, quas à ſanctæ memoriæ ſummis Pontificibus & à D. Imperatoribus & regibus Romanis ijdem cives habent & uſque ad hæc tempora habuerunt, nec non ipſorum judicia & conſuetudines approbamus, confirmamus.* In eandem verò ſententiam vulgo tabulæ iſtiuſmodi tùm concipi ſolitæ ſunt per omnem Germaniam: non quæ urbibus tantùm ſed & quæ Principibus conceſſæ. Licet earum quàm multas in medium adducere: modo inſtitutum pateretur. Aureæ bullæ Caroli IV *c. V.* cautum eſt, uti Elector Saxo vices Imperatoris interregni tempore gerat in locis illis ubi jus viget Saxonicum: quo ipſo jus illud non obſcure confirmatur. Idem porro Carolus IV Academiam Pragenſem conditurus, tantùm Canonici Iuris Profeſſores conſtituit, nullos Romani. Idem obſervatum initio in Academiâ Heidelbergenſi, Munſtero teſte *l. V. Geograph.* per Rupertum Palatinum conditâ. Quod profectò minimè fuiſſet factum, ſi præter vulgaria & Pontificia jura alia quoque & quidem Romana jura obtinuiſſent. Nec tamen etiamſi doceri Ius Romanum fuiſſet juſſum, hinc tuto do-

ceas,

ceas, forenſem illius uſum receptum. Nam & Erphordiæ anno 1378 à Clemente VI vel & ab Urbano VII Papa anno 1389 ferunt nonnulli, datam licentiam Iuris Romani non minus quam Canonici docendi: quo tempore in foro juris illius per Thuringiam nullus uſus erat.

Cæterum ne in ipsâ quidem aulâ Cæsarea operoſas quaſdam leges fuiſſe in uſu, indicat manifeſtò ſimplex illa judicij aulici conſtitutio. Ea de re ita cautum eſt Friderico II Cæſare anno M CC XXXVI, cap. XXIV. Wir ſetzen auch das des Reichs Hofe habe einen Hoffrichter / der ein Freyerman ſey / der auch in dem Ampte zum wenigſten ein Jahr ſol bleiben / der ſoll alle Tage zu gerichte ſitzen / ohn den Sontag vnd die heiligen Tage / vnd ſol die Leute richten die jhm klagen von allen Leuten / ohne Fürſten vnd andere Hochleute / wan es gehet an jhren Lieb / oder an jhr Recht / oder an jhr Erbe / oder an jhr Ehre / das wollen wir ſelber richten. Eadem verba repetuntur in Edicto Rudolphi I apud Lehmannum *l. V cap. CIIX.* ut & in Edicto Alberti I apud Goldaſtum *parte II. Reichſatz. pag. XXVII.* Vbi *cap. XIII. art V.* additur: Der Richter ſol auch haben einen ſonderlichen Schreiber der da beſchreiben ſol alle die in die Acht kommen / vnd die Sache darumb ſie darin kommen ſeyn. Ad illum actuarium pertinent & ſequentes articuli ac caput XL. Hinc verò liquet, judicium aulicum Imperatoris toto illo ſeculo decimo tertio unum duntaxat habuiſſe judicem & unum actuarium vel ſcribam. Id quod indicat non raritatem litium ſolùm, ſed etiam ſimplicem judicij ordinem; more ſcilicet majorum obſervato. Quàm ſimplex porro fuerit ratio procedendi in graviſſimis ipſorummet Principum cauſſis etiam ſequente ſeculo, docet decretum Henrici VII Cæſaris contra Henricum Bohemiæ regem anno X Francofurti promulgatum,

& alterum Caroli IV in causa Ruperti Palatini anno LIII Spiræ editum. Extat utrumque apud Goldastum *parte altera* Reichssatzungen *pag. 29. & 42.* Quæ cum itidem nos doceant, controversias Principum ea ætate Cæsaris & Parium curiæ, quos vocant, ipsorummet judicio decisas extemporaneâ operâ, etiam hoc ipso docent, in ejusmodi maximis judicijs consuetudines atque æquum ac bonum pro lege observatas esse: neque enim vel Cæsares ipsi vel Principes alterius juris peritiâ instructi erant.

Verùm inter omnes scriptas leges Germanicas quàm latissimè observatæ sunt Suevicæ & Saxonicæ. De illis in hæc verba Goldastus *præfatione ad part. I* der Reichssatzungen / loquitur: Es ist der Schwabenspiegel bey den Schwaben in Schwäbischen gebieten / als Algowern / Schwitzer / Pündner / Walliser / Sapfoyer vnd Burgundner noch zum guten theil im zwanck vnd in jhre statuta gezogen. Magdeburgicum jus (pars Saxonici) quàm late fuerit diffusum, suprà dictum jam est. Totius Saxonici Iuris auctoritas quæ fuerit latè per Germaniam, quo tempore Aurea Caroli IV Cæsaris bulla prodiit, liquet quod ejus finibus Saxonicum Imperij vicariatum clauserit Carolus.

Ipsum Speculum Iuris Saxonici quanto in usu fuerit anno seculi decimi quarti septuagesimo tertio, quo tempore Gregorius XI illud exterminare est conatus, ex illis ipsis Papæ verbis discere est: *Fide digna & admodum molesta pluriesque inculcata relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxoniâ & nonnullis alijs partibus, quædam detestabilia scripta, Leges seu Speculum Saxonum vulgariter nuncupata & inferius annotata, apud nonnullos nobiles atque plebejos reperiuntur, quæ judices & incolæ partium earumdem, omissis canonibus aliisque scripturis, à longis retroactis temporibus observarunt*

runt, & observant etiam de præsenti. Transmisit vero hanc bullam suam Gregorius Avenione ex Galliâ non tantùm Carolo IVto Imperatori, verùm etiam Moguntinensi, Colonienſi, Bremensi, Magdeburgensi, Pragensi & Rigensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis Episcopis, (ut est in epistolâ ad Carolum Cæsarem) passim publicandam. Quo liquet per omnium horum Episcopales diœceses codicẽ hunc jam tùm in fori usu fuisse, adeoq; in Bohemiæ quoque regnum & Livoniam penetrasse. Illo verò tempore jam floruisse juris Saxonici partem Weichbildicam in Polonia, ex suprâ dictis satis constat. Nec tamen bulla illa Papalis etiam illuc transmissa est; quod non perinde Speculum illud Saxonum illic obtineret. Et vero serius multò illud Speculum videtur in Poloniam receptum. Quamvis verò Gregorius ille undecimus Papa totum Codicem videatur damnare, quatuordecim tamen articulos tantum, quos vocant, voluit damnatos, qui Bullæ Papali solent vulgo subjici. Eoque ne quidem illâ atrocissimâ condemnatione Papali auctoritas totius Codicis in tot fora recepti frangi penitus potuit aut tolli, sed quatuordecim illa tantum inducta à nonnullis sunt & improbata.

Meretur hîc annotari: in bulla illa Papali eo maximè nomine damnari codicem istum, *quod Apostolica denegetur potestas & veritati catholicæ fidei derogetur*; id enim omnium *deterrimum* esse, cum alia faciant *contrà bonos mores & legem naturæ.* Sunt autem inter quatuordecim articulos damnatos tres tantum qui illius notæ videri possint, secundus, tertius & quartus. Iste est: *Papa non potest nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare postquam consecratus est & unctus, nisi solùm in tribus casibus: si dubius sit in fide: si repudiet uxorem suam legitimam: si destruat Ecclesiam.* Ille: *Excommuni-*

communicatio neminem debilitat in jure terræ ſeu feudi, niſi ſequatur regularis proſcriptio. Hic: *Papa non poteſt aliquo modo jus condere vel ſtatuere, per quod valeat Ius noſtrum, hoc eſt ſtatutum terræ vel feudi Saxonicum, deteriorari.* Quæ an deteriora ſint iis quæ bonos mores & legem naturæ evertunt, judicent quotquot vel leviter judicandi pollent facultate.

Simpliciter verò ſi pronunciandum, tanta olim fuit exiſtimatio Saxonici juris, ut non in multas Germaniæ partes tantùm verum etiam in Livoniam ac Bohemiam, imo & Poloniam ipſam fuerit receptum. Poſterius quando & quomodo factum ſit, diverſa opinio eſt. Sunt enim qui autumant id accidiſſe, quo tempore regio illa tributum Germanico Imperio cœpit pendere. Verùm utut in eum modum Polonos olim ſubegerit Henricus ſecundus, ac tributum illud annuum ad quingentas auri libras acceſſiſſe ex Ottone Friſingenſi *l. VII. chron. cap. XIX.* videatur poſſe colligi: nuſquam tamen legas etiam jura iis præſcripta. Præſertim quum aliàs Germanicæ gentes victos populos ſuis legibus vivere permiſerint. Sigiſmundus III Rex Poloniæ longe aliter de introductione juris illius in Poloniam diſſerit, iis tabulis quibus Speculum Saxonicum Iuſque Weichbildicum confirmat. *Magna laus*, inquit, *ſumma prudentiæ tribuenda eſt Sereniſſimis ſuperioribus Poloniæ Regibus: qui cum animadverti ſſent, quantum rerum omnium, non modò quæ ad uſum vitæ, verum etiam quæ ad cultum ſplendoremque pertinent, commercium, Regni Poloniæ mercatores cum finitimis ſibi Germanis habeant, Teutonico jure urbes & oppida ſua uti voluerunt. Nam conſociatum eſſe jure, ſingulare quoddam eſt ad tuendam fidem, quæ eſt humanarum actionum negotiorumque fundamentum. Hoc genere gloriæ perpetuis ætatibus Caſimiri M. Regis memoria vigebit: is omnium primus hanc rationem juris dicendi, conſti-*

constituto summo ejus tribunali in arce Cracovienſi inſtituit: & non modò urbibus & oppidis regni, verum etiam pleriſque pagis permiſit: aliÿque Reges permiſere. Hos imitatus Alexander Rex, magnus noſter avunculus, Municipale Ius Codici Legum ac Statutorum Regni, qui in Conventu Radomienſi edebatur, adiunxit: Sigiſmundus verò avus noſter graviſſimus, & ætatis ſuæ Regum pater, Speculum Iuris Saxonici, & illud idem jus Municipale, docti viri Iaskri lucubratione & commentatione illuſtratum, publicari per regnum & ditiones ſuas voluit, eidemque autoritatem tribuit. At verò Caſimirus quidem Rex non primus in Poloniam Saxonicum jus admiſit, ſed ſummum tribunal illius juris Cracoviæ conſtituit, ſuſtulitque edicto appellationem Hallarum Saxonicarum aut Magdeburgi tum uſitatam. Quod nos ſupra teſtimonio Mechovij & ipſiuſmet Iaskerij demonſtravimus, patetque ex tabulis ipſis Caſimiri. Is imò eſt Caſimirus qui Poloniam Germanico Imperio in totum ſubtraxit: unde in illum tamquam perduellem lata eſt ſententia Ludovico Bavaro Cæſare anno MCCC XXXIIX. Quis crediderit verò, hoſtem Germanici Imperii voluiſſe in Poloniam Saxonicas leges novo exemplo adducere? Nec tamen negaverim illo auctore alibi atque alibi per Poloniam ita inſtitutum eſſe. Nam & Cromerus id teſtatur locuples auctor, & hiſce verbis Neugebauerus: *Caſimirus cum Poloniam & Ruſſiam partim bellis ſuperioribus & excurſionibus barbarorum, partim peſtilentia exinanitam, minus cultam minuſque populoſam eſſe cerneret, Teutonici generis hominibus ſive accitis ſive ultro venientibus agros obtulit, quorum non exiguæ reliquiæ in ſubmontana & Vngaris finitimâ regione & Ruſſia in hodiernum uſque diem manent, eorumque curâ & operâ Polonia frequentari & cultior eſſe pagis & oppidis cæpit.* Addit paulo poſt: *Non ſolum autem Germanos Iure*

suo Saxonico sive Magdeburgensi uti permisit, sed suis quoq; Polonis, Nobilitate excepta, id permisit. Cæterum quamvis Camiri instituto propagatus forte sit usus Magdeburgici Juris in Polonia: jamdudum ante tamen usus aliquis ibi experat. Verosimilius est à Leskone Nigro rege Saxonicas leges admissas, qui ab hostilibus suorum conatibus fide Cracovienſium civium, natione Germanorum, servatus, plurima Germanis indulsit circa annum MCCLXXXIIX. Disertis verbis id narrat Iodocus Ludovicus Decius *l. vetustat. Poloniear. Tandem Teuthonicorum Graccovienſium opera arce in fide servata, ex Hungaria collectis copiis Conradum & qui eum secuti acie uno prælio vicit, atque sic rerum potitus Germanos ob fidem innocentissime servatam prærogativis extulit. Hinc magistratus urbis & alia insignia solis Teuthonicis perpetuo iure concessit. Tanto Teuthones prosequutus affectu, ut habitu atque moribus se illis conformare non dubitaret.* Item: *Ab eo tempore Sarmatiæ principes atque reges Germanorum fidem in precio habere cœperunt, hincque in totum fere regnum jura Teuthonica introducta, atque in hanc ætatem innocentissime custodita sunt.* Leskonis illius summa beneficia & propensum in Germanicos Cracoviæ cives animum memorat quoque Mechovius *lib. XII. cap. XLIX*, Cromerus item & hujus epitomator Neugebauerus. Iam tamen etiam ante Leskonem jura illa Germanica Vratislaviam, nobilissimam tùm Poloniæ urbem, fuisse traducta per Henricum III Ducem qui decessit anno MCCXLVI, testatur Nicolaus Henelius *Breslographiæ cap. V.* Sed hæc fortassis nonnihil sunt aliena ab instituto. Certum vero, hodieque in Polonia, & Silesia Polonici regni quondam parte, passim Saxonici juris summam esse auctoritatem: exteris populis majore veneratione Germanica prosequentibus quàm ipsis Germanis.

Cæte-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [216] - 196
PUBLIC DOMAIN

Cæterùm is frequens usus Saxonici juris effecit indubiè, ut Magdeburgi, Hallis, alibique collegia illius juris peritorum coierint. Quorum auctoritas creverit, natâ opinione, jàm ita institutum esse ab ipsis Ottonibus, ut in dubio Hallis aut Magdeburgi jus quæreretur. Quod legitur *Iuris VVeichbildici cap. V.* Est autem inanis fabula; neque illa collegia forte ante seculum decimum quartum cœperunt, ut jam suprà dictum est. Ea tamen fuit exinde responsorum vis, ut pro lege pene valuerint: eoque plurima eorum in libros digesta sunt. Sane provocationes ad forum Magdeburgense ex multis regionibus longo satis tempore duraverunt, etsi nunc omnia mutaverint. Certe ex Silesia Magdeburgum fuisse appellatum, donec superiore seculo à Carolo V Cæsare urbs illa proscripta, & novum tribunal summum est erectum in Bohemia ipsa auctoritate Ferdinandi I Regis, testis est quem modo laudabamus Henelius *Silesiographiæ cap. IIX.*

Quæ Magdeburgensis autem Tribunalis, eadem ratio fortè est Rotvvilensis. Quanquam enim etiam illud à Conrado Cæsare anno MCXLVII institutum feratur, vereor tamen ut certis documentis id queat probari. Vtut forte olim auctoritas ejus porrexerit sese per omne spacium illud quod *part. II tit. I Reformat. Rotvvil.* describitur. Id quod obiter hîc memorare forte haud indignum fuit.

CAPVT XXXII.

Ius Romanum ut & Feudale Langobardicum, in scholas & fora Germaniæ seculo decimo quinto introducta esse.

HÆc in universum ratio legum fuit per Germaniam ferè usque ad seculum decimum quintum. Ab illo autem

tem tempore videntur Iura Romana sensim magis magisque irrepsisse.

Enimvero ex illo usque consilijs & judicijs Romani Iuris doctores magis solito admotos esse, observare licet. Scilicet jam tum ante nonnullos Legum illarum aliqua peritia valuisse, non equidem dubito: utpote quum Lupoldum Pabenbergensem Joannis Andreæ celeberrimi in Italis Jurisconsulti discipulum constet floruisse jam Carolo IV Imperante; & Urbanus IIX Papa Erfortensi Academiæ facultatem concesserit anno 1389 docendi & Civile pariter & Canonicum Jus: eandemq; licentiam forte & quædam alia acceperit. Cæterum illa perquam tenuia fuerunt tum initia. At quintodecimo seculo longe major solito auctoritas Romani Juris in Germania excrevit. Ut proinde in hoc seculum merito primordia illius rejici debeanr. Hinc jam tum anno seculi illius sexto decimo ab Ordinibus Germaniæ & Cæsare Sigismundo fuit Concilio Constantiensi propositum: decernerent Patres, Das der vierdte Theil alles einkommens (recito ipsissima verba prout habentur apud Goldastum *part. II.* Reichsatzungen *pag. 95.*) Von den Kirchenlehen / verstehe der grössern so vber zehen marck silber taxirt seyn / für die gelehrten Leut hinder sich sollen legen vnd auffheben / also das in jeder Thumkirchen der vierdte theil aller Thumbstifften vnd Pfründen auffgehebet werde für die *Doctores* vnd Licentiaten der H. Schrifft / desgleichen geistlichen vnd weltlichen Rechtens. Gleichfals in den Chorstifften / welche grössere Pfründen vnd die genandten Taxt vberschreiten haben / sol der vierdte theil von den Chorherren vnd andern Pfründen für gemelte *Doctores* vnd Licentiaten der H. Schrifft vnd Rechten / oder auch die *Doctores* der Artzeney und Meister der freyen Künsten / oder auch für ein Baccelar in vorgedachten Faculteten der H.

der H. Schrifft geistlichen vnd weltlichen Rechtens / vnd der Artzeney / auffgehabt werden. Ipsi Sigismundo Cæsari à consilijs fuit Georgius Fiscellus utriusque Iuris doctor. Ludovici Patarini consiliarius utriusque Juris Doctor subscripsit comitijs Basileensibus, apud Goldastum *part. II* Reichssatzung, *pag. 302.* Anno ejus seculi quadragesimo Moguntiæ in comitiis rursum decretum fuit, Basileensi Concilio proponendum, de canonicatuum, quos vocant, quorundam dignitatibus & proventu non Theologiæ tantùm & Medicinæ sed Canonici ac Romani Iuris Doctoribus assignandis. Videatur decretum *part. II* Reichssatzung *Goldasti. pag. 149.* Sequente anno conscripta est Reformatio Friderico Cæsari attributa: ex quâ luculente perspicere est, illa ætate Iuris Doctore jam insigni numero & in consiliis & in judicijs floruisse. Imò haud obscurè colligere est, intra quinquaginta proximè elapsos annos in Germaniam illos frequentius perveniisse. Verba integra non multò post recitabuntur. Quin actum à nonnullis Germaniæ Ordinibus tùm est de numero Doctorum illorum restringendo, 'ijsq; ab omni consilio & judicio semovendis. Id quidem dictu mirum fortè, verum tamen est.

Habet Goldastus *part. I* Reichssatzungen *pag. 166* tractatum cujus modò meminimus, hoc titulo: Kayser Friedrichs des Dritten Reformation im heiligen Römischen Reich Teutscher Nation fürgenommen / vnd proponiret auff dem Reichstag zu Meintz / Anno Domini M CCCC XLI. Illum ab ipsomet Friderico Cæsare Ordinibus propositum esse, multis autographis doceri posse, censet Goldastus *pag. 312.* mox tamen sui immemor vult à Germaniæ Vrbibus in medium adductum esse in comitijs regni Germanici. Neutrum certò asseruerim equidem: id constat in comitiis libellum

bellum hunc publicæ deliberationi propositum, aliamque esse Reformationem Friderici, cujus ipse Cæsar meminit in alijs edictis apud Goldastum & alibi. Et verò actum est illa ætate de tota republica rectius imposterum instituendâ, magno studio & multo labore. Ejus libelli autem articulus quintus ita se habet: Alle Doctores der Rechten / sie seind Geistlich oder Weltlich / im heiligen Römischen Reich Teutscher Nation / sollen nach laut der fürgenommen Reformation / an keinem Gericht bey keinem rechten / auch in keines Fürsten oder andern Rähten mehr gelitten / sondern gantz abgethan werden. Sie sollen auch fürbas hin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden schreiben oder raht geben. Id quomodo intelligendum sit longa declaratione per partes deinde exponitur. Est autem & illa heic adducenda, saltim ut pateat quid nonnulli Ordinum tum temporis moliti sint. Die Erklärung des fünfften Artickels derselben declaration ist also fürgenommen. Im heiligen Röm. Reich Teutscher Nation / bey allen Universiteten die beym Reich zu gelassen werden / darauff man Doctor vnd Lehrer der Rechten machet / sollen drey Doctores im Rechten gehalten werden vnd verleget / die der Rechten / so mit waren Grund bestettiget vnd zugelassen seind / sollen warten / auch dieselben vnd nichts anders in Rechten lesen oder lehren / vnd sich auch anders nicht weiter führen lassen oder davon bringen / dann wie es im Reich geordnet vnd bestetiget wird. Ob aber grosser Irrung halber ein Rahtschlag / der sich einer Vrtheil wol vergleichte / von jhn sammentlich begerdt würde / das sollen sie alle drey einmüdiglich vmb förderung willen der Sachen annehmen / vnd innerhalb eines Monats oder dreissig Tagen demselben vrtelmessigen Rahtschlag beschliessen / vnd denselben von den er herkumbt wieder überantworten / damit im Rechten niemandts verkürtzt werde /

werde / vnd alle menschen darin gefordert auch kommen mögen. Dann ein vnbillicher verzug im Rechten ist dem gemeinen Mann ein schedlich ding an seiner nahrunge. Die ander Erklärung des fünfften Artickels derselben declaration / ist im heiligen Römischen Reich teutscher Nation also fürgenommen. Das an keinem Richten hoch oder niedern Stands keine Doctores sollen sitzen / helffen Rechtsprechen / Schöpffen / noch beschliessen. Wann jhnen das harter dan den Leyen verschlossen ist / vnd kan jhr keiner einen Schlüssel darzu finden / biß beyde theil arm werden oder gar verdorben sind. Aber der Ley behelt doch den Schlüssel zum Rechten bey jhme / das man zu zimlicher zeit das recht herfür bringen mag. Aus diesen Vrsachen kan man die Gelerten in keinem Richten mehr leiden. Darzu seind es nur besoldte knechte / vnd nicht erbdiener des Rechten. Die dritte Erklärung des fünfften Artickels derselben declaration / die ist also fürgenommen. Das im gantzen Römischen Reich teutscher Nation keine Doctores mehr vor keinem Richten weder reden procuriren oder weiter procedirn sollen / in schrifften oder andern rathschlegen / sondern aller weltlichen Richt müssig stahn: darumb daß sie stiffväter vnd nicht die rechten erben des Rechten seind. Dann sie nehmen jhme den Grundt der Warheit / vnd bringen durch jhren vnordentlichen geitz das Recht zu einem solchen unglauben / das kein from Mann sein vertrauen darein mehr setzen mag. Das hat ewer verkehrte lehre jnner funffzig Jahren zu wegen bracht: wo ist es vor erhört worden? Die vierdte Erklärung des fünfften Artickels derselben declaration / die ist also fürgenommen. Das im gantzen Römischen Reich teutscher Nation zugelassen ist / und allen Ständen / Fürsten / Grafen / Freyen / Herren / Städten vnd Gemeinden vergundt / Doctores vnd Lehrer der Rechten zu halten: doch mit solcher Form vnd Maß / daß die in kein Reichs Rath als Anwalde

oder

oder verweſer auch in ander wege nicht gehört oder zugelaſſen werden / dergleichen weder in Fürſten oder der Städt rath gehordt oder raths weiſe geſetzt werden ſollen: Ob aber Fürſten / deßgleichen Städt vnd andere je Doctores haben wolten / den mögen ſie eigen Rathsſtuben halten / wann jhn ſchwere händel fürfallen / daß ſi jhn darüber rathſchleg machen mögen. Damit mögen ſie eins Fürſten oder einer Stadt heimligkeit nicht gründtlich erfahren: dann bey jhnen nichts verſchwiegen iſt. Sie ſeint nicht anders räht / dann des ſoldts vnd des geitz.

Hactenus *Declaratio* iſta. Quam (etſi cum alibi tum in ſuperioris præcipuè Germaniæ potiſſimis urbibus hoc initio cæperint Juris Doctores Senatoria dignitate excludi, quod & Chriſtophoro Beſoldo & C Winthero *l. de Privilegiis Doctorum cap. 18* eſt annotatum) equidem periniquam judico & longe duriſſimam. Enimverò in atrocem adeo ſententiam itum eſt procul dubio non alia de causâ, quàm quod illi ordini Doctorum permiſti quidam rabulæ peſſimis fori Pontificij moribus tranquillitatem Germaniæ tum perturbaſſent. Illi ſcilicet curiæ debetur quicquid eſt rabularij negotij. Nulli ſane alij etiam Galliam omne hoc malum debere, prudenter monet Franciſcus Hotomannus *cap. ult. Francogalliæ. Veriſimum arbitror*, inquit, *quod video à nonnullis hominibus noſtris traditum, tantam litium calumniarum & ſycophantiarum ſementem factam primum à Papa Clemente V, qui Philippi Pulchri tempore Papatus ſedem Avenionem tranſtulit: cumq; magna ipſius aulici & pragmatici conſuetudine cum hominibus noſtris implicarentur, ſemina Romanæ artis rabulariæ in mores noſtros ſparſiſſe.* Et vero primorum apud nos Iuris Doctorum plæriq; in Italia educati ſunt: ut mirum non ſit ſcabiem aulæ Pontificiæ illorum multis afflictam. Quin ex Italis ipſis nonnulli in Germaniam

maniam tùm transiere. Quomodo ex Italia secum adduxit Bogislaus decimus Pomeraniæ Dux Petrum Ravennatem, ejusque filium Valentinum. Itali quoque fuerunt, qui Matthia Hunniade Rege, Hungariâ subito litibus repletâ, effecerunt, ut ipsum Ius Romanum ubi pedem intulisset in regionem illam viciſſim mox inde pelleretur. Qua de re legi pretium est, Ludovicus Vives *l. VII. de cauſſ. corruptar. art.* & præclarum illud ICtorum par Franciscus Balduinus *l. 2. de Historiâ*, & Franciscus Hotomannus *Anti-triboniani cap. 17.* Cæterum utut illi peritorum Romani juris ordini quidam fuerint permisti tum vitilitigatores, non tamen paucorum vitio totus laudatissimus aliàs ordo proscindi meruit. Et vero quid vel Romani vel Pontificij juris peritia bonis consilijs obstat vel judicandi prudentiæ? Ex adverso omni ævo visum prudentioribus, eum ad rempubl. utilissimum, qui Vlyssis exemplo

Multorum mores populorum novit & urbes.

Taceo nunc, eâ tempestate commodè rempublicam nostram geri non potuisse sine legum illarum notitia: saltim ob aulæ Pontificiæ etiam in mediâ Germaniâ auctoritatem, & Italiæ Galliæque viciniam, quæ jam leges illas observabant. Omnis hominum ordo sua carcinomata habet. Ipse sanctissimus Apostolorum cœtus scelus ingens intra se aluit. Si paucorum crimen in omnium culpam trahendum, actum est profectò de univero humano genere.

Verùm quo me abripit sententiæ illius indignitas? Id notari meretur, omnes illos quorumdam Germaniæ Ordinum conatus, de quibus modò dictum, una cum exoptato illo reformationis negotio tantùm non in fumum abiisse, plærisque aliis si Vrbes quasdam excipias in adversa discedentibus. Quamvis enim ipsemet Fridericus

Cæsar de Iuris Doctoribus minus benignè senserit, ut qui, teste Cuspiniano in ejus Vitâ, *dixerit iuris ab eis æquitatem inverti, iustitiamque fœdari*, nihil tamen in illos durius constitutum est: omni illâ reformatione sequente anno degenerante in pauca illa decreta quæ in vulgato Codice der Reichs Abscheiden post Auream bullam Caroli IV primam paginam constituunt. Itaque tantùm abest, Doctores Iuris à consilijs & judicijs imposterum vel ad breve tempus fuisse seclusos, ut omnia penè consilia, omnia judicia, solis fere illis ex eo sint passim concredita. Etiam hinc tamen patet, jam tum, à quinquaginta annis circiter, Iuris Romani Doctores in Germaniâ satis magno numero & judicijs & consilijs præfuisse.

Cæterùm cum Doctoribus haut dubie ipsius Romani juris etiam usus aliquis invaluit. Et verò in Academiis Germanicis omnibus, quæ magno numero post Heidelbergensem intrà breve tempus tùm institutæ sunt, jus illud doceri cœpit. Vt proinde peritiâ illius juris brevi passim per Germaniam plurimi instructi fuerint. Illos porrò Professores Academicos de jure jam tum respondisse, alios Doctores judiciis præfectos fuisse ante annum quadragesimum seculi quintidecimi, abundè liquet ex ijs quæ paulo antè in medium adduximus. Apertius id perspicere est ex ijs quæ habentur *Reformat. Friderico adscriptæ artic. VII.* Alle Käyserliche Weltliche Recht / so bißher im heiligen Römischen Reich Teutscher Nation gebraucht vnd dafür gehalten seind / sollen alle tode vnd abe seyn: allein die / so durch die Rechtverstendigen mit lauterem grund vnd klarer warheit ohne arge list Rechtlich erkandt sind / sollen gehalten vnd bestetigt werden / damit der arm so viel freyheit vnd zugangs habe im Rechten als der reich / vnd ob er schon ein Fürst were /

were / sunder arge list vnd gefährde. In *quarta declaratione eius articuli* sub finem scribitur. Man mag sich auch an all den Gerichten der Käyserlichen Rechten gebrauchen / die mit rechtem wahren grund erklärt angezeigt vnd zugelassen seynd / laut der Gerichts Ordnung. At verò abrogatione non est opus nisi fuerit in usu quod est abrogandum : voluerunt autem illi Ordines (quiqui etiam fuerint) abrogatum jus omne Cæsarium quod moribus receptis non conveniebat.

Saltim igitur in quibusdam Germaniæ locis jam intra primos illos quinquaginta annos jus Romanum cæpit in foro. De omnibus tamen minimè id affirmaverim. Ætate illa Friderici III Cæsaris ita loquutus est Petrus de Andlo l. 1. cap. 10 : *Leges Romanas nostra Alemannia (proh dolor!) in sua despicit insipientia.* De usu passim recepto isthac adhuc tempestate Magdeburgici juris, liquet ex Æneæ Sylvii *c. 24. Descriptionis Europæ*, ubi de Magdeburgo differit. *Magistratus Vrbis*, inquit, *Ius civile Romanorum abbreviatum, & Saxonicâ linguâ conscriptum, non sine reverentia custodit : quod Magni Caroli auctoritate firmatum tradunt : eòque in decisione causarum circumvicinæ gentes recurrunt. Magna & venerabilis earum legum auctoritas habetur.* Certè in plæraque Saxoniæ & Frisiam ac Hollandiam longè serius, & quidem seculo demum superiore sexto decimo Romani Juris observantia devenit. Vlricus Huttenus ante hos centum quadraginta annos adhuc scripsit : Saxoniam moribus antiquis viventem Bartolum Baldum ac Justiniani Pandectas ignorare. Eadem porro tempestate, scilicet anno 1522, convenit, uti in Holsatia juxta vetera instituta ex Saxonici Juris codice, in Sleswicensi autem provincia juxta leges Waldemari jus imposterum dicatur. Quod narrat Meursius *l. 3. Hist. Danicæ* Oldenburgicæ prosapiæ. Repetitum

idem est à Christiano IV Rege & Friderico Duce anno seculi hujus tricesimo septimo. Hinc libro cui titulus Revidirte Landesgericht Ordnung parte altera tit. 3 ita legitur: Jedoch sol die rechtliche erkentnüs nicht wie in Schleßwikischen Sachen auff das Lobuch/ sondern weiln das Fürstenthumb Holstein kein beschrieben Recht hatt/ aus dem alten kundbahren Landesgebrauch so der vernunfft und billigkeit nicht zu wieder/ oder auch des heiligen Reichs ordnungen nicht entgegen/ gegründet/ in mangel aber einer solchen rechtmessigen gewonheit sol nach den Sachsenrechten/ dergestalt/ wie wir deßwegen dasjenige so der vernunfft und billigkeit conform, auch unsern Fürstenthumben am nützlichsten sein wird/ extrahiren und abfassen zu lassen im werck begriffen/ geurtheilet: Were aber derselbe fall darauff gesprochen werden sol darin nicht enthalten/ so sol als in casu omisso, der dispositiõn gemeinen beschriebenen rechten gefolget/ und die urtheil drauff gegründet werden. Ex quibus patet, sero admodum in Holsatia & quidem exiguum locum Romano Juri concessum esse. Eadem vero ratio est & aliarum Saxoniæ regionum omnium. Etiam fora quævis hujus incluti Ducatus Brunsvicensis jura Romana illa ignorarunt antè Ducem Henricum Iuniorem. De foris loquor & judicijs publicis. Omnino enim defuisse qui peritiâ juris illius valerent, haud equidem affirmaverim: quum videam glossatores Juris Saxonici jam initio decimi quinti seculi haud leviter legum illarum scientia fuisse imbutos.

In Frisiam porro Occidentalem quidem Romana jura primus Georgius Saxo anno MDIV adduxit: quod Vbbonis Emmio V. C. cum *l. 2. Hist. Frisicæ*, tum *l. de republ. Frisiorum* est annotatum: in Orientali autem Frisia patria mea usus ejus aliquis intra hos centum annos imo demum circa annum superioris seculi octogesimum cepit.

Vni-

Vniversa præterea Helvetia necdum Romana Jura in sua fora admisit: quin hoc nomine haud dubitant illi sibi multum gratulari. In hæc sane verba erumpere ausus est Josias Simlerus Reipublicæ Helvetiorum prudentissimus pariter & disertissimus narrator l.2: *Disceptantur autem ab his causæ non ex Romano jure & responsis jure consultorum, sed ex æquo & bono, & legibus atque consuetudinibus singulorum populorum. Scio hanc agendi rationem barbaram à multis iudicari: qui existimant tantum jure scripto Romanorum utendum esse, sine quo in gravium & obscurarum controversiarũ explicatione, sæpè homines etiam prudentes à vero & justo aberrent. Ego verò Romanas leges à prudentissimis viris conscriptas maximi facio, neque earum auctoritatem vel verbulo labefactatam velim: sed controversiarum disceptationi quæ hodie in usu est, & judicijs illis nostri temporis in quibus ex Iure civili Romano jus dicitur, nostram agendi & dijudicandi rationem anteponendam duco; & id judicio bonorum & non litigiosorum hominum me probaturum confido. Primum enim negari non potest, plerosque causidicorum non tam justitiæ & æquitatis quam iuris studiosos, qui singula verba & syllabas legum venantur & suo arbitratu exponunt, captiunculas aliquas simplicibus struere. Deinde cuncta fere ab his ad privatum commodum referuntur: unde non explicandis sed involuendis & obscurandis controversiis operam dant; ita fit, ut lites in multos annos extrahantur, & sæpè etiam ad nepotes transmittantur, summa cum molestiâ utriusque partis, & immenso sumtu, quo nonnunquam integra patrimonia exhauriuntur. Vnde non immeritò quidam pragmaticos hos & causidicos sanguisugas & hirudines appellare solent, qui opes vulgi & ipsum etiam sanguinem exugant. Quod si in nostris judicijs nonnunquam error aliquis committitur in causis implicatis & obscuris, quæ tamen rarius occurrunt; nequaquam tamen tantum damni inde datur, quantum ex litium illa*

prorogatione accipitur. Neque tantum noſtrâ agendi ratione ſumptus minuuntur & parcitur populo: ſed longè minor eſt litium & controverſiarum numerus; dum ſententia citò latâ controverſia tollitur, & litigantes rurſus in gratiam redeunt: cum alibi contra videamus lites quotidiè novas oriri, & una nondum deciſa plures ſuccreſcere. Hæc omnia Simlerus. Quæ docent, non tantùm quod Helvetiorum fora Romanas leges haud agnoſcant, ſed quod fugiant illius juris uſum propterea quia illo abuti vulgo ſoleant cauſidici. Quam rationem nec probare nec refellere hujus loci eſt; qui tantùm de primordiis Romani Juris in Germania agi nunc patitur.

Vt redeamus verò quaſi in viam: quamvis nonnulla Germaniæ loca nec dum ſerius alia jura Romana acceperint, ex iis tamen quæ in medium adduximus ſatis patet, exordia illorum in Germania ad initium quinti decimi ſeculi meritò referri poſſe.

Per eadem vero tempora in Germaniam videntur traduci cæpta IVRA FEVDALIA LANGOBARDICA. Enimvero ut feudalia inſtituta omnibus populis Germanicis communia, ita ſingulis ſua ſunt. *Nam Gothi, Vandali, Alemanni* (verba ſunt maximi viri Hugonis Grotij *lib. II. de jure bell. cap. VII. §. XXI.*) *Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, qui partes opimas Imperij Romani bello occuparunt, ſuas ſinguli leges aut mores de feudis non minus quam Langobardi habuerunt.* Iamque tùm in literas ſic ſatis exactè relatæ erant conſuetudines feudales Saxonicæ & Sueviçæ: de quibus ſupra verba fecimus. Nec difficile erat ad eundem modum ſcripto comprehendere inſtituta aliarum Germaniæ gentium: quomodo ante non multos annos Fridericus à Sande I. C. Geldriæ & Sutfaniæ conſuetudines feudales à moribus Langobardicis multùm differentes ſingulari

gulari commentario illustravit. Neque Langobardica illa præ alijs institutis publico decreto sunt recepta. In Germaniam tamen videntur jam tum penetrasse. Glossatores sane Saxonici juris frequenter illa laudant. Ex illo etiam tempore Suevicum jus feudale adeò desijt, ut illius libri pauciſſima exempla jam ante hos centum viginti annos in Germania licuerit reperire; quod ex Munstero patet: non multo pluribus Saxonici quoque superstitibus.

CAPVT XXXIII.

Quomodo & inquantum Leges Romanæ, ut & Feudales Langobardicæ, in Germaniæ scholas & fora sint receptæ.

IGitur Ius Romanum & Feudale Langobardicum seculo quinctodecimo apud nos cum in scholis tum in foris passim invaluisse, nullum dubium est. Consequens est, quo modo, quave de causâ, nec non inquantum illa admissa sint, enarremus.

Atque in Academijs quidem doceri sunt cœpta Romana jura, indubiè Italicarum scholarum exemplo: ad quarum normam penè omnes nostræ constitutæ sunt. Etsi enim Heidelbergensis Schola initio nullos habuerit Romani juris Professores, mox tamen & illi isthuc acciti sunt. Reliquæ Academiæ saltim plæræque ab initio statim eos admiserunt. Quoniam verò multæ ab eo tempore Scholæ regiæ ejusmodi conditæ, itaque passim cœtus docentium & discentium illa jura instituti, adeoque brevi magna juris illius peritorum multitudo per Germaniam succrevit.

Difficilior explicatu est illius Romani juris in fora nostra receptio. Videndum primùm quomodo illa habeat

beat ſeſe in foro communi Cæſareo : inde quomodo in reliquis. Quod prius attinet, equidem hactenus invenire non potui, ullo comitiorum Imperii decreto Ius illud receptum ante annum ſeculi decimiquinti nonageſimum quinctum. Obſervatum idem eſt diligentiſſimo Germanicarum rerum indagatori Chriſtophoro Lehmanno *l. IV. Chron. Spirenſ. cap. XXI. pag. 337.* Verba ejus ita ſe habent: In keiner Hiſtoria iſt zu finden das ein Käyſer oder König die alten Geſetze vnd Rechte der Teutſchen abgeſchaffet oder andere Rechte an dero ſtatt anzunehmen geboten / bis bey auffrichtung des Käyſerlichen Kammergerichts / die Käyſer Fürſten vnd Stände des Reichs / nach den beſchriebenen gemeinen Rechten alle bürgerliche Streit vnd Rechtſachen zuentſcheiden vbernommen und verabſcheidet. Hæcille. At judicium Camerale inſtitui cæpit Maximiliano Cæſare, anno illo nonageſimo quincto. Nec tamen verum eſt quod videtur dicere Lehmannus (*videtur* inquam *dicere*) : aliter enim ſenſiſſe, haud dubito) illo tempore abrogatas priſcas leges & conſvetudines, earumque in locum ſolas Romanas receptas eſſe. Paulò pòſt idipſum perſpicuum faciemus.

Cæterum primâ illius ſeculi ætate à majoribus Principũ negocijs leges Romanæ penitus excluſæ fuerunt: tantùm abeſt tum temporis illas in curia Cæſareâ publico conſenſu fuiſſe receptas. Extat decretum Sigiſmundi Cæſaris anno ſeculi illius ſeptimo decimo, apud Goldaſtum parte altera Reichſatzungen *pag. 99*, in cauſa duorum Principum Palatinorum editum. Inter alia dicitur. Hierauff war nach vnſere frage von den Fürſten allen einhelliglich zum rechten geſprochen. Nach dem vnd wir hie in teutſchen Landen zum Rechten ſeſſen / als ein Römiſcher König / vnd Hertzog Heinrich vorgenant beyde teutſche Fürſten wehren vnd zum Reich gehörend / vnd

vnd die Sach Teutſch vnd vmb des Reichs Lehen were / die in Teutſchen Landen gelegen weren / vnd wir jhnen beyderſeits ein Teutſch Recht mit Teutſchen Fürſten beſetzt hätten / vnd beyde Theil mit Teutſchen fürſprechen fürgeſtanden / vnd jhr ſach nach Teutſchen Rechtens gewonheit fürgelegt hätten / ſo ſprechen ſie zum rechten / was jeglicher Theil fürlegen wolte / es wehre Brieffe Worte oder andere redliche Kundſchafften / daß er das in Teutſchen vnd nach Teutſchen Rechtens gewonheit durch ſinen fürſprecher thun vnd fürlegen ſolte. Vbi id etiam obiter diſcimus, judicio illi præfuiſſe Cæſarem ipſum cum Principibus tanquam Curiæ Paribus, ut loquuntur. Ad talem ſcilicet conſeſſum feudalia negocia omnia majora tum delata ſunt. Sigiſmundus idem Cæſar *epiſtola ad Concilium Baſileenſe* anno illius ſeculi triceſimo quarto perſcriptâ, in negocio Erici Lavvenburgici, ita loquitur: *Cum itaque Principatus officium ac jus ſupradicta à nobis ac Imperio noſtro in feudum immediatè deſcendant, ac ſecundum iuris communis diſpoſitionem, nec non uſum morem ſtylum & conſuetudinem ſacri Romani Imperij, feudalis contentio per Dominum feudi ac Pares curiæ terminanda ſit; liquet, hanc quæſtionem, ſi qua prætendi poterit, ad noſtram & illuſtrium Archiprincipum noſtrorum ſacri Romani Imperij Electorum pertinere notionem.* In eandem ſententiam ibidem & alia habentur. Nec vero aliter obſervatum eſt jam Friderico III Cæſare; ceu liquet ex reſcriptis illius Imperatoris, anno ſeculi illius quadrageſimo octavo editis in diſſidio Palatinorum Principum. Habet illa Goldaſtus *parte ult.* Reichſatzungen *pag. CXLV.* jam antè vero publicaverat auctor *Information. Iuris & Facti in cauſsâ Donavverdenſi.* At Principes nullâ juris Romani peritiâ, tantùm æqui ac boni conſuetudinumque Imperij notitiâ imbuti indubie fuerunt. Quapropter etiam tum maximæ

controversiæ non ex Romanis legibus, sed ex simplici ac prisca formulâ decisæ sunt: adeoque minimè tum usitatum fuit, ut omnes causæ in Cæsario judicio secundum leges Romanas deciderentur.

Igitur primùm Maximiliano Cæsare constitutum, ut sententiæ in judicio illo augusto secundum leges Romanas pronunciarentur. Nec tamen solæ observari mandatæ sunt, priscis omnibus antiquatis; quod modò audivimus Lehmannum videri dicere. Rectius Goldastus *l. 2. de Majorat. cap. 16. §. 5. & 10.* docet, nullâ lege esse antiqua instituta abrogata. Clarissime id apparet ex constitutione Maximiliani Cæsaris, anno illius seculi nonagesimo quincto Wormatiæ promulgatâ, qua judicium Camerale instituitur. Inter alia ita cautum ibi est: *Item* Ein jeder sol seine Unterthane in ordentlichen Gerichten Rechten vnd Oberkeiten lassen vnd halten / nach eines jeden Fürstenthumbs Grafschafft Herrschafft vnd Oberkeits herkommen vnd gebrauchen. Porro in omni illa constitutione, de Legibus Romanis observandis, nihil legitur: tantùm formula, in quam jurare coacti sunt Assessores judicij illius, meminit Romanarum legum, verùm ita ut consuetudinum æquè magnam habendam esse rationem, non obscure indicet. Habetur illa in Codice der Reichs Abscheiden & quidem prout paulùm emendata est in Comitiis Wormatiensibus anno superioris seculi vicesimo primo. Diese alle sollen zuvor vnser Käyserlichen Majestät geloben / vñ ein eyd zu Gott vnd auff das H. Evangelium schweren / vnserm Königlichen oder Käyserlichen Cammergericht getrewlich vnd mit fleiß obzuseyn / vnd nach des Reichs gemeinen Rechten / Abschied / vnd den jetzbewilligten / vnd auff diesen Reichstag auff gerichten Frieden / in Religion vnd andern Sachen / auch Handhabung des Friedens / vnd nach redlichen erbarn

erbarn vnd ländischen Ordnungen Statuten vnd Gewonheiten der Fürstenthumben Herrschafften vnd Gericht die vor sie bracht werden / dem Hohen vnd Niedern / nach seiner besten verständniß / gleich zu richten. *Communia iura* indubie Romana sunt: illis verò junguntur consuetudines & statuta singularum provinciarum. In eadem verba jurare Assessores illos jubet constitutio Ferdinandi primi, anno seculi ejusdem quinquagesimo quinto publicata. Videatur *Ordinat. Cameral. part. 1. cap. LVII.* Nec sine hoc juramento hodieque ulli ejus judicii Assessores admittuntur. Eòdem pertinet quod de judicibus istis decernitur. *part. I. cap. XIII.* Die Beysitzer des Cammergerichts sollen in keiner sach / sie sey so gering als sie immer wolle / allein auff jhr gutbedünckē / oder eygen furgenommen / vnd nicht dem rechten gemäß / informierten gewissen / sonder auff deß Reichs gemeine Recht / Abschied / vnd den jetzt bewilligten / vnd auff diesen Reichstag auffgerichten Frieden / in Religion / vnd andern Sachen / auch Handhabung deß Friedens / vnd ehrbare ländische Ordnungen Statuten / vnd redliche ehrbare Gewonheiten / der Fürstenthumben / Herschafften vnd Gericht (die für sie gebracht werden) wie solches von alters jederzeit Cammerrichter vnd Beysitzern auffferlegt vnd gehalten worden ist / nach Vermög vnd Außweisung jhres Eyds / wie er hieunden gesetzt / Vrtheil fassen vnd außsprechen. Eâdem de causâ Carolus V Cæsar in decreto Comitior. Augustanor. anni quadragesimi octavi, promisit sese constituturum judicij Præsidem & Assessores consuetudinum Germanicarum peritos. Vnd nach dem vns / als Römischen Käyser zustehet vnd gebühret / einen Cammerrichter vnsers Käyserlichen Cammergerichts zuverordnen: So wollen wir solch vnser Cammergericht anfänglich mit einem geschickten / ansehenlichen erfahrnen Cammerrichter / auß Teutscher Nation

gebohren / der vns vnd dem Gericht ehrlich vnd fürständig / auch dieser Nation löblichen Gebrauch vnd guter Gewohnheiten erfahren sey / fürderlich versehen. Folgends aber auff gemeiner Ständ obgemeldte vnderthänigste heimstellung / wollen wir berührt vnser Cammergericht / in Namen vnd von wegen / auch auß vnderthänigstem zulassen der Churfursten Fürsten vnd gemeiner Ständ / mit geschickten gelehrten tüglichen verständigen qualificierten Beisitzern / aus Teutscher Nation gebohren / vnd derselben Gebrauch vnd gute Gewonheiten erfahren / besetzen. Ex hisce vero omnibus manifestum utique est, receptum quidem tandem publico Imperij consensu Romanum jus in forum potissimum, quod *Camerale* appellamus: non tamen ut ex uno illo sententiæ dicerentur, sed consuetudinibus & statutis usitatis suo loco relicto, adeoque hactenus tantùm, inquantum illud jus receptis moribus & legibus non adversatur. Quæ vero Cameralis eadem & Aulici Cæsarei Judicii est ratio. Non enim hactenus ulla ibi est diversitas. Eoque sufficit isthæc tantum de Camerali attulisse.

In alia Germaniæ fora nullâ communi totius Imperij sanctione Jus Romanum traductum est. Neque enim ulla lege publicâ ita decretum deprehendas. Multo minus ulla Imperij constitutio exstat, quâ priscæ leges & consuetudines omnes sint abrogatæ. Paucæ tantùm semel atque iterum antiquatæ sunt quæ publicis constitutionibus adversantur. Qualia videnda Reichsabschied / *Anno 1500 §.* Die *Succeß.* der Dichter. *Item* Wormbs *Anno 21. §.* Nach dem auch. *Item* Nürnberg / *Anno 21. constit. Caroli V. Item* Reichsabschied / *Anno 1551. §.* Vnd nach dem / alibique. His & aliis paucissimis exceptis, quicquid reliquum est legum ac consuetudinum veterum confirmatum potius est quàm abrogatum.

tum. Quum enim causæ ex omnibus Germaniæ locis ad summum tribunal delatæ, decidi debeant non minus secundum leges & consuetudines hactenus receptas, quàm Iura Romana, utique legibus illis & consuetudinibus priscis auctoritas sua manserit necessum est. Itaque publica quidem constitutione Imperij nihil derogatum est moribus ac legibus hactenus per provincias usitatis: ut nihil etiam auctoritatis Romano juri in foris provinciarũ concessum.

Idcirca quoniam etiam illic Ius Romanum hodiè in magno est usu, non minus atque in foro illo summo & communi, aliunde ejus origo repetenda est. Et verò observare licet, partim consuetudine quadam tacita, partim Principum, Comitum, aliorumve quibus est ferendorum statutorum arbitrium, constitutionibus, diversis temporibus in diversis locis, observari illud cœpisse. Ex quo scilicet judicia Romani illius juris Doctoribus commissa sunt, fieri vix aliter potuit, quin eorum multi, illius Iuris cujus audiebant Doctores quam priscarum Germaniæ legum ac consuetudinum cum peritiores tùm observantiores, hujus Romani juris usum sensim introducerent; præsertim apud populum quòque enata Iuris illius, utut ignoti, præ antiquis institutis singulari existimatione: nec amplius, ut olim, populo legum suarum curam gerente, sed omni hoc negocio paucis, qui quasi legum domini hinc redditi sunt, concredito. Indubium tamen, quod tacito quodam usu introductum primò, illud inde, plærisque in locis superiorum auctoritate accedente, majorem vim nactum esse. Et vero haud difficile est, plurimorum Principum aliorumque Germaniæ Ordinum publicatis edictis id demonstrare, si opus foret. Verùm id fuerit soli quasi lucem fœnerari.

Quantumvis autem ita passim per Germaniæ fora Romanum Jus cæperit, & multæ priscæ leges & consuetudines observari ita desierint: haud crediderim tamen usquam locorum solum hoc Jus unicè receptum esse, omnibus priscis moribus & institutis abrogatis. Certè plerisque in locis haud pauca vetera legibus Romanis præferuntur, nonnusquam in incerto jus fluctuat, nunc Romano nunc veteri prævalente. Nusquam vero ita recepta Romana sunt, ut novorum statutorum legumque, cum Romanis etiam pugnantium, condendarum potestatem Principes aliique Imperii Ordines non sibi retinuerint. Hinc hodieque passim per universam Germaniam plurima edicuntur & promulgantur, quæ à Romanis institutis immane quantum dissident. Neque id non rite fieri, prudentior quis criminatur. Nefas autem foret, si secundùm solas Romanas leges vivendum esset.

Res est clarissima & citra controversiam omnibus nota. Lubet tamen illam saltim per exemplum unum alterumque Saxoniæ hujus nunc confirmare. Quemadmodum igitur in Holsatia Juris Romani. & omnis alterius quod in foro est ibi usitatum. habeat sese auctoritas, ipsismet verbis Edicti provincialis jam tum docuimus. In Ducatus porro Brunsuico-Lyneburgici parte Wolfenbuttelensi sic cautum est à Serenissimo Augusto Principe de Jure in Judicio Cancellario observando, art. 54 Ordinationis Cancellariæ: *In decisionibus* sollen Sie Sich richten nicht mehr nach Sachsen recht / als welches in unsern Fürstenthum Graff- Herschafften und Landen nicht stat hat / sondern nach deß heil. Römischen Reichs gemeinen rechten / *constitutionen* und Abschieden; imgleichen nach denen in unsern Fürstenthuum Graff- Herschafften und Landen verhandenen oder noch ins künff-

künfftig *publici*renden Landtagsabschieden / *constitutionen*, ordnungen / *statuten*, gewonheiten und herkommen; dergestalt das sie in denen Sachen / so in gemelten Landtagsabschieden *constitutionen* und ordnungen albereits *determiniret* werden möchten / denen parteyen keine unnötige *disputationes* zu geben / sondern gemelte verordnungen der schuldigkeit nach in gebührliche obacht nehmen / und darnach die vorfallende *quæstiones*, auch ohne anrägen oder *allegiren* des einen oder andern theils / vor sich selbsten / der gebühr allemahl entscheiden und erörtern sollen. So viel aber die jedesmahl *allegirte local* oder *special statuten* gewoheiten und herkommen bewust / sollen sie so weit darnach zu richten schuldig sein / wann und so viel deren die *litigi*rende parteyen angeben und behaupten werden. Si his conferre placuerit quæ habentur tit 3. 7. & 13. der Wolffenbüttelischen Hoffgerichtsordnung / plane idem & in illo inclyto foro obtinere, liquidò fuerit deprehendere. In Ordinatione quoque Judicii Aulici Hannoverani iisdem verbis usus est Georgius Dux titulis itidem 3. & 13. Hoc ipso quarto post sexagesimum anno seculi Christiani septimidecimi Serenissimus Dux Georgius Wilhelmus Ordinationis Cancellariæ titulo primo hisce verbis usus est §. 1. Nachdemahl wir unsere Fürstliche Regierungs Canzley mit gewissen Personen besetzet / und dieselbe in ihren Bestallungsbrieffen dahin angewiesen / das sie in partey und justitzsachen ihr absehen auff Gottes Wort / die Kayserliche beschriebene rechte / Reichs und Landtags Abschiede / auch ehrliche vernünfftige gewonheiten / wann dieselbe glaubwürdich gemachet werden / also *dirigiren* und richten sollen / etc. In eandem sententiam non semel constitutum est in Cellensi, tertiâ Ducatus Brunsuico-Lyneburgici aulâ. Quibus omnibus prudenter expensis, Henricus Hahnius eximius sanè & forensi-

rensium rerum usu præstans JCtus amicus & collega noster non dubitavit in hæc verba scribere in Observationibus ad Paratitla Wesenbecii l. 1. tit. 3. p. 114. secundæ editionis: *Illud notatu dignum, quod, ceu in aliis, ita & in hisce Ducatibus illustr. Br. & Lyneburg. præ reliquis attendenda veniant constitutiones patriæ, statutaq; & consuetudines approbatæ: quibus deficientibus demum ad Ius Cæsareum, ceu commune, recurritur.* In vicinia porro ante hos duodecim annos ita præfatus est Archiepiscopalis provinciæ Magdeburgensis Administrator Dux Augustus, in suas Ecclesiasticas & Politicas constitutiones: Was nun in diesen Ordnungen außdrücklich nicht *disponiret* und gesetzet / auch in welchen fällen keine sonderliche verordnung geschehen / darinnen sol nach den gemeinen rechten / Reichsabschieden / auch Sächsischen rechten / so weit dieselbe in diesem Ertzstifft angenommen und gehalten / geurtheilet werden / darbey dann ausser dem was in diesen Ordnungen *disponiret*, ungeendert und unverhindert verbleibet. Wie wir dan denselben / so in gemeinen Rechten dieser ordnungen zu wieder *disponiret*, aus Landes Fürstlicher Macht und Obrigkeit hiemit *derogiret* haben. Sonsten aber verbleiben dieses Ertzstiffts alte *fundamental* gesetze Land und Ausschostages abschiede allenthalben ungeendert in jhrem *vigore* und lauff / und wollen was darinnen oder auch sonsten durch regierung und *commission* Abschieden *recesse* belehnungen verträge / und benantes herkommen / zu ein und des andern sonderbahren gerechtsam zugeeignet gestanden und gelassen worden / das es darbey verbleiben und gelassen werden solle. Similiter denique Ordinatio Cancellariæ Halberstadiensis c. 7. ubi de Cancellarii & Consiliariorum sacramento agitur, ita sese habet: Vnser Cantzler und Räthe sollen geloben und schweren / das sie inhalt jhrer bestallungen in unser

unser Cantzley jhren Amptern getreulich und redlich vor sein / nach gemeinen beschriebenen auch landüblichen Sachsischen Rechten / ehrbarn und guten Ordnungen und Gewonheiten / nach jhrem besten Verstande / hohes und niedriges Standes Personen gleichmessig recht und bescheid wiederfahren lassen / etc.

Hæc in exemplum adduxisse satis est. Neque vero operæ fuerit pretium etiam aliorum Principatuum & Vrbium constitutiones in medium adferre. Certum vero est, nullum omnino forum universæ Germaniæ non eodem sese modo habere. Quandoquidem autem quæ hactenus docuimus vera sunt veriora, quæ & quanta hodie sit auctoritas Romani Juris per Germaniã non àmplius in obscuro sed haud difficile est definitu. Constat nimirum, nusquam illud ex omni parte, nec nisi liberrimo arbitratu à singulis Germaniæ Ordinibus hic illic receptum esse, neque jam illud nisi libere teneri; adeoque non minus nunc in potestate singulorum Ordinum situm esse illius juris omne (quod quidem ex constituto valet) rursum abrogare, atque olim libere illud quique admisere, & impræsentiarum libere observant. Nec vero est cur multis argumentis iterum eos confutemus, qui tanquam ex naturæ aut divino instituto, aut quoniam Imperij Romani pars hodie Germania audit, illis legibus nos teneri, arbitrantur. Quantum enim illi à vero abfint, vel ex ijs quæ jam in medium allata sunt, liquidò patere opinor: tum verò pridem *præfatione ad Tacit. de morib. Germ.* alibique errores istos perstrinximus.

Liquet præterea ex iis quæ diximus, Arthurum Duck *l. 2. cap. 2* operis summâ industriâ *de Iuris Civilis Romani auctoritate* conscripti, nonnulla quidem recte, nonnulla tamen perperam tradidisse. Recte nimirum illud §. 9: *Constitutiones*

statuta & consuetudines in singulis territoriis inter jura municipalia habentur, quæ possunt Iuri Romano derogare, ipsæq; constitutiones Imperiales non aliud sunt quàm Ius municipale Imperii: solum verò Ius Romanum est Ius commune, ex quo casus in juribus municipalibus vel non expresse vel obscure positi terminantur. Item §. 10. *Omnia in Legibus Romanis constituta manent apud Germanos integra & incorrecta, quibus Iura gentis ejus municipalia non derogarunt.* Minus recta autem illa sunt §. XIIX: *Tanta est Iuris Civilis Romanorum in Germania auctoritas, ut licet in omnibus aliis regnis dominiisq; concessa fuerit Iure Romano potestas condendi statuta Iuri civili derogantia, ut omnes Romani Iuris interpretes asserunt: Principes tamen & civitates Germaniæ non possunt statuere contra prohibitionem Iuris Cæsarii: eaq; de caussa non possunt statuere, ut bona naufragorum cadant in commissum.* Hæc inquam minus recta sunt: imo adversantur ipsis illis paulo ante ab Arthuro allatis, de Iure municipali derogante auctoritati Romanarum legum. Nec verò de bonis naufragorum non ideo constitui potest in Germania, sub commissum illa cadere, quod vetitũ id sit Jure Romano civili & positivo, sed quod ipsimet naturali juri haud sit consentaneum. Falsum etiam est quod § XX asseritur: *In Imperio Germanico Legum Romanarum auctoritas necessariò majestatem Imperii Romani sequitur.* Liquidum enim fecimus, non magis Germanos quam ullum populum alium Legibus Romanis obligari: neque ad Germanos eas pertinere, propterea quia Imperii Romani dignitas aliqua adhuc apud nos supereſt: sed liberrimo arbitratu in usum receptas, & quidem non nisi in quantum visæ sunt rebus hujus aut illius status conducere. Sed de his fortasse plus satis.

Longe minus autem Romano videtur Ius FEVDALE LANGOBARDICVM Oberti de Orto & Gerardi Nigri in Ger-

Germania valere. Nimirum illud fortassis ne quidem in scholas à Cæsarum quoquam traductum est. De Friderico tamen II verum est quod scribit Pandulphus Collenutius in Historia Neapolitana: *In ordinem redegit librum Feudorum: qui & ipse in scholis receptus decima collatio dicitur.* Legi digna quoque sunt quæ observavit Guido Pancirollus *Var. lect. l. 1. cap. 90.* Cæterum quod reliquum est reapse *est rhapsodia quædam* (ut loquitur Duarenus *cap. 1. in consf. feudal.*) *constituta ex variis libris studiosorum qui in foro Mediolanensi versabantur*, & quidem, ceu *inter omnes convenit*, collecta ab homine privato. Etsi sane Friderico III Cæsari à nonnullis adscribatur, quos inter videtur numerandus etiam Zasius *in proœm. feudor.* quasi ille Bononiensium rogatu confirmaverit libellos illos & doceri jusserit, vereor tamen ut hoc sit vero consentaneum. Aliter enim narrat Iacobus Spigelius ICtus & rerum ejus Cæsaris peritissimus. Ejus in catalogo Imperatorum verba hæc sunt: *Fridericus III Austriacus, ut Haloander indicat, Feudorum consuetudines, quas veteres appellare solebant jura militarium, & Imperator nominat στρατείας, ad preces Bononiensis collegij confirmavit. Nos dubio procul jam haberemus eas ordini suo restitutas, nimirum quo Principi per tam celebre collegium fuerunt exhibitæ, si per invidiam fati licuisset; ne quid gravius dicam de immatura morte Haloandri nostri.* Hæc Spigelius: quæ si vera sunt, non vulgares illos libellos confirmavit Fridericus, sed alios à Bononiensibus oblatos. Et vero Cuspinianus quoque scribit, jussisse illum, *novum de Usibus feudorum librum fieri* auctore Antonio de Prato veteri. Locus integer Cuspiniani in vita Friderici III Imperatoris ita sese habet: *Iurisperitos mediocriter dilexit, quod Juris æquitatem diceret ab iis inverti, justitiamq; fœdari. Ob id librum de Usibus Feudorum novum*

vum fieri jußit, qui extat apud Pyladem meum Gabrielem Eubolium ICtum peritißimum. In quo rubricas omnes, in antiquis confuſas, in pulchram ſeriem miro ordine reduxit, de feudis ij, plene tractavit. Id opus Beſſarione Cardinale atque Angelo Reatino approbantibus Antonius de Veteri Prato Bononienſis ICtus congeßit, Friderico præcipiente. Mirum verò & hoc fuerit, confirmatum à Cæſare iſto librum qui ne Bononiæ quidem aliquâ eſt in auctoritate ſingulari. Hodie illum Antonij librum non exſtare, etſi multa ſibi de illo polliceatur, fatetur Rittershuſius *in proœm. Part. feud.*

Quicquid verò ſit de uſu illorum vulgarium de Feudis librorum in ſcholis, id certiſſimum eſt: nullo Germaniæ publico decreto vel in communi Cameræ judicio, vel in alijs foris, feudalia Saxoniæ Sueviæ aliarumque regionum inſtituta vetera cum hiſce Langobardicis diſertè permutata eſſe. A paucis quoque Ordinum fortaſſis (ſi modo ulli ſint) conſtitutum eſt, ut hæc præ alijs illis obſerventur. Itaque, quantum videtur, ex ſola quadam conſuetudine apud nos vis illorum hactenus obtinet: indubiè ex quo paſſim terrarum priſca & Germanica illa ſenſim obliterari cæperunt. Neque vero de Germania id mirum videri debet, quum jam olim Cardinalis Hoſtienſis in media Italia *Summ. decretal. de Immun. Eccleſ. §. in quantum* docuerit: impune poſſe ab his legibus recedi, nec eas quenquam obligare niſi qui ſponte ijs ſe ſubjecerit. Quæ tamen ſententia intelligenda eſt de populo aut Principe cui ferendarum legũ eſt arbitrium. In Gallia hoc opus non eſſe approbatum vel lege vel conſuetudine, obſervavit Carolus Molinæus: cui contradicere non eſt auſus Duarenus, ceu apparet ex ijs quæ diſſerit *cap. 1. n. 5. conſuetud. feudal.*

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Quæ hodie ſit per Germaniam ratio forenſis Iuris: & legum omnium Germanicarum brevis epicriſis.

AD hunc modum ratio legum per Germaniam ſeſe habuit ad noſtra tempora, ſive potius avorum uſque memoriam.

Non opus verò eſt ut multis narremus, quales leges aut qualia inſtituta etiamnum obtineant. Sunt enim hæc in vulgus cognita, ex parte verò jam tùm à nobis indicata. Namque inquantum valeant hodie leges Romanæ & Langobardicæ modò diximus. Pontificia jura magnam partem apud Proteſtantes vim ſuam amiſiſſe, apud alios verò illam integram adhuc ſervare, notiſſimũ eſt. Nec minus notum, ea quæ in publicis regni Comitijs decernuntur (cujuſmodi inter alia ſunt conſtitutiones criminales Caroli V Cæſaris) per omnem Germaniam, quæ in ſingulis rebuſpublicis edicuntur in ſingulis illis vim legum obtinere. Nec eſt quem lateat, quanta hodieque conſuetudinum ſive ubivis ſive hic alibi receptarũ ſit auctoritas. Ad hæc apud quàm multos, alijs fruſtra reclamantibus, ſententiæ Iuris doctorum qui hiſce proximis aliquot ſeculis floruerunt, penèvim legis obtinere ſolent: Iudice ſatis ſeſe officio ſuo feciſſe exiſtimante, ſi in judicio premat veſtigia multorum aut ſaltim celebrium aliquot Juris Romani interpretum. Etenim & ille mos non minus in Germania nunc valet, quam in Hiſpania, Galliâ, Italiâ, alibique. Cameræ Spirenſis præjudicia illius tribunalis Aſſeſſoribus pro lege obſervanda eſſe, haud obſcure videtur decerni in decretis conventuum Spirenſium anni MDLXX. Sunt illa videlicet qualia in Roma-

no Imperio antiquo Decreta: quorum Severo & Antonino Imperatoribus pro tribunali pronunciatorum sex libros olim collegerat Paulus JCtus: eoq; ad ejus exemplum cum alii tum Fridericus Gilmannus Decisionum Spirensium tomos sex edidit. Quanquam mereantur notari, quæ de illis memoravit Melchior Goldastus *Replicationis pro Imperio c. 12. pag. 105.* hisce verbis: *De eorum fide dubitari vidi. Et retulit mihi D. Gilken Herbipolensis Consiliarius & in Academia Antecessor, in gravissima caussa coram Consistorio Principis agitata, prolatam fuisse decisionem Cameræ ex Gilmanno. Tum de Consilii sententia quum perscriberetur ad Iudicem Cameræ, ut originali ad inspiciendi copia daretur, in iis plane diversam & contrariam sententiam fuisse compertam, & Gilmannum manifeste falsi convictum.* Hæc Goldastus. Quicquid verò hujus sit, Camerales decisiones tantum non legis vim in tribunali isthoc obtinere certum est. Alibi etsi fortè non sit idem cautum, tamen ex consuetudine præjudicia curiarum similiter juris auctoritatem fere obtinent. Hinc sane tot jam eduntur apud nos etiam volumina Decisionum: quod hactenus in Italia duntaxat & Gallia factum fuerat.

Ex hisce vero omnibus etiam id manifestum est; leges quæ in quâque Germaniæ civitate & regione hodie observantur ex variis admodum fontibus promanare: adeoque ex varijs libris non tantùm universæ Germaniæ, sed singulorum etiam Principatuum rerumq; publicarum instituta petenda esse. Quod cum non possit non difficile esse, fortassis haud absre fuerit, si quælibet civitas omnia quæ in usu sunt, inutilibus resectis, singulari libello curet comprehendi.

Caeterum consilii hujus rationem clarius proponemus, ubi nonnihil ante disseruerimus de fructu quem singulis tempo-

temporibus Germania noſtra à legibus ſuis eſt conſequuta. Et vero ut hoc etiam paucis addamus, videtur poſtulare ipſum hoc inſtitutũ opus. Vtpote quum politici ſive civilis artificis officium cum primis exigat, non tantùm ſcire quid legibus ſit conſtitutum, verùm etiam quantum leges omnes reipublicæ vel proſint vel obſint. Noſtrum autem hoc opus par ſane eſt uti adjuvet prudentiam illam, quâ Germaniæ reſpublica eſt adminiſtranda. Certè iſtud uti obtineamus, unicè in votis eſt.

Quod ad antiquiſſima itaque tempora attinet, etiam ſine legibus, ſive numero multis ſive ſcripto comprehenſis, videntur Germanicæ gentes haud omnino infeliciter vixiſſe, propter morum quæ tum fuit ſimplicitatem, omni exulante divitiarum curâ, & ignoto luxu, ignota penè omni mercaturâ, vulgoque cunctis libidinem deteſtantibus. Neque enim legibus multis, ſcriptis quidẽ, opus eſt cùm in illis moribus, utpote quum ita ſibi quisque lex ſit: tum in negotiorum civilium illâ raritate, quæ nunquam non excipit divitiarum contemptum & luxus libidiniſq; ſive ignorantiam ſive deteſtationem, plæriſque inter homines contractibus & contractuum controverſiis non aliunde profluentibus. Sufficit autem una pro multis Germanici olim populi illa à Cornelio Tacito, prudentiſſimo utique ſcriptore, profecta commendatio: *plus apud eos valent boni mores quam alibi bonæ leges.* Nec alio teſte opus eſt, ad probandum auri argentique in veteri illo ævo contemptum & ſimplicem rationem vivendi: quorum utrumque idem Tacitus *l. de morib. Germanor.* luculentè enarrat. Indubie verò ad præcavendas lites multum etiam juvit prohibita teſtamenti factio, eoque hæreditatis ratio certa ac plana: qualem tum obtinuiſſe eodem teſte Tacito novimus.

mus. Omnia tamen perinde sese rectè habuisse, haud equidem affirmaverim. Imò constat, latrocinia nullam tùm infamiam habuisse: diem noctemque continuare potando nulli probrum: crebras ut inter vinolentos rixas cæde & vulneribus transigi solere: nec homicidio constitutam capitalem pœnam, sed mulctam certo armentorum ac pecorum numero. Vnde constat hac parte laborasse leges, eoque in vitam & mores labem transiisse.

Quæ à Francis scriptæ sunt leges meritò dixeris justo fuisse pauciores. Quantulam enim illæ vitæ negociorumque partem attingunt, in solis ferè criminalibus nec omnibus hærentes? Et tamen à prisca simplicitate, ab auri argentique contemptu, multum jam mores recesserant. Vtque ferociæ nonnihil Christiana religione detractum fuerit, tamen cædibus nulla etiam tum constituta fuit capitalis pœna, nec vinolentia avita legibus emendata est. Quædam tamen, quæ inoleverant malis moribus apud gentes alias atque alias, sunt fateor correcta. Francicorum porrò Cæsarum Regumque tempestate laboravit quoque respublica nimiâ legum varietate, cumprimis quia arbitraria quasi facta esset harum illarumque observantia. Supereſt illo de vitio Agobardi Lugdunensis Episcopi maximæ olim auctoritatis prudens querela ad Ludovicum Pium, in illa quam ad Imperatorem istum contra duelli usum scripsit Epistola. *Cupio per pietatem vestram nosse, si non huic tantæ divinæ operationis unitati aliquid obsistat tanta diversitas legum, quanta non solum in singulis regionibus aut civitatibus, sed etiam in multis domibus habetur. Namplarumq; contingit, ut simul eant aut sedeant quinq; homines, & nullus eorum communem legem cum altero habeant exterius in rebus transitoriis, cum interius in rebus perennibus unâ Christi lege teneantur.*

neantur. Quibus omnibus perpensis legumlationem illius tempestatis neque laudare integre possis, neque omnino reprehendere.

Par ratio autem videtur fuisse temporum omnium usque ad seculum decimum tertium. Imo licentia latrociniorum & cædium increvisse videtur tantùm non in barbariem priscam: neque legas hæc fuisse acerrimis propositis pœnis, perinde uti par erat, vetita. Quinimo cum nullæ pæne tum fuerint in usu scriptæ leges vitia autem omnis generis abundaverint, liquet illam tempestatem eadem fuisse conditione quâ ætatem Carolinam.

Cæterùm à seculo decimo tertio melioribus legibus datum esse locum, vel unum illud evicerit, quod ex eo urbes plurimæ conditæ, & commerciis cum mutuis tum cum exteris gentibus institutis, opibus viribusque passim terrarum Germaniæ populi cœperint florere. Multum quoque castigatam esse ferociam pristinam, & latrocinandi impunitatem severissimè coërcitam, docent illorum temporum monumenta. Etiam sic tamen lites fuisse rarissimas, & brevi temporis ambitu circumscriptas, vel uno illo Lehmanni constat testimonio, quod *cap. XIIX* adduximus ex quarto libro Spirensis Chronici. Porrò nec numero legum fuisse tum laboratum, manifestum jam itidem est ex iis quæ supra narravimus. Vereor autem ne passim paucitas legum scriptarum fuerit in vitio, & nimis multum concreditum judicum, quorum honestas non satis frenata erat, æquitati. Quod tamen haud culpes in omnibus Germaniæ civitatibus: utpote quarum nonnullæ legibus & bonis & numerosis tum fuisse instructissimas, res ipsa hodieque loquitur.

Post seculum decimum quartum juris omnis & æqui

peritiam solito magis efflorvisse per Germaniam, ex monumentis omnibus collectu facillimum. Cædes quoque & latrocinia legibus magis quam antehac unquam vindicatas fuisse, certum est. Itaque hac sane parte magna morum emendatio per leges facta. Aliud quid sanctimoniæ moribus per eas accessisse, vix dixerim. Ex adverso contentionibus & litibus forensibus immane quantum ab illo usque tempore Germania omnis infecta & contaminata. Quod quàm sit reipubl. noxium, in propatulo est. Neque verò justitiæ suus locus est in litium illa cum multitudine tum diuturnitate: justitia autem anima utique est omnis societatis. Arguit vero hoc, nisi fallor, sole clarius: saltim leges forensium actionum judiciorumque haud vacare vitio.

Sed & ipsa multitudo legum fortassis haud parum promovet hoc mali. Certe ipsi Iustiniano Cæsari, ex copia legum nimia litium prolixitatem nasci, observatum est, eoque illâm à se amputari *multitudinem* constitutionem *resecando*, profitetur *const. 1. de. Nov. cod.* Indubie verò quàm maximè foventur lites juris ambiguitate & perplexitate: quæ ut legibus Romanis non sit ex parte adscribenda, in doctorum tamen responsis tanta est ut fidem penè superet. Et tamen passim illa responsa legum ferè vim obtinent. Suffecerit unum Andream Tiraquellum evolvisse, qui adductis pro sententia aliquâ interdum centum & amplius Doctorum testimoniis, mox tale quid subjungit: *ut videas amice lector, nihil esse in iure nostro non ambiguum, & disputationibus ac controversiis involutum, volo tibi totidem aut plures recensere qui sunt in opinione contrariâ.* Et verò fidem dicto confestim facit, totidem numero testimoniis laudatis. Ex professo orbi hoc incommodum demonstrare studuit Hieronymus

nymus de Cævallos, *Speculo* quod appellavit *aureum Opinionum communium contra communes.* Merentur doctissimi non minus quàm integerrimi viri verba quædam, quibus in procœmio operis usus est, huc adferri, quo major auctoritas meæ sit querelæ. *Quilibet miretur*, inquit, *in quanta caligine & obscuritate totum jus versetur, cum nulla sit opinio certa & verissima, quæ non possit plurib. contrarijs opinionibus & fundamentis contrariari. Et sic omnia negotia magis ex judicum arbitrio, quùm ex certa juris dispositione terminantur: & modo in uno eodemque negotio, nunc pro actore, nunc pro reo, sententia fertur, sine variatione juris atque facti, sed solum ex eo, quia his judicibus placet hæc opinio & alijs displicet: & contraria directa satisfacit, cum sine certa lege omnino in tot opinionum varietate respublica gubernetur. Quod & maximè dolendum, quia in litibus quæ quotidie contingunt cum nihil sit certum, conniventibus oculis patrimonia consumuntur, & hominum vitæ terminantur. Quæ omnia optimè providerentur, si omnes hæ contrariæ opininones ad certam legem redigerentur, quod quidem facillimum esset. Et sic in arbitrio judicis non esset, modo unam & ilico contrariam opinionem sequi, prout amicitia postularet, cum ferè omnes octingentæ opiniones contrariæ, quæ in hoc 1 & 11 libr. continentur, sint quæstiones pro amico. Et sic advocati utriusque partis, sequendo communem opinionem, sunt securi in conscientia, pariterque & judex causarum. Nec hoc damnum solùm litigantibus contingit, quia sequuntur lites immortales, sine spe justitiæ consequendæ ex certa lege: quia licet habeat communem opinionem pro causa quæ vertitur in judicio, judex arbitratur ad libitum. Quod malè ferunt studentes, cum ad nihilum sua studia rediganiur. Et sic melius respublica sine tot Doctoribus gubernaretur, relictis Legibus & Canonicis sanctionibus absque glossa & doctorum interpretationibus, qui rem dubiam faciunt, limitando, restringendo, ampliando &*

do & interpretando jura : & ex suis opinionibus tota respublica offenditur & nunquam in pace versatur. Vnde optimè dixit Aristoteles Rhetoricorum 1: quod periculosa est lex quæ arbitrio judicis aliquid relinquit, & è contrario sancta & justa si nihil judicis arbitrio committat. Quod nostris non est provisum temporibus. Et sic, cum essentialis justitia debeat esse constans & perpetua, est mutabilis vaga & incerta. Vnde non pauca ex hujus libri editione sequeretur utilitas omni religioni Christianæ, si supremi judices, cuncta rimando & considerando, intendant summa cum brevitate (prout negotium expostulat) de remedio provideri, reducendo omnes communes opiniones ad invicem contrarias ad certam legem regiam. Hæc omnia Hieronymus ille; in quo majorne fuerit juris recepti peritia an studium recti, dubites. Quibuscum consentiunt quæ Joachimus Mynsingerus habet præfatione in suas Observationum singularum centurias: ut alios nunc taceam. Est autem nihil horum non vero consentaneum; ne quidem eo excepto, quod abuti vulgò plurimi soleant illâ sententiarum de jure varietate, ut scilicet existiment citra culpam licere quamlibet earum sententiarum sequi, prout ex re fore visum fuerit; quasi satis sit, probabili niti opinione in Judicio forensi, idque in omnem partem, nec juris aliqua sit certa scientia sed mera duntaxat δόξα. Quæ fere est illa pestilens persvasio, quam novi quidam Moralium magistri de probabilitate ex orco protrahunt hodie in hominum commercia.

Ea porrò legum receptarum peritiæ acquirendæ est hodie difficultas, ut non nisi magno labore detur illam comparare. Quoniam scil. ex variis illa fontibus est haurienda: & quia leges Romanæ (quæ præcipuam hodie juris partem constituunt) intellectu obscuræ sunt cum ob linguæ

guæ & rerum multarum à noſtris moribus ingens diſſidium, tum quod melior eius pars ex fragmentis ſit confecta non legum ſed interpretum antiquorum, inſolito per univerſum terrarum orbem exemplo: quia denique (ut alia taceam) ipſum jus Canonicum Romanum & Doctorum ſententiæ multum habent intricati. Hac ſciendi difficultate verò efficitur *primum*, ut populus neſciat jura ſecundum quæ tamen niſi vivat plecti & debet & ſolet: *ſecundò* ut Reges Principes aliique procerum, quorum in officio maximè eſt jus dicere, omne hoc à ſeſe removere & aliorum arbitrio cogantur committere.

Quæ cum ita ſeſe habeant; utut hodie ſcientiâ juris omnes majores ſuperemus, quamvis etiam paſſim præclare conſtituta plurima exſtent, à quâ laude vetus ævum longè eſt remotiſſimum; tamen haud parùm laborare & noſtram legum rationem, negari non poteſt. Et verò poſſumus longè adhuc plura Iuris noſtri meritò accuſare, ſaltim de multò pluribus adhuc illius vitiis poſſemus conqueri, ſi exigatur tota juris noſtri ratio ad veram & certam normam Legislatoriæ prudentiæ. Quandoquidem verò illam nondum docuimus nos, nec ab aliis hactenus eſt integrè tradita, plenum examen in aliud tempus ſeponentes, in his ſolis quæ adducta ſunt nunc conquieſcemus.

CAPVT XXXV.

De ratione Leges in uſum publicum corrigendi.

HIſtoriam Germanici juris ab omni retro memoria repetitam ad noſtrum hoc ævum uſque hactenus deduximus

ximus. Quoniam autem ſolum hoc acturos nos titulo libri polliciti ſumus, ſatis utique jam fecimus officio, & licebit de tabula hac, ut in proverbio eſt, manum dimovere. Ex iis vero quæ præcedente ſumus capite perſequuti manifeſtum intelligenti cuivis ſimul factum eſt, minùs recte & totum Germanici Imperii corpus & ſingulas ejus partes, Principatus nimirum & Vrbes, à Legibus inſtructas eſſe: deque emendando iſthoc vitio conſilii cujuſdam noſtri obiter injecta mentio eſt. Fortaſſis igitur abs re haud fuerit, adjicere hic ſaltim nonnihil de illa correctione; in aliud tempus uberiore tantæ rei tractatione rejectâ.

Igitur indigere rempublicam omnem aliquâ circa Leges mutatione, indicant utique vel illa quæ recenſuimus vitia. Neque illam inſtituere adeo arduum vel difficile eſt, ut de ſucceſſu deſperemus: præſertim quoniam quibus laboramus non illas egere radices ut evelli nequeant, omnium intelligentium bonorumque deſiderio iſthùc propenſo. Etſi enim illi qui vel rabulariam artem profitentur, vel ex judiciorum varias in partes flectendorum licentia quæſtum faciunt, vel ambigui obſcurique juris jam parta ſibi peritia in populo eminere geſtiunt, lucri honoriſque jacturam metuentes, & quoniam in turbido feliciſſima piſcatura eſt, malint fortaſſis ut nunc ſunt omnia manere in perpetuum; attamen populo ſaltem omni grave eſt, Juris, quod utique norma civilis omnium vitæ eſſe debet, invincibili ignorantia teneri, & illius flexibili ambiguitate nunc ludos ſibi fieri nunc ſe rebus ſuis exui, ac paucos aliquot ſub juſtitiæ larva cum ſummo plurimorum diſpendio diteſcere. Principes etiam aliique reipublicæ gubernatores boni & officii memores, non poſſunt

possunt non dolere, ipsa perplexâ juris scientiâ illo se munere prohiberi, cujus exercendi gratia potissimum à Deo & populo sunt constituti. Paucorum itaque turpis lucri cupidorum aut ambitiosorum non profecto ea est ratio, ut ejus quod publicè interest & saltim tacite à populo omni & cunctis rectoribus reipublicæ desideratur, non prævaleat auctoritas.

Nec defuere tamen hactenus unquam & in illo recepti nunc Juris scientia præcellentium ordine, qui idem aperte profiteri inter ipsos nos Germanos non dubitaverint, imo qui votum hoc suum ad posteritatem tradere haut neglexerint. Jam tum sanè superioris seculi initio in prudentissima sua ad Theophili Institutiones à sese primum editas præfatione Viglius Zuichemus, summus in omni Legum doctrina vir, de Romano jure verba faciens diserte confessus est: *mutatis tot rebus, tot veterum abolitis consuetudinibus & novis quotidie irrepentibus, ut plærumque etiam municipiorum instituta moresque Iuri civili prævaleant, & responsis magis doctorum quàm certa aliqua lege controversiæ definiantur, necesse prope esse legum corpus innovare.* Respexit isthuc & Nicolai Cisneri Judicii Spirensis longe item clarissimi Assessoris sententia, quam de reformando forensi processu tulit, præfatione in tomum secundum Operum Franciſci Duareni. *Ac mihi quidem*, inquit, *ea de re diu multumque in hoc summi hujus tribunalis loco cogitanti, nulla melior ratio ejus corrigendi in mentem venit, quàm si aut veteris Iuris Iustinianei, conjunctis antiquis cujusque gentis de eodem genere cum æquitate congruentibus legibus municipalibus, pristina simplicitas restituatur: aut si id fieri his nostris moribus non possit, tamen ad illam formam quam proximè judiciorum ratio ususque forensis revocetur. Eodem instituto, quo C. Iulio Cæsari*

& Iu-

& Iuſtiniano propoſitum fuit, ut legum multitudine concisâ, ex infinito finitum, ex confuſo concinnum, ex incerto certum, ex obſcuro perſpicuum redderent. Jam ante Ciſnerum, ejuſdem fori tum primarius adhuc Aſſeſſor, pòſt inclyti Brunſvicenſis Ducatus optime meritus Cancellarius, ſummique nominis Juriſconſultus Joachimus Mynſingerus, præfatione ad Maximilianum II Cæſarem, Obſervationum ſingularium primæ editioni præfixa, ut & procœmio editionis tertiæ ad Henricum Bremenſem Archiepiſcopum, cum de juris incertitudine, tum de Codice quodam publica auctoritate optimarum ſententiarum concinnando, prolixe adeo diſſeruerat, ut iſthæc omnia huc referre moleſtum fuerit. Data opera hoc ipſum egit etiam Auctor libelli vernaculâ lingua conſcripti titulo: Bedencken wie etwan dem hochnötigen Juſtitien werck zu helffen. Etſi enim diſſimulaverit nomen, probitatem tamen & prudentiam auctoris ignorari, vetat libellus ipſe: tanti proinde æſtimatus à celeberrimæ famæ Juriſconſulto Paulo Matthia Wehnero, ut integrum tranſtulerit in ſuum Practicarum Obſervationum opus. Quod cum in manibus, diſſertata ipſa autem diffuſa latè ſint, poterit libellus ipſe conſuli. Juridici ordinis videtur porro eſſe Auctor libelli qui titulo Schlüſſel des Reichthums in lucem prodiit. Vtque alius ſit, etiam ille tamen præclare in eandem diſſeruit ſententiam capite viceſimo nono; mereturq; ejus conſenſus in teſtimonium laudari. Citra controverſiam verò & Politicus & Juriſconſultus fuit Georgius Schönbornerus: qui non dubitavit *l. 3. Polit. c. 7.* hiſce verbis votum facere. *Vtinam hodie fata aliquem animarent Iulium, qui Ius civile ad certum modum redigeret, atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferret libros!* Anno

ſeculi

seculi hujus trigesimo septimo demum obiit Petrus Henricus à Stralendorff Vicecancellarius Imperij, vir præter generis excellentiam Juris quoq; omnis recepti consultissimus. De illo autem hæc in verba *l. de Archicancellarijs & Cancellariis Imperij pag. 112.* commentatus est Bernardus à Mallinkrot vir itidem non doctrina minor quàm genere & dignitate. *Recordor, tempore Electoralis diætæ Ratisbonensis anno 1630, aliquot Cæsareæ aulæ procerum conversationi interfuisse, datamq; esse à virtutum & eruditionis ejus scientissimis Stralendorfio hanc laudem: si ullus esset, ipsum ante omnes aptum & idoneum esse, qui reformationem Iuris hodierni usualis, vastitate & incertitudine passim laborantis, toties ac tantopere à plerisq; justitiæ & salutis Germanici Imperij publicæ amantibus desideratam & expetitam, fructuosè aggrederetur, & feliciter perficeret.* Quæ Mallinkroti simul testimonio sunt, vera esse quæ diximus de communi meliorum quorumque & sapientiorum desiderio. Ut proinde alia adducere supervacuum fuerit. Quid, quod alibi atq; alibi per Germaniam, multa dubij, sive aliàs sive per doctorum dissidia, juris jam tum vel novis definitionibus sint constituta, vel jussa determinari? Posterius sane & in hujus inclyti Ducatus Brunsvicici Soltdalensi conventu, jam anno superioris seculi septimo post nonagesimum *art. tricesimo secundo* factum, nec semel repetitum est: idque indubie ex consilio eorum qui peritia juris & æqui valuerunt.

Sed & quandoquidem Gallia ijsdem nobiscum morbis laborat, etiam ibi cum publice tum privatim laudatum à nobis opus sæpius agitatum fuit. De Ludovico sanè XI rege scribit hunc in modum prudentissimus vitæ illius scriptor Philippus Cominæus: *Totus mente & animo in hoc*

erat, ut optimus legibus Galliæ conficeretur, & litium ferendarum tolleretur prolixitas. Volebat etiam ejusdem generis pondo & mensuram obtinere per omnem Galliam: & consuetudines omnes ad eandem normam conscriptas in volumen aliquod redigi patrio sermone: ad evitandum fraudes & expilationes Advocatorum; quæ majores profecto sunt in Gallis, quam in quavis alia regione, quæ mihi quidem nota sit. De eodem hoc Ludovici Regis instituto explicatius adhuc Joannes Tilius in Chronico Regum Franciæ: *Iudicierum, inquit, controversias infinitas fere minuere, & tempus litigandi brevius prescribere: impostoras, furta, rapinas, quæ à pragmaticis & forensibus hominibus quotidie fiunt, abrogare atque omnino tollere statuerat: Item morem & jus unum per totam Galliam constituere lingua vulgari comprehansum, & libello brevi expositum.* Michaëlis porro Hospitalij summæ dignitatis & veri Franciæ suæ Solonis prudentem hac de re orationem in conventu procerum Carolo IX rege habitam, recenset princeps nostri temporis historicorum Jacobus Augustus Thuanus *lib. XXXIX.* Cujus sententiam ramen forte rectius perspexeris ex Franciſci Hotomanni, prudentissimi longeque jurium omnium doctissimi scriptoris, parvo quidem perdocto tamen Anti Triboniano, ad Hospitalij mentem elaborato: nec enim audiendi qui magno illi viro libellum hunc subtrahunt, quo auctoritas ejus evilescat. Ex Hispanis jam tum laudavi consensum Hieronymi de Cævallos: cui indubiè & in illa gente plurimi alij astipulantur. Italorum quoque multorum salutaria ejusdem notæ consilia adducere facile fuerit, si pateretur institutum. Unius tantum Thomæ Campanellæ, ingenio utique & judicio acerrimi viri, verba quædam ex libro de rectâ studiorum ratione cap. *IV. art. 8.* petita

nunc

nunc recitabo, quum unus ille instar sit plurimorum. *In aliis*, inquit, *sectis abbreviatores Legum vidi permultos. Desideratur tamen in Christiana, ut ex tot codicibus Decretorum, Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, Bullarum, corpus aliquod simul complexum conficiatur. Quod item in Civili utilissimum foret. Nemo enim ignorat Legum multitudinem incommodam perniciosamq; esse judicibus, clientibus, & respublicæ: & legulèis tantum prodesse, ut quicquid volunt defendentes lucra sectentur: ac Principibus tyrannis, ut hoc modo subditos emungant pecunia.* Hæc etiam Campanella.

Ex hisce verò liquidum est id quod diximus, quammultos prudentiores jam à centum & ultrà annis non amplius ciam vovere, sed aperte expetere mutationem Juris ejus quod hodie est receptum, inq; alium statum correctionem. Jam tum vero antiquissimis tẽporibus & ipsimet Romani, si quando similem in modum Legibus laboravere, ad hoc remedij genus confugerunt. Quo tempore scilicet C. Julius Cæsar rempublicam armis civilibus victam Dictatorio nomine in ditionem accepit, erat Romæ *immensus aliarum super alias acervatarum legum cumulus*, ceu loquitur Livius *l. 3.* Tacitus *l. 3. Annal.* scribit: *ad multitudinem ac varietatem legum infinitam fuisse perventum; & corruptissimâ republicâ plurimas leges latas; utq; antehac flagitiis ita tunc legibus laboratum: finem æqui juris* duodecim tabulas fuisse, *secutas autem leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaq; ob prava per vim latas esse.* In ipsis illis tabulis (ut apud Agellium *lib. 20. cap. 1.* loquitur Sextus Cæcilius,) *longa ætas verba atq; mores veteres obliterarat, quibus verbis moribusq; sententia legum comprehensa est.* Hinc igitur C. Julius Cæsar, teste Suetonio, *Ius civile ad certum*

certum modum redigere, atq; ex immensa diffusaq; legum copia optima quæq; & necessaria in pauciſsimos conferre libros destinavit. Hanc unam ſcilicet prudenter eſt ratus Julius tanto malo antidotum reperiri poſſe. Caruit ſuo quidem ſucceſſu hic conatus, imò datâ ab Auguſto nonnullis reſpondendi de jure ampliſſima facultate, ijſque in factiones diſcedentibus, crevit malum; eodem tamen conſilio pòſt & Edictum perpetuum conditum, & Codices Gregorianus Hermogenianus & Theodoſianus conſcripti ſunt. Hoc certe inſtituto Theodoſianum Codicem confectum eſſe, aperte ipſemet Imperator ille profeſſus eſt Novella ſua prima, quâ Præfecto Prætorio Orientis Codicis ſui promulgationem demandavit. Cum ad hunc ipſum forte Imperatorem Auctor anonymus libelli de rebus Bellicis qui Notitiæ Imperii ſubjungitur, lemmate *De legum vel Iuris confuſione purgandâ*, paulo ante hæc ſcripſiſſet: *Divinâ providentiâ domi foriſq; reipublicæ præſidiis conſtitutis, reſtat unum de tua Serenitate remedium ad civilium curarum medicinam: ut confuſas legum contrariaſq; ſententias improbans, rejecto litigio, judicio Auguſtæ dignationis illumines. Quid enim ſic ab honeſtate conſiſtit alienum, quam ibi ſtudia exerceri certandi, ubi juſtitiâ profitente diſcernuntur merita ſingulorum?*

Omnes verò ante ſe natos Cæſares hoc in ſtudio vicit Juſtinianus: atque adeo hujus exemplo quam maximè ad imitationem provocamur. Eadem ſcilicet, quibus nos affligimur, Romani juris vitia ille deprehenderat. *Reperimus*, inquit, *omnem legum tramitem, qui ab Roma conditâ & Romuleis deſcendit temporibus ita eſſe confuſum, ut in infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate concludatur.* Item: *per contrarias interpretantium ſententias totum*

jus

jus pene conturbatum est. Alibi scribit: *antiquos Edicti perpetui commentatores opus moderatè confectum, huc atq; illuc in diversas sententias producentes, in infinitũ detraxisse, ut pene omnis Romana sanctio sit confusa.* Conqueritur alibi: *in antiqui Edicti factum esse ordinatione, ut illud brevissimum constitutum ex differentium commentariorum differentia seu diversitate in infinitam extenderetur multitudinem.* Et tamen, *extantâ legum multitudine, quæ in librorum quidem duo millia versuum autem tricies centena extendebatur, nihil aliud nisi sex tantummodo libros, & ipsos confusos & jura utilia in se perrarò habentes, à voce magistrâ studiosos accepisse, cæteris jam desuetis, jam omnibus invius.* Quæ cuncta manifestò indicant, ovum ovo vix similius esse, ut ita dixerim, quam illius Romani prisci juris status cum nostro convenit. Non solùm vero tantis malis attulit remedia Justinianus, sed quibusnam fuerit usus ipse prodidit posteritati. Hinc sanè profitetur, *prolixitatem se litium amputare multitudinem constitutionum resecando:* (ita enim legenda sunt verba isthæc) permisisse item sese excellentissimis viris, *resecatis tàm supervacuis quàm similibus & contrariis, illis etiam quæ in desuetudinem abierunt, certas & brevi sermone conscriptas leges componere: necessarium esse, multitudinem constitutionum ad brevitatem reducendo, caliginem earum rectis judicum definitionibus insidiantem penitus extirpare.* Omnibus etiam cognitum voluit: *quantâ confusione & infinitate absoluti, in quam moderationem, & legitimam veritatem pervenerint: leges inposterum habentes tam directas quàm compendiosas, omnibusq; in promptu positas, & ad possidendi libros earum facilitatem idoneas: ut non mole divitiarum expensâ possint homines supervacuæ legum multitudinis adipisci volumina, sed vilissima pecuniâ facilis earum comparatio pateat tam ditio-*

ribus quàm tenuioribus, minimo juris magna prudentiâ repa-randâ. Passim idem significavit, quantum studuerit, ne qua sit ἀνωμαλία, imò ne quæ similia sæpius inutiliter repe-tantur. Vetuit quoque non semel commentariorum scri-ptionem, & quidem *ne verbositate compendium confundatur:* aut, ut alibi loquitur, *ne verbositas eorum aliquod adferat legibus ex confusione dedecus:* vel, *ne rursus detur seditionis & dubitationis & infinitæ multitudini legibus occasio.* Ad hoc *si quod ambiguum fuerit visum, hoc ad Imperiale culmen per judices referri* aliquoties itidem jussit, *ut ex auctoritate Augusti manifestetur, cui soli concessum est leges & condere & interpretari.* Non disputabo, omniane ex voto succesſe-rint Justiniano (neque verò operam suam, cum primis quam in Pandectis collocavit, novo & hactenus nusquam tentatum visu exemplo, fragmentis variorum interpretum in centonem consutis proq; legibus valere jussis, vel ipsis successoribus suis, Orientalis Imperii Cæsaribus, ad breve tempus approbavit) prudente tamen consilio usum illum esse & scopo optimo, sole clarius est. Neque enim dixerim cum Horomanno, Cujacio, aliis, consummato illo legum novo opere, per Tribonianum omnes antiquas leges, edi-cta Prætorum, Senatus consulta, omnes item libros ma-gnorum & eximiorum Jurisconsultorum veterum, sacri-legè suppressos & abolitos. Aliud quippe est auctorita-tem & vim legum scripto detrahere, aliud omnino illud abolere. Et verò eleganter docteq; in Justiniani vita probat Antonius Contius, pleraque illa vetera monumenta Justi-niani ævo jam fuisse abolita, & Tribonianum in publicum produxisse fori usum saltim aliquatenus, quæ tum priva-tis duntaxat paucorum manibus versabantur, post & ipsa perdita

perdita, non Cæsaris sed avi vitio utralia plurima. Verum hæc nihil ad rem nostram, ut ferè cunque habuerint.

Sed & forsallis justo diutius commoramur in adducendis cum testimoniis tum exemplis aliorum, quæ nobis persuadeant corrigere laborantem Legum nostrarum statum: præsertim quum morbi utique omnibus noti sint, ab omnibus etiam bonis remedia desiderentur, neque hæc inventu sint difficilia.

De remediis tamen illis quoniam nondum diximus nunc etiam nonnihil adjiciendum est. Possit autem dubitatio oriri, *primum* quibusnam fas sit Legum illam emendationem instituere: *deinde* qualibus committi debeat tantum negotium ab iis quos penes est emendandi facultas: *Tertio*: Quem in modum emendatio ista hæc instituenda. De singulis ordine agendus: Breviter tamen, pro hujus scilicet nostri instituti modulo.

Cæterum PRIMUM quidem expediri haud poterit nisi quibusdam quasi hypothesibus præmissis. Quarum *princeps* esto: quod hactenus à primo usque Germanici Imperij exordio fuerint quidem jura nonnulla toti reipublicæ communia, major tamen eorum copia & vis singulis sive populis sive locis propria. *Secunda*: hactenus semper singulis Imperij Ordinibus fas fuit suos in usus leges condere, modò ne universi Imperij statui adversarentur, & si Regum vel Cæsarum accederet consensio. *Tertia*: Id quod ita semper receptum more fuit illud simul etiam usu probatum fuit: quando-quidem illæ demum leges optimæ quæ utilissimæ: utile autem non ubique idem, sed diversis populis locisque aliud atque aliud. Hinc vero jam facile constitutu est, non omnem Legum mutationem aut lationem ab universi

Imperij

Imperij conventu fieri commodè posse, aut illi Concilio unice negotium hoc omne deferri non posse. Secus quàm viris quibusdam præclaris est visum. Fuerit nimirum hoc & nimis alienum à priscis moribus: & cum Populorum omnium locorumque injuria conjunctum: & denique noxium, quia singulorum commoda & incommoda ab universo conventu aut uno Cæsare minus recte intelligi & definiri possunt. Quædam igitur magis communia toti reipublicæ Cæsarique constituenda maneant; reliquorum autem singuli penes quos est statutorum ferendorum potestas curam ita habeant velut expedierit cum sibi privatim tum toti corpori. Hoc enim & moribus maxime conveniens & publicè privatimque quam utilissimum est.

ALTERUM definire in facili est, modo teneamus solos Legislatoriæ prudentiæ peritos emendandis quoque Legibus esse idoneos: his autem præterea cujuslibet populi locique commoda & incommoda perspecta esse oportere, siquidem velint reipublicæ rectè consulere. Id quod alibi latius docemus. Fallun tur igitur qui sufficere existimant, si hoc emendationis negocium ijs qui norunt quid Lege alibi sit atque alibi constitutum, nec tamen vel artem condendarum Legum, vel peritia cujuslibet populi locique satis instructi sunt, committatur. Si nihilominus illi qui leges plurimas in promptu habent, simul valeant & arte & peritia isthac, longe felicius alijs rem tantam præstiterint. Imo hos, modò dexteritate quadam polleant agendarum rerum & judicij acrimonia, alijs latarum Legum imperitioribus quam multis equidem anteferre haud dubitaverim: haud ignarus quanta sæpè sit ingenij vis in ijs qui usu tantum aliquo rerum instructi sunt rudes arte.

TER-

TERTIUM explicatu haud perinde fortaſſis facile eſt. Repetendum verò ex ijs quæ alibi docemus, Leges quaſque & perſpicuas omnibus quos obligant, & numero pro negotiorum multitudine nunc magno nunc parvo, nunquam autem valde magno eſſe oportere: adhoc ſi quæ facienda mutatio fuerit, dandam operam, ut quoad fieri licet haud multum à priſco abeatur.

Igitur *primum* ſermone utique ſcribendæ Leges fuerint brevi, plano, & patrio. Hic enim demum perſpicuus eſt illis qui Legibus vivere obſtricti ſunt. Si lingua utaris aliena aut ſolis doctis nota injurius es in populum: multo magis ſi lingua iſthæc etiam à paucis duntaxat doctorum ordinis intelligatur.

Haud nimium *deinde* ſint numeroſæ Leges, nec tamen infra juſtam copiam. Id quod obtineri poteſt, ſi regulas condideris ita cõmunes ut exceptionibus earum vis infringi temere nequeat, & ſimul attendas ad omnis generis negotia loco quovis agitari ſolita. Hinc ſane fiet, ut alibi paucioribus alibi plurib⁹ legibus veniant omnia definienda: quandoquidem non eadem ubivis negotiorum eſt ratio.

Conſultum *poſtremo* fuerit, quæ utilia ſunt ex conſuetudine aut jure ſcripto ſed uſu recepta, ſeligere in exiguum libellum. Ita enim quàm minima turbatio orietur ex correctione. Quoniam vero jus illud ſcriptum paſſim continetur Legibus etiam civilibus Romanis, & Pontificiis decretis, & Doctorum ſententijs, hinc adeo ex omnibus etiam hiſce fontibus hauriendum fuerit id quod ex uſu eſt, reliquis ſepoſitis.

Hiſce omnibus probe obſervatis non impedita ampliusfuerit Juris noſtri emendatio, in reipublicæ quidem

per omnem Germaniam commodum. Reipublicæ inquam. Nec enim hoc ipso prohibentur Academicæ Scholæ in Juris philosophiam altius penetrare, sive inter Moralium limites te velis continere, sive Platonis Tullii aliorumque veterum sapientum exemplo diffundere industrinam placuerit per ampliſſimos Politicorum campos. Occupari quoque Scholæ poterunt in nostrarum illarum legum usu & æquitate explicanda: quoniam legislator non solet illa tradere, sed plerumque ἀνευ προοιμίου jubere vel vitare vel permittere. Scholasticus porro labor fuerit nostras etiam leges quasi in artem aliquam redigere, quod Gajo & post Justiniano fuit propositum Institutionum Romani Juris libris conscriptis. Quorum exemplo adductus summus vir Hugo Grotius Introductionem in Hollandicam Jurisprudentiam Batavice edidit, ipso Justiniano multum superato. Adhoc licebit utique Scholis in vetera illa Romana pariter & Pontificia curiositatem suam exercere, quamvis eorum in foro auctoritas fuerit sublata. Fit enim illud & hodie in quàm multis quæ itidem vim suam dudum amiserunt. Nec desinunt Angli alijque cum Romana tum Pontificia illustrare, etsi nullo horum teneantur. Quid? quod redactis in compendium legibus hæc omnia poterunt felicius solito in Scholis Academicis pertractari? Nunc sane utiliſſima hæc studia negligi vulgo solent, idque quod omne tempus omnisque industria impendenda veniat tantum ut discas quid lata lege sit constitutum. Sed & licet Scholæ velint imposterum fastidire illa Romana & Pontificia jura, quoniam pauci amant discere quod in usum non est; reipublicæ tamen commodiſſima esse hæc quæ nos in medium

dium consuluimus, manifestum est. Et vero non ex scholarum improbo more componenda respublica; sed hanc illarum normam oportet esse. Quinimo ad architectonicum Politices officium pertinet imperare scholis, quæ ibi doceri quæ disci debeant. Quoniam autem quæ modo recensuimus varia juris studia longe sunt utilissima, prudentis reipublicæ curatoris fuerit, nihil non horum Academicis scholis injungere.

Tali habitu, quacunq; patet Germanica tellus,
Præluxit nobis hactenus alma Themis.
Nuda fuit quondam aut pingui male tecta lacernâ,
Non multum averso pectore amica tamen.
Nunc eadem gemmis auroq; & murice culta est,
Tristis at in cœlos (heu!) meditatur iter.
Quin casto Divam, Cives, placemus amictu,
Et sint hinc aurum purpura gemma procul.
Matronæ ornatus gravis est: pulcerrima palla,
Quæ nec curta nimis nec nimis ampla fluit.

FINIS.

ADDENDA.

Pag. 17. l. 22. *conditione vivente.* Quantumvis autem Gundebada lex Lugdunensi Galliæ florentibus Burgundionum rebus fuerit recepta, videtur tamen sensim extincto gentis imperio usus illius sub Francis evanuisse. Agobardus sane Lugdunensis Episcopus *Epistola ad Ludovicum Pium de Duello* inquit: *Hujus Legis homines sunt perpauci.* Præmiserat autem hæc verba: *Legis quam dicunt Gundebada auctor exstitit homo hæreticus, & fidei Catholicæ vehementer inimicus.* Quibus verbis Arianismus notatur, cui Gundebaldus Rex, more tum recepto Vandalorum, Ostrogothorum, Westrogothorum, Francorum, qui omnes Germanicæ fuere originis populi, impense addictus fuit.

Pag. 29. l. 21. *origine.* Salegastorum quoque nobilis inter Francos Germanicos familia necdum desiit.

Pag. 70. l. 29. *discere est.* Hi porrò Ansegisi libri videntur, si non tum statim, saltim non multo post Germanicè versi. Prout liquet ex illa libri quarti nonidecimi capitis versione veteri, quam in specimen priscæ Francorum linguæ ex Dominica Trevirensium æde depromptam Annalibus suis Trevirensibus inseruit Christophorus Brovverus, & nuperrime cum alijs Antiquæ lectionis monumentis Argentoratenses edidere.

Pag. 82. l. 10. *obtinuerunt.* Antiquam præterea sacerdotes lapsos corrigendi disciplinam, per fictas hasce literas corruisse, recte monuit quisquis est Wendrockius ad sextam Montaltij Epistolam.

Pag. 84. l. 6. *convenirent.* Sed & jam ante Hincmarum Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis opposuit

sese

sese ijs, qui Gallicanæ Ecclesiæ antiquis canonibus auctoritatem detrahebant, prætextu illo, quod à Romanis Papis non essent confirmati. Verba ejus hæc sunt in Epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem de Duello pag. 114. editionis Massonianæ. *Huc accedit aliud, quod pia consideratione dignum videtur, de Canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui aut inutiles à quibusdam reputantur, eo quod neoterici eos non commendaverint. Cum antiqui religiosè eos venerati sint, quoniam venerandi & sancti viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt.* Spectant eodem quæ ab Agobardo disseruntur *pag. 275.* opusculi quod de Ordine Ecclesiastico inscribitur. *Quia sunt*, inquit, *qui Gallicanos canones aut aliarum regionum putent non recipiendos, eo quod Legati Romani seu Imperatoris in earum constitutione non interfuerint: Restat, ut etiam sanctorum clarissimorum Patrum doctrinas & expositiones, diversosq; tractatus ut sunt Cypriani, Athanasii, Hilarÿ, Hieronymi, Augustini, doceant non esse recipiendos, quia cum hæc tractarent vel exponerent, Legati Romani sive Imperatoris non aderant.* Hæc ita jam ante Hincmarum magnæ dignitatis Archiepiscopus Agobardus, ipso Ludovico Pio imperante.

Pag. 94. l. 19. *num.* Illud obiter indicasse sufficerit: Magdeburgi initia Ottonis Magni ævo longè esse antiquiora, ut cujus jam fiat mentio in Capitularibus Carolinis l. 3. cap. 6. eoque ineptum esse glossema illud: latam ab Ottone legem *eo loci ubi nunc est Magdeburgum*, quasi tempore legis illius latæ Magdeburgum nullum extitisset.

Pag. 109. l. 10 *lectus.* Expensione dignissima de libro isthoc notavit in elegantissima Juris Romani veteris Bibliotheca *cap. 2. n. 9.* Jacobus Gothofredus.

INDEX CAPITVM.

I. Gentes Germanicas olim nullas leges scriptas observasse. Pag. 1
II. Nonnullas gentes Germanicas legibus scriptis cœpisse uti, post annum Christi quadringentesimum. 3
III. De Legibus VVisigothorum. 4
IV. De Legibus Ostrogothorum. 11
V. De Legibus Gothorum, Scandinaviæ incolarum. 13
VI. De Legibus Burgundionum. 16
VII. De Lege Salica Francorum. 17
IIX. De Francorum Regno Austrasico, & Orientali. 36
IX. De Legibus Alemannicis & Baioaricis Francorum. 39
X. De Francorum Legibus Ripuariis. 42
XI. De Legibus Regum Langobardorum. 43
XII. De Caroli Magni additamentis ad Leges Salicas, Baioaricas, & Langobardicas. 48
XIII. De Saxonum Frisiorum & Thuringorum legibus, jussu Caroli Magni conscriptis. 50
XIV. De Legibus Capitularibus civilibus & Ecclesiasticis Caroli Magni. 57
XV. De Ludovici Pii Legibus, earumq; collectione per Ansegisum & Benedictum Levitam. 64
XVI. De Supposititiis priorum Pontificum Epistolis Decretalibus & Canonibus Conciliorum quorundam, Germaniæ & toti Occidentali Ecclesiæ pro Legibus Ecclesiasticis ætate Ludovici Pii obtrusis: item de Rabani Mauri libro Pœnitentiali. 75
XVII. Qua legum per Germaniam fuerit ratio à Ludovico Pio usq; ad Ottonem Magnum. Ex occasione narratur, in Gallia

Gallia & Italia Capitularia Caroli & Ludovici per eadem tempora fuisse observata, simulq; de Conciliorum quorundam Germaniæ canonibus, & Reginonis opere de Disciplina ecclesiastica, disseritur. 85

XIIX. De legibus Ottonum. Ab iis Ius VVeichbildicum Magdeburgense non esse conscriptum, aut latum. 94

XIX. De ratione legum usq; ad Lotharium II Saxonem: de Burchardi VVormatiensis Decretorum libris, & Legibus Familiæ: item de Carolinarum Saxonicarum legum additionibus, nec non Haraldinis legibus Transalbinorum, ut & nauticis VVisbyensibus. 98

XX. Ante Lotharium II usum aliquem Iuris Iustinianei in Italia superfuisse. 105

XXI. Quod vulgò asseritur, Iustinianeas leges, in scholas Lotharii jussu & autoritate esse reductas, id non tantum incertum sed & falsum esse. 114

XXII. Quod vulgò asseritur, Lotharii Cæsaris jussu abrogatis receptis omnibus legibus solas Romanas in fora Italiæ reductas, id falsum esse demonstratur. 130

XXIII. Vera historia reducti Iuris Romani in scholas & fora Italiæ. 136

XXIV. Romanas leges non esse à Lothario Cæsare in Germaniam introductas: easdem demum seculo decimo tertio in Galliam & Hispaniam penetrasse. 144

XXV. A Friderico I legum nonnihil scriptum esse. Cæteroquin Germaniam à Carolinis temporibus usq; ad seculum XIII. nullis penè scriptis legibus usam. 149

XXVI. Seculo decimo tertio Ius Pontificium in Germania cœpisse. 153

XXVII. Cur à seculo decimo tertio frequentius leges Germanicæ scribi cœperint. De constitutionibus Cæsareis ad ævum Maxi-

Maximiliani primi. 158
XXIIX. De statutis Principum liberarumq; gentium & Vrbium scriptis: imprimis jure Lybecensi, & processu Vrbium forensi usq; ad seculum decimum quintum usitato. 167
XXIX. De Iure VVeichbildico Magdeburgensi. 174
XXX. De Speculo Iuris Saxonici & Suevici, nec non Codice Iuris feudalis Saxonici & Suevici. 181
XXXI. De usu scriptarum legum per seculum decimum tertium & quartum. 189
XXXII. Ius Romanum ut & Feudale Langobardicum, in scholas & fora Germaniæ seculo decimo quinto introducta esse. 197
XXXIII. Quomodo & inquantum Leges Romanæ ac Feudales Langobardicæ in Germaniæ scholas & fora sint receptæ. 209
XXXIV. Quæ hodie sit per Germaniam ratio forensis Juris: & Legum omnium Germanicarum brevis epicrisis. 223
XXXV. De ratione Leges in usum publicum corrigendi. 231

EXCER-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [270] - 250
PUBLIC DOMAIN

EXCERPTA EX

HERMANNI CONRINGII

IN LIBRI

DE ORIGINE JVRIS GERMANICI

editionem primam

PRÆFATIONE.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [271] - -

PUBLIC DOMAIN

ANni quasi novem sunt, quum in usum adolescentum quorundam, nullâ adjutus præviâ scriptione, tantum productâ ex adversarijs meis variorum, quæ hinc inde collegeram, testimoniorum congerie, Germanici juris historiam, ut illam extemporaneâ operâ mente concipiebam, ad calamum dictarem. Is libellus, me inscio, in multa mox exemplaria, sed admodum mendose est diffusus: sive novitas argumenti scriptores pellexerit, sive quod nonnihil contineret opusculum non perinde in vulgus cognitum. Describi enim illud curaverunt, ut deprehendo, viri etiam præclarè docti nec infimæ dignitatis. Quanquam vero haud leviter timuerim, ne desultoria, & ut ita dicam, temeraria ac cruda opella, accedentibus, exscriptorum vitio, plurimis mendis, tandem maculam aliquam nomini inureret, subinde editionem multi flagitaverint; hactenus tamen adduci non potui, saltem ut receaserem. Illo enim reipublicæ nostræ collapsæ tædio afficior, ut patriæ antiquitatibus eruendis, quod studium juvenem me sæpe detinuit, vel subcisivam aliquam horam pigeat amplius impendere. Neque vero vel nunc mutassem sententiam, nisi atrociſſimæ injuriæ quibus, more suo, incomparabilem virum & maximum Theologum Georg. Calixtum, quem magistrum à multis annis sum veneratus, collegam nunc atque amicum summum habeo, Bartoldus Nihusius, edito nuper *Irnerio* suo affecit, graviter me commovissent, illasque injurias cùm magistri & amici optimi causa, tum communis sententiæ ergo, ad me quoque pertinere existimarem. Scilicet, quod Calixtus noster aureo libello *de Morali Theologia* adstruxit, Justinianeas leges non esse, abrogatis aliis, Lotharij Cæsaris jussu in forum reductas; idem jamdu-

jamdudum etiam ego fortissimis viri rationibus persuasus & in Commentarium de jure Germanico transtuli, & publicis scriptis asserere hactenus non dubitavi. Hoc vero dum refellere Nihusius, & suopte Marte & per alios conatur, integros convitiorum montes in Calixtum congerit; de sententiâ nostrâ tanquam victâ jam & prostratâ *glorioſos triumphos* chartis divulgatis jactat; quasi nihil supersit, quàm ut, qui cum Calixto facimus, vinctis manibus superbi victoris clementiam supplices adoremus. Quæ insolentia ut sine exemplo, ita sanè intolerabilis est. Vtque vanum hominem contemnas, quod tamen multos complices, & applausores non infimi gregis laudet, & quidem non falsò forte laudet, id verò ferendum non est. Enim vero nihil ille non egit hactenus, ut quam fortè ex sacris controversiis relaturum se desperat victoriam, illam Calixto, cujus sese inimicissimum hostem profitetur, saltim hâc in re exprimeret; quo tandem apud stolidam plebeculam, si illa sileat, ipsemet accinere sibi possit suave illud, *IO triumphe*! Nec ille unus tamen summo nisu prosternere Calixtum nostrum hac parte laboravit, sed tanta conantem haud pauci ejusdem sodalitij & incitarunt, quemadmodum videtur, & quo potuere subsidio, instruxerunt. Vnde hominis confidentia mirum, quantum per gradus intumuerit. Prima pugna *in Corollario ad Apologeticum*, adductis in medium paucis rem nihil juvantibus Sigonij, Balduini, Forsteri, aliorum testimonijs, intra superba convitia stetit & scurrilia maledicta. Itum inde *ad Iuriſconſultos & hiſtoricos eruditiſſimos* (ita gloriatur Nihusius) *non catholicos tantum ſed alios quoque*; cumprimis ad Collegium Juridicum Lovaniense; quod nemo fortè hactenus de quæstione aliqua facti, & ad priscam historiam pertinente, consuluerat. Responderunt illi quidem pro Nihusio: at fassi sunt: niti sese

cipuè Forsteri fide. Hanc confessionem invitis, puto, auribus accepit sacerdos Bartoldus: divulgavit tamen Responsum. Dixisses cum aliorum chartas non judicaverit dignas quæ ederentur, datum id honori Lovanienſium. Quid enim ab ejuſmodi ſchedula magni exſpectes? Nihuſius verò nondum quidem triumphos ſibi tum decrevit, ingentes tamen hinc animos ſumens, monere edito libello (*Faculam* appellavit) non dubitavit Calixtum: uti ille, cognito Lovanienſium hoc judicio, *errorem ſuum nimis indignum eo qui Profeſſor Academiæ Helmſtadenſis primarius conſalutari amat* (quo nihil eſt falſius) *quantocius fateatur ingenuè, depreceturque ſcripto publico anteaquam confundatur ab aliis adhuc amplius.* Riſimus nos hominis ineptias: quod exiſtimaret, nudis, & pridie natis aſſertionibus ſententiam antiquis monumentis & tacito ſeculorum conſenſu innitentem convulſam eſſe. Nihuſius verò, ut ex hâc arena plenam victoriam reportaret, perrexit ad Bononienſes, & quidem ad ipſos *Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos dominos Priores & Doctores Collegiorum Juris Pontificij & Cæſarei.* Quo felicius procederet negotium acceſſit interceſſio, & commendatio *Illuſtriſſimi D. Fabij Chiſii* (quanti viri!) *Epiſcopi Neritonenſis pro S. ſede Apoſtolica ac ſanctiſſ. D. N. Coloniæ Nuncij.* Impetravit quod petierat Nihuſius tanto interceſſore ſuffultus: ac Collegia illa quatuor ex ordine ſuo delectis Doctoribus *injungunt onus diligenter conquirendi ex ſuperextantibus* (ita Latiniſſant Bononienſes illi) *antiquitatum iſtius patriæ monumentis, quæ de Irnerio erant poſita. Illi omnibus patriæ monumentis curiosè perluſtratis, omnibus veterum Juris interpretum ſcriptis atq; editis aſſidue evolutis, ipſo tandem ſolo Italicorum annalium ac ſerie* (verba illorum retineo) *vomere laboris inverſo,* antiquum quidem nihil, nihil elegans prompſere; tantùm Caroli Sigonij, Nicolai Alidoſii, & Ioannis Bonifacij, nu-

cij nupera teſtimonia barbaro ſermone oſtentantes; quod tamen pronunciaverint pro Nihuſio, id vero ſatis cauſæ creditum, cur de Calixto *totus ille triumpharet*. Editum mox in publicum Reſponſum illud; ipſo frontiſpicio loquente *Nihuſium hic de Calixto totum triumphare*. Reſponſum ipſum quantis (hem!) laudibus evectum? *Exquiſitè nobile, ſolidiſſimum, cedro digniſſimum, abſolutiſſimum, theſaurus pretioſus*. Quid verò Calixtus? *Andabata, vertumnus, homo ſummæ levitatis, cujus promiſſis nihil vanius, puerilis, fatuus, ſycophanta, putidiſſimus Andabata, qui ne quidem Germanicam linguam callet*, ut taceam plurima convitia alia. Ipſe Nihuſius *Bononienſibus quidem illis, quod uſque adeo cumulatè ſatisfecerint ſibi, ut verbis exprimere nequeat, nedum extollere dignis præconiis, ſummas gratias agit venerabundus*: de cœtero *totus triumphat, canit triumphum quàm ſolenniſſimè coram toto mundo, & quidem glorioſiſſimum*. Hæc profecto exemplo carent. Eſto enim (quo tamen nihil falſius) Calixtus erraverit. An *pueriliter*, an *impudenter* errat, an *errorem profeſſore* & viro docto *indignum* errat, qui id negat factum quod antiquorum fide monumentorum deſtituitur? An qui ita forte erravit, *ſcripto publico culpam deprecari* debet? An error neque fidei, neque bonis moribus neque humanæ vitæ noxius, meretur putidis adeò convitijs proſcindi? Quis vidit, quis audivit errorem, & quidem hiſtoricum, publicè in triumphum duci? Quis alius chartas ejuſmodi triumphales huc illuc paſſim locorum per aulas & Academias ſparſit? Ipſe Nihuſius quantò ſanius & rectius alibi in ſuo *Corollario ad Apologeticum* loquitur! *In diſputatione legitima & honeſta non quæritur victoria, ſed ſolum in contentioſa, ubi conſcientiæ crebro non magna ratio habetur. An enim, quum unus docere, & alius diſcere quærit, ibi iſti duo vincere ſe invicem, propriè loquendo, intendunt?* Benè, me Deus.

Deus. Qualis verò est triumphus Nihusii, si in disputatione honesta ne victoria quidem obtinetur? Si disputavit honestè, ne vicit quidem, adeoque sine victoria triumphat; quo nihil insanius: si contentiosè, improbus est & decoxit conscientiam. Vtrum verius, haud facilè dixeris. Prius ut malim credere, facit Christiana caritas, & confirmant tot alia Nihusii dogmata & facta, qualia ab homine sani capitis temerè profecta non sunt. Id certum, hanc controversiam ad Nihusium nihil pertinere: ne quis existimet litem hanc homini illi à Calixto nostro motam. Etiam id quod scribere Nihusius non erubuit, *sui occasione* hæc cæpta, tam procul à vero est quàm ille à sano cerebro. In medio est Calixti de *Theologia morali* labor, quem ille ineptis suis novis Artibus interrupit, auctore, quum nihil minus quàm de Bartoldi Artibus cogitaret, per vim à doctrina de Legibus ad alia protracto. Quid ergo hominem adegit triumphos ex hac potius historicâ, quàm aliâ arenâ, in quam ipse nec descenderat ante, nec à Calixto provocatus est, petere, nisi improbum odium aut vesana jactandi sese libido? Conatur, scio, Nihusius *epilogo ad Irnerium* haud paulò alias causas adducere. *Dicat amplius quid*, inquit in Irnerij illo epilogo) *unde pateſcat quorsum de Irnerio illud urgeam ego tantopere, quod alioqui minùs ad me pertinere videri queat?* Quid verò illud? *Probationes, quibus Calixtus in Fidei ac religionis negotio aut impugnat solùm nostra, aut stabilitum simul it sua, eadem planè sive principiis iisdem nixæ sunt cum illis, quibus à parte unâ rejicere conatus fuit vulgatam de Irnerio sententiam, & alterâ confirmare pariter novellam suam. At verò de his triumphamus: ergo nec minùs triumphabimus de illis.* Hæc ille. Si rectè asſequor hominem, vult videri gloriosè adeò nunc triumphare, ut hoc præjudicio captus quisque judicet, Calixti contra Pontificios conatum non minùs

nûs fore irritum atque est ille de Lothario. At, si de futuro ex eo quod antecessit certam liceat spem concipere, est profecto cur benè ominemur nostris partibus earumque patrono. Non intelligo autem, cur adeò certos triumphos polliceri Nihusius audeat Pontificijs suis, eo nomine quòd Calixtus (largiamur enim hoc nunc triumphatori, quo aliquantulum se titillet) victus sit in causâ Lotharij. An qui semel cadit succumbit perpetuò? Scimus verò, jamque in proverbium abiit, victis etiam interdum redire in præcordia virtutem, & captum esse captorem. *At iisdem principiis nituntur Calixti probationes in Religionis illis & his Lotharij negotijs.* Haud multum negamus, si de principijs remotioribus sermo sit. Ergo, *ut in his est victus ita & in illis superabitur.* Hujus ego consequentiæ vim non satis percipio, nisi dixeris, principia ipsa Calixti falsa & veritati eruendæ inidonea esse. Certe si tantùm ipsa ex principiis deductio in vitio est, vana est illa novi triumphi promissio: neque enim eo quòd semel rem quis gesserit malè, perpetuam licet hosti victoriam sperare. Sane blandioribus fortunæ initijs inescati multi funestum postremò ludibrium victori debuerunt. Sed ipsa fortè principia laborant. Quin producamus ergo illa in medium. Sunt illa potissimum hæc tria. Primum. *Quicquid de rebus humanis antiquis, neque illius ætatis quâ sunt gestæ, neque proximorum aliquot seculorum fide dignis monumentis traditum est, illud fidem non meretur, utut heri & nudius tertius vulgò credi cæperit.* Alterum: *Quicquid auctores fide digni reique gestæ proximi memorant, id potius credendum quàm quòd nuperi quidam nullis antiquis monumentis subnixi asserunt.* Tertium: *Res vetus humana, cujus in nullis antiquis hactenus vulgatis monumentis ulla memoria exstat, quamque nec in manuscriptis invenere illi qui summâ industriâ omnia scrinia, omnes pluteos*

pluteos excusserunt, illa ad nostram notitiam nullo fide digno testimonio pervenit. His sanè principiis communioribus, & in hac Lotharij caussa & quadamtenus in Fidei negotiis utitur Calixtus noster. An de ipsis his principiis prostratis triumphat Nihusius? certè alia nova adfert, ipse alijs utitur. Si facit, quid nisi dementiam prodit? triumphans scil. non tantùm ante victoriam sed etiam ante pugnam: neque enim horum certitudinem directè oppugnavit. Quin nec possunt illa impugnari ab homine cui mens constat: pro fundamento quippe habent ipsam humanæ intellectionis naturam; quod utique immobile est, nisi divinitus quid contingat supra aut præter naturæ illum ordinem. Quur verò non utamur hisce principiis, etiam in Fidei nostræ controversiis? &c. *Helmestadii ex Academia Julia, Kalendis Martiis, Anno cIↃ Ↄc XLIII.*

EXCER-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [278] - 258
PUBLIC DOMAIN

EXCERPTA EX

HERM. CONRINGII

RESPONSIONE

AD BARTOLDI NIHVSII

NOVAS OBIECTIONES.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [279] - -

PUBLIC DOMAIN

CAPVT III.

Ad Parergon Anticritici Nihusiani responsio.

SUpereſt, Parergon Nihuſianum Anticritico additum inſpiciamus. Siſtunt autem ſeſe in eo ante omnia, duæ artes novæ, veritati clariſſimæ obſcurandæ inventæ ab artifice noſtro. Primam ſtatim initio proponit hiſce verbis: *Apud prudentes hiſtoricorum narrationes eandem ferè vim habent quam in ſuo genere leges humanæ poſitivæ, non obligantes niſi cum acceſſerit conſenſus populi.* Senſus eſt: veritatem hiſtoriæ ſtare conſenſu populi. Hinc verò ſequitur, nullam hiſtoriam veram eſſe ſi populus refragetur, nullam falſam quam populus probet. Quæ an cui alij ſanæ mentis exciderint, multum dubito. Adegit tamen huc hominem ſtudium partium, ut nimirum poſſit evincere contra Cl. Calixtum noſtrum, & crucem olim caruiſſe ſedili, & Lotharium ſcholis & foris Imperij Romani jura Juſtinianea reddidiſſe: utrumque videlicet approbante vulgo. Et ſanè illis poſitis, actum eſt de omnium Proteſtantium cauſſa, præſertim ſi eam revocaveris ad prima reformationis tempora: quod quæſtiones controverſæ omnes in eam hiſtoricam reſolvantur, num Chriſtus & Apoſtoli docuerint ea quæ Proteſtantes tuentur, an vero ea quæ Romanenſibus allubeſcunt; & ſaltim tum prævaluerit Romanenſium numerus. Cæterùm, ut ante dixi, haud temerè quem invenias qui populi vocibus h. e. famæ tantum tribuat. Ex adverſo Seneca *in Hippol. Fama vix vero favet.* S. Hieron. ep. 131: *Multum in utramq; partem crebro mentitur fama; tam de bonis mala, quàm de malis bona falſo rumore concelebrat.* Ovidius 1 *Metamorph.* de famâ:

Tam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [280] - 260
PUBLIC DOMAIN

Tam falsi pravig tenax quàm nuncia veri.

Virgilius: *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.* *Cur verò malum?* (addit Tertullianus *l. 1. ad Nat cap. 7.*) *si vera semper sit & non mendax plurimum, quæ ne tum quidem cum vera defert à libidine mendacii cessat: Si nemo famam nominat nisi incertus, quia nemo sit fama sed conscientia certus? nemo verò famæ credit nisi stultus, quia sapiens non credit incerto?* Quid? Ipsemet Nihusius non potuisset tueri ante hos centum annos, Joannem Papissam fabulosam esse, in contrarium scilicet eunte populi omnis Latinæ Ecclesiæ consensu. Absurdissimum verò dictu est, consensum populi idem prope hic valere atque circa leges positivas: quum harum auctoritas tota quanta quanta est arbitrio debeatur legislatorum, historiæ autem veritas neutiquam sit suspensa ab arbitrio credentium, sed ab ipso rei pondere. Sanè miror, Nihusium jam tum à nobis hujus erroris commonitum *Præfat. libri de Origine Iuris*, in clarissima hac luce perrexisse cæcutire.

II. Alterius Artis summa est: populum qui vivit hodie idoneum esse testem eorum quæ aliquot ante seculis acciderunt illic loci ubi populus nunc degit, propterea quod ad illa usque tempora & amplius populi ætas retrò pertingat. Hac motus ratione, Conradi Vrspergensis de Iure Romano per Irnerium in lucem revocato narrationi, ante quadringentos annos adeoque non multo post Irnerium conscriptæ, præfert eam quæ vulgo nunc Bononiæ fortassis obtinet sententiam. *Maximi momenti præjudicium* (inquit p. 31.) *pro me contra vos est quod respublica Bononiensis ipsomet Conrado Abbate antiquior sit, longeq; verius eidem Irnerio contemporanea fuerit, imò jam inde ab ejus ætate & quidem unà cum sua Academia in vivis adhuc sit.*

Cum

Cum scripsissem Bononienses doctores in Responso suo de Irnerio non nisi nupera testimonia ostentasse (quod verissimum esse ipsa utique charta loquitur) Nihusius mox in hæc verba prorumpit p. 37. *quasi Bononia quæ testatur hodie ætatem non habeat plusquam quinq; seculorum.* Ex eodem principio alibi nuperam (neque enim tale fulmen usquam antehac auditum) Tridentinorum doctrinam: *Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi anathema sit:* à novitate absolvit vetustate Ecclesiæ, cujus illa vox primum quidem Tridenti sit pronunciata, sententia tamen semper memoriæ manserit infixa aliquam multis seculis, utpote à Christo usque ipso originem suam trahente Ecclesia. Et sanè admisso illo principio, nullo negotio Papismus novitatis, cujus à Protestantibus arguitur, infamia sese liberaverit, & Forerus forulis excutiendis potuisset abstinere. Imo nullo argumento contra Protestantes fuerit Romanæ Ecclesiæ opus, si vulgi Romulidum quæ hodie obtinet consensio pro Petri & Pauli doctrina habenda est, eo quod hi sanctissimi Apostoli Romanos quondam docuerint. Cæterùm etiam hæc Nihusiana ars usque est adeo ab omni recta ratione aliena, ut à nemine sanæ mentis unquam hactenus sit prodita. In confesso sane est omnibus, frequentissimè contingere, ut in populo vel memoria plane pereat retroactorum, vel sensim fabulosa plurima irrepant in vulgi opiniones. Nec vero sequitur: populus est antiquus, aut respublica est antiqua, aut Ecclesia est antiqua, ergo etiam omnes sententiæ populi vel reipublicæ vel Ecclesiæ paris sunt vetustatis. Etenim populi antiquitas sola generis vetustate, reipublicæ ætas solius regiminis civilis, ut Ecclesiæ vetustas cætus Christum colentium tempore diuturno censetur

tur & constat: à quibus cum reliqua multa plurimùm diversa sunt, fit adeo ut antiquitate illa salva sæpe omnia alia sint nova. Iam cum memoria rerum in singulis hominibus frequentissime vitium capiat, quanto facilius est illam vel interire penitus, vel erroribus infici per longum temporis intervallum, in populo qui non nisi αὐτοψίᾳ potest à majoribus olim gestorum notitiam sibi comparare. Ridiculè profecto Nihusius in opusculo *de Baptismo Johannis*, majorem vim memoriæ rerum à Christo & Apostolis actarum tribuit Ecclesiæ nostri temporis, quàm uni alicui homini hac animi facultate præstanti, qui Christum ipsum Apostolosque docentes viderit audieritque. Perinde atque absurdè profitetur, doctrinam illam Tridentinam de Joannis baptismo semper hæsisse in Ecclesiæ memoria: cum tamen anathematismi isthac super re concepti nullum vestigium in omnibus monumentis; ex adverso autem sententias multum inter se tanquam de quæstione problematica dissidentes per omnia pene secula reperire liceat, nec de Ecclesiæ mente perpetua aliunde quàm ex scriptis superstitibus possit nobis constare.

III. Hæ duæ artes novæ perstringendæ fuerunt ante omnia, quoniam in ijs unicum causæ suæ malæ præsidium Nihusius collocat. Quod ad controversiam verò ipsam, de Juris Civilis Romani in scholas & fora restitutione, attinet, animadvertenda initio venit Nihusii fraudulentia. Calixtus noster ὁ πάνυ id præcipuè oppugnaverat, quod vulgò creditur, Lotharii Cæsaris auspiciis & jussu Romanum jus postlimnio quasi in scholas & fora Italiæ & Germaniæ, adeoque in provincias ejus quod hodie ita nuncupatur Romani Imperii esse revocatum: idipsum scil. temerè asseri in omnium veterum monumentorum silentio,

tio, imò aliud narrante Conrado Vrſpergenſi Abbate, Irnerij temporibus proximo. Mathildis curæ id deberi non urſerat, etſi viſum fuerit veroſimile ob Conradi idipſum narrantis teſtimonium. Nihuſius contrà in Apologetico & Irnerio ſuo prius illud ſummo ſtudio defendere inſtituit: ne admittere quidem voluit, Germanos nos ſerius quam factum eſt ab Italis leges Iuſtinianeas recepiſſe. Hinc natum lepidum ſcil. illud diſtichon *in Andabatam* (verba ejus ſunt) *ſomniantem non ſtatim cum Italis Germanos animum adjeciſſe ad Leges Juſtinianeas:*

Scindis tu populos? Non ſcindis. Amavit, amatq;
Teutonia Italiam, Teutoniam Italia.

Ego *libro de Origine Juris Germanici* in eodem illo de Lothario Cæſare confutando, tantùm non totus fui occupatus. Num Mathildis ſive juſſa ſive preces acceſſerint, minus, ceu par erat, curavi. Ex his verò utique ſole eſt clarius τὸ πρωτόμυθον verſatum hactenus in eo, num reductio Juris, qualis facta creditur in Germaniam & Italiam, ſit à Lothario. Nihuſius verò, ut ſophiſticè declinaret vim meæ diſputationis, mutat hîc controverſiæ ſtatum & *num. 2. & 3.* ita ſeſe gerit, quaſi potiſſimum ſit in quæſtione: num Mathildis aut juſſu aut rogatu facta fuerit aliqua in lucem Romani juris reſtitutio, atque ita demum *n. 4.* de Lothario ſermonem inſtituit. Quod non eſſe hominis candidi, ſed triumphorum captatoris ſophiſtici, certum eſt.

IV. Itaque num rogatu an juſſu Mathildis facta ſit reſtauratio aliqua Juſtinianei juris, ne nunc quidem contendam, ut nec ante contendi. Me Calixtum juſſa Mathildis agnoſcentem exploſiſſe, mentitur *n. 3.* Nihuſius; perinde ut mentitur itidem, Calixtum in aliquo Mathildis mandato negotij monumentum poſuiſſe. *Irnerium libros*

libros legum ad petitionem Mathildæ renovasse, fateor & Calixto & mihi visum haud improbabile, quoniam ita diserte scripserit Conradus, historicus Irnerij ætati vicinus, & Juris Romani studiosus, nihil autem sit quod hac in re fidem viri possit reddere dubiam. Sane id genus testimonium apud omnes prudentes verisimilitudinis laudem invenit. Nihusius ipse nihil Conrado potuit objicere præter errores in annorum notatione commissos, quodque vulgus hodie narret aliter. At nostri vulgi nuda dissensio quî detrahat aliquid fidei & auctoritati tam vetusti scriptoris? Nec errores illi efficiunt, ut historico nihil credas. Bellarminus longe rectius *l. de scriptorib. Ecclesiast.* censuit Conradum *scriptorem esse satis diligentem & dignum qui legatur.* Non est nobis Conradi testimonium pro demonstratione: ἔνδοξον tamen est aut πιθανὸν. Mentitur quoque Nihusius: Conradi narrationi *neminem* accessisse. Calixtus jam dederat ὁμόψηφον Joannem Aventinum, Onuphrio Panvinio *l. de Comit. c. 6.* judice, *virum accuratissimum & doctissimum*, quemque ille *honoris caussa nominandum* duxit. Dederam ipse Carolum Sigonium, diserte idem narrantem in argumento historiæ suæ Bononiensis, ex arcanis optimis monumentis depromptæ. In ipso historiæ Bononiensis corpore idem à Sigonio traditum fuisse, sed Senatus Bononiensis decreto deletum, collegeram ex hisce Bononiensis de Irnerio Responsi verbis: *cum Sigonius interierit nec dum Historia Bononiensi absolutâ, Illustrissimi Senatus decreto, ne Auctoris fides labasceret, id suppressum fuisse, publica Vrbis testantur tabularia.* Tantum in illud postremum Nihusius dentem ausus est figere: perperam nimirum à me esse accepta Responsi verba, Doctores enim locutos non de historiæ corpore sed de argumento,

& τὸ *suppreſſum* idem eſſe ac *reprobatum auctoritate publica*. Verum cum in argumento diſerte id habeatur quod ſilentio præteritur in Hiſtoriâ ipſa, qualis illa publicata eſt; quum Doctores dixerint, Senatus Bononienſis decreto ſuppreſſam narrationem, captata occaſione quod hiſtoria nondum integrè aſpexiſſet lucem ante Sigonij obitum, ſed hic operis publicationi ſit immortuus; omnium bonorum judicij facio, annon ego recte ſim aſſecutus & probe interpretatus Reſponſi mentem. Quis dixerit *ſuppreſſum* eſſe, quod lucem videns tantum cenſura aliqua eſt notatum per arcanas tabulas? Præter Sigonium verò adjungo nunc Vrſpergenſi ὁμόψηφον, etiam Franciſcum Hotomannum *Antitriboniani ſui cap. 13.* teſtimonio Vrſpergenſis utentem: nec enim ſcio quâ fronte eundem teſtem allegare auſus fuerit Nihuſius in *Apologetici corollario pag. 135.* Alios adducere non attinet: quum omne hoc non ſit illius momenti quod curam exigat.

V. Tandem aliquando aggreditur Nihuſius id quod in quæſtione erat præcipuum, ſi uſquam alibi, nequitiam animi vafrè oſtentans. *Vultiſne inſuper unicum?* inquit, *Accipite. Nihil item conſtat nobis aliud, quàm quod recepta ab initio inter eruditos fuerit ſententia, de Iure Romano deinceps auctoritate Cæſarea docendo ac dicundo in Imperio Occidentali, decretum ſive ſcripto ſive viva voce à Lothario II fuiſſe conditum, & Irnerio inſinuatum, publicatumq; anno 1136. &c.* Non repetam querelam, quod aſtute ſimulet Nihuſius, quaſi hac in re non ſit cardo ſitus controverſiæ: tantùm velim notari quâm impudenter homo ille auſit profiteri ſibi aliquid conſtare, cujus tamen fidei ne leviſſimum quidem poteſt argumentum exhibere, præter vulgi hodierni aliquam conſenſionem. Si pari certitudine novit Nihuſius

sius reliqua omnia, equidem illum nihil scire dixerim. Ast veniam mereatur hominis insciti a. Illud vero succus loliginis est & mera ærugo, quod, cum Calixtus multis argumentis, ego prolixe admodum & plurimis modis receptam de Lothario Cæsare sententiam impugnaverim, ille simulet, tanquam, si non unicè, saltim maximè conati fuerimus nostra probare Vrspergensis testimonio. Vnum enim illud producit, & demum *n. 8.* tantùm hæc addit: *In receptam quidem de Lotharii decreto sententiam arietare vos machinis porrò aliis, novimus. Verùm hæc suo loco ventilabimus.* Quid hoc verò aliud est, quàm vafrè dissimulare & numerum & vim argumentorum, ne proditâ respondendi impotentia perdas triumphum, & inter sociennos opinionem doctrinæ? Quid promittis, inepte, suo loco ventilanda quorum non est alibi campus commodior? Hic Rhodus, hic salta. O ridiculum triumphatorem!

VI. Ad ultimum Therstes sanam mentem conatur mihi eripere, quoniam misere sim argumentatus ex Vrspergensi, & ridiculè me gesserim cum erga Lovanienses & Bononienses Jurisconsultos, tum in eos quos libri mei patronos elegi. Benè an male Vrspergense teste sim usus, jam tum patet. De Lovanienſibus scripseram: itum esse à Nihusio ad Collegium juridicum Lovanienſe, quod nemo forte hactenus de quæstione aliqua facti & ad priscam historiam pertinente, consuluerat: respondisse illos quidem secundum Nihusium, fassos tamen simul niti sese præcipuè Forsteri fide. Insultans vero mihi hîc Nihusius, negat à seconsultum illud Collegium, nec responsum illud à Collegio sed ab H. Bojens, nescio quo causidico, profectum esse. Ego agnosco me falsum, & Amplissimum illud Collegium extra culpam esse. Et vero ab amico etiam pòst

consultus Erycius Puteanus, negavit aliud quidquam Bojensio à sese responsum, quam quid Lipsio olim visum fuerit. Nec tamen propterea mihi æquior quisque non ignoscet, ubi perpenderit & Nihusianis mendacijs & scribæ illius H. Bojens puerili inscitia inductum, non potuisse me errorem vitare. Quid est nimirum Academiam consulere, quàm si non integræ Scholæ, saltim collegij alicujus Academici sententiam quærere? Academiam vero Lovaniensem se consuluisse, Lovanienses respondisse, disertis verbis scripsit Nihusius. In prologo Irnerii: *Itaq; Academias consului Lovaniensem & Bononiensem: quia illam à Lipsio fulgidam, hanc ab Irnerio. Lovanienses viri excellentissimi, brevibus prout petieramus: Infra scriptus &c.* (recitantur autem verba Responsi) *At Bononienses Doctores utiq; incomparabiles sicut compellati de pluribus, ita Responso fusiore bearunt me.* Hisce verbis fateor inductus sum in eam sententiam, & Collegium Juridicum Lovaniense à Nihusio esse consultum, & Doctorum nomine ab H. Bojens responsum illud esse conscriptum. Mendacio itaque suo me decepit Nihusius. Quo si triumphum meruit, par sane est, io triumphe! acclamet homini quicquid est fabulatorum & mendaciloquorum: absit enim ut illi gregi misceat sese honestior aliquis. Obiter hîc notanda est frons Nihusii, quem non puduit Academiæ Lovaniensis nomen tribus doctoribus indere. Scilicet eadem fronte Juridica Schola Bononiensis ipsi audit Bononias semetipsum *Ecclesiæ catholicæ personam agere* profitetur. Quod postremum tamen admiseris fortasse, quando Nihusius histrioniam exercet. Ab inscitia & scribendi imperitia H. Bojens profectum est, quod ridiculam illam confessionem, (quasi illa de Lothario Cæsare vulgaris opinio

nitatur

nitatur *præcipuè Forsteri fide*) ipsis Lovanienſibus doctoribus adſcripſerim, cum fuerit unius illius cauſidici H. Bojens. Nullâ parentheſeos notâ homo indoctus ſua ab iis quæ ex ore Lovanienſium erant accepta ſecluſerat: omnis ſermo erat barbarus & ineptus: ſignata fuit tabula hac tabellionum formula: *in quorum fidem requiſitus præſens ſubſignavi. H. Bojens.* Exiſtimavi igitur in omni illa chartâ non niſi tabellionis officio hominem illum functum: cujus profecto non eſt ſua narrationi admiſcere. Triumphare etiam hic licet Nihuſio, per me quidem; modo tamen Παιάνιον canant ſoli malæ fidei & inepti tabelliones, rixoſi rabulæ, & barbari ſophiſtæ: ego ſerio gaudeo exiſtimationi & auctoritati Erycij Puteani, Cornelij Papij & Valerij Andreæ, Clariſſimorum ſanè virorum, hac Bojenſii infantia prodita, conſultum eſſe. Me virisillis aut toti Collegio Juridico Lovanienſi inſultaſſe, calumniatur Nihuſius. Collegia ejuſmodi juridica de facti quæſtionibus aut hiſtorijs antiquis non ſolere conſuli, veriſſimum eſt. C. Aquilium JCtum dicere ſolitum, jam olim Cicero *in Topicis* teſtatus eſt, *Jureconſultos non de facto ſed de jure conſuli oportere.* De tribus illis modo laudatis ſeorſim conſultis, ne verbulum quidem mihi excidit. Reſponſum illud H. Bojens quo alio quam *ſchedulæ* nomine eſt dignum? Vulgò plæroſque omnes à ſeſe diffidere, non ignorabat Calixtus. Num itaque debuit illico manus dare, tantùm audito aliquo Lovanienſium diſſenſu? An non ridiculum eſt auſum Nihuſium iſtud poſtulare? An non ejus hanc inſaniam jure merito riſimus? Adduxit Calixtus argumenta opinionis ſuæ, partim à tacito conſenſu quinque ſeculorum, partim à teſtimonio Conradi Vrſpergenſis petita. His cum oppoſuiſſet Nihuſius duntaxat Lovanienſium a-

liquot doctorum dissensum, non dubitavit homo suavis jubere, *ut errorem ingenue fateatur & scripto publico* Calixtus *deprecetur, antequam ab aliis confundatur adhuc amplius.* Profitetur Nihusius, sibi ista scheda satis esse factum. Esto. *Me exspectasse à Lovanienſibus magni quid, nempe scriptoris, rei gestæ coævi, testimonium:* mentitur. Ego ab illis exspectavi nihil. A Nihusio tamen non expectaveram (fateor) ausurum illum nudam Lovanienſium aliquot sententiam tanquam caput Gorgonis Calixto objicere. Satisfecerint Nihusianæ expectationi; at quod illi satis est, non tamen est tanti ad cujus conspectum illicò Calixtus obrigescat. Sed de injuria conqueri ipse cum maxime es injurius, forte unum est novarum Nihusii artium. Eo sane pertinet quod de Calixto hîc conqueritur, male accepta sua verba de privilegio Pontificio Scholæ Juliæ. Judicet lector, an non verba Nihusii sensum illum præ se ferant quem Calixtus illis attribuit. Si Nihusius aliter sensit atq; scripsit, vel ineptus vel malus est. Quid audierit ille quando nihil audit, de sapientiæ meæ admiratoribus, nihil mea refert. Furor (sane dubiæ sanitatis) est audire quæ non audiuntur.

VII. Pergimus ad Bononienses. Illos *antiquum nihil, nihil elegans prompsisse, tantumq; nuperà testimonia barbaro sermone ostentasse*, imo prodidisse *illos ἀπαιδευσίαν suam*, quâ fronte negaverit Nihusius? In medio est Responsum illud: eoque esto judicium penes omnes doctos, numquid inclementer in Bononienses vel à Calixto vel à me dictum sit. Illorum barbariem Sanctorum Apostolorum exemplo cum Nihusio excusare, nescio num sine impietate, liceat. Non hi professi sunt inter seculi eruditos nomen suum, quod faciunt Bononienses isti: & tamen sermo Apostolicus

cus multò tolerabilior est illo Bononiense. In hac literarum luce quis ferat in hominem doctum se professo adeò barbaram linguam? Me non vidisse, à typographo Bononiensis responsi verba quædam perperam interpuncta esse, fateor. Ne nunc quidem video; sed omnino arbitror à Nihusiana interpunctione nova sermoni vim fieri. Cui vacat & tanti est, conferat utrumque. Si quod tamen hic est peccatum, non mihi illud sed Nihusio ipsi est adscribendum, utpote qui præsens Responsi illius Bononiensis editionem Amstelodami curaverit; & profecto debuit ille diligenter curare *pretiosissimum, exquisite nobilem cedro dignissimum & absolutissimum, thesaurum*, suæ fidei concreditum.

IIX. Laudaveris fortè acumen Nihusianum, quod injuriam invenerit in verbis quibus ego amicos maximos sum affatus, non à me, non ab ipsis illis, tametsi ingenio & judicio si qui alij præstent, deprehensum. Forte tamen à malitia potius est observatio illa & calumniandi libidine, quæ acutius cernit

quam aut aquila aut serpens Epidaurius.

Ego nihil video causæ quur verbo defendam innocentiam meam. Pudet & tædet ineptiarum. Quas cum imposterum plures se daturum minitetur Nihusius nisi *tempestive parci mihi petiero*, sanè & mihi & bonæ chartæ parci expeto.

Vnum miror, cum extremo libelli accuratè notaverit scriptionis tempus, oblitum hominem annumerare lectori vitæ suæ annos. Quod aliàs in more ipsi positum esse video: quantum arbitror, ut ex annorum numero scripti cujusque sapientiam metiamur. Certè Joannis

Scoti, ſubtiliſſimi magiſtri, de modalibus doctrinæ ſuam *Facula n. 33.* præferre non dubitat, hoc ab annis ſumpto argumento.

Contendant alii, res eſt queis publica curæ,
Non præceps populi plauſus, vanique triumphi:
Queis non bile jecur tumet, atque protervia linguæ
Innatat, aſt pectus multo eſt candore recoctum.
Illi inter ſeſe rationum ſpicula tendant.
Illi de ſacris diſſertent deque profanis;
Servantes veterum meliora ſcita ſophorum,
Objectare pares & reſpondere parati.
Cæruleas Mopſi caligas, & triſtia fuſtis
Verbera fæmineæ, tu cantillare memento
Bartole: tu verſus pergas tornare minutos.
Hæ tibi ſint artes: ſint hæc tibi carmina curæ.
Ne quis, ceu quondam, te ducat in avia mæror
Silvarum, ſed mollis eat tibi quælibet hora,
Ytque diu poſſis numerare nepotibus annos.

HER-

HERMANNI CONRINGII

DE JVRIS PVBLICI IVSTINIANEI IN GERMANIA AVCTORITATE

Dissertatio

Ex Prolegomenis ad Germaniam Taciti excerpta.

Cum PRAEFATIONE APOLOGETICA contra I. O. Taborem ICtum Argentoratensem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [293] - -
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO.

REm neq; à proposito argumento alienam, neq; inutilem facturi fortasse sumus, si libro de Iuris Germanici origine subjunxerimus, quæ ante hos quatuordecim annos de Iustinianei publici Iuris in Germania republica auctoritate disseruimus, in ea præfatione quam Cornelii Taciti de Germanorum moribus libro prolixam tunc præmisimus. Etenim haud difficile quidem fuerit etiam ex hoc libro nostro perdiscere, quantum hactenus falsi fuerint illi, qui reipubl. nostræ instituta ad amussim Iustinianeam exegerunt aut exigendam jactitant: fortè tamen clarius ex alijs illis perspectu est, quid singulatim jus illud publicum hodie valeat, certè valere debeat. In unum enim locum ibi conduximus quæ huc faciunt, & quidem adeò diffusè, adeoq; perspicuè, ut haud pauci in viam sint reducti unde aberraverant cum vulgo, atq; ab ipsis dissidentibus laus excellentioris tractationis sit extorta. Sane Iohan-Otto Tabor clarissimus in Argentoratensi Schola Romani Iuris Professor, oppugnaturus in commentario suo de Metatis & Epidemeticis c. 5. n. 4. quas ego sequor partes, meam præfationem illam tanquam quæ in ijs excellat, præ aliis & notavit & impugnandam suscepit. Et verò jam integris hisce quatuordecim annis nihil mihi in isthac disputatione observatum est hactenus quod mutatum velim: utut cum aliorum voculæ me haud lateant, tum quæ Tabor proulit cum cura expenderim: eoq; nihil profecto impedit, quominus in lucem iterum hoc loco promam juventutis meæ laborem.

Fortassis autem famæ quoq; nostræ interest & veritatis, ut, cum Taboris liber in omnium sit manibus, meus verò dudum & non nisi inter paucos divenditus, reddatur itidem orbi mea disputatio, ne quod præjudicium creet apud imperitos vulgari errori ac-

rori accedens clarissimi ICti auctoritas, veritate interim atq; existimatione mea patrocinio suo destitutâ. Nec verò ille dubitavit in epistola qua librum suum Serenissimo Augusto Brunsuico-Lyneburgensium Duci obtulit, mearum partium omnes publice atroci calamo traducere, quasi in civilium armorum hoc strepitu legum vi & auctoritate non attenta, justitiam & aequi bonique artem invadamus, quasi specie mansuetioris doctrinae artem juris & aequi intestino bello appetamus, imò non satis esse putantes justitiam in foro indignè tractari eam in scholarum peristyliis exagitemus, quasi denique juris publici professionem Themidi planè ademptam & nescio cui Philosophiae parti transcriptam velimus. Haec sane ipsissima pene viri illius verba sunt. Quâ coram toto orbe susceptâ apud Principem justitiae vindicem acerrimum & cujus stipendium meres, nescio an quae temere gravior accusatio censeri possit. Certe si quid habet veri, dignum est tanto in discrimine Themidis nomine opem Principis implorare: quod itidem Tabor ille fecit, fortasse studens in caput meum optimi Domini indignationem provocare.

Caterùm haec quidem non sunt tanti, ut nomini meo quidquam hinc metuam, multò minus ut vel sinistram suspicionem verear apud Principem justum & sapientem. Etenim cum tota illa epistola, quamvis parva, meris constet convitiis, ac doctrinam professo indignis maximorũ nominum obtrectationibus, & tamen ad Principem sit exarata, fortassis & affectet Cancellarij dignitatem, sive (ut Taboris eleganti ῥήσει utamur) supremam cancellorum inspectionem: nemini non manifestum est, scriptam epistolam illam esse ab animo sui usq; adeò impotente, ut nec quid, nec ubi, nec apud quem loqueretur, attendere prae affectu potuerit. Nec enim, quotquot etiam inter iracundia & superbia praepeditos paulò sunt cautiores, non solent saltim in Principum conspectu moderari linguae, praesertim si munus aliquod ambiant

temperatum animum exigens; quale utiq; est quod Cancellariis obeundum venit, Alibi quoq;, cumprimis in libro de Mutuo, ita sese gerit ille scriptor, ut modestiæ & æquitatis opinione tantum non decocta, famæ securum me & si qui alij mearum sunt partium, ab illis quidem suis accusationibus dudum fecerit.

Et verò num quod verbulum sive justitiæ sive juris arti adversum, uspiam mihi excidisse Tabor probaverit? Num qui profitemur, jura Germaniæ publica consuetudine statutis & Imperii nostri decretis comprehendi, eo ipso jnstitiam insectamur, aut juris arti quidquam detrahimus? At qui in legibus statutis & consuetudinibus Imperij versatur potior hodie & sanctior justitiæ Germanicæ pars. Vt proinde omnis, quæ illis insuper habitis ad vetera illa & obsoleta provocatio instituitur, multo rectius violatæ justitiæ debeat postulari. Recentiorum istorum cognitio non quidem eadem est cum notitia juris publici Iustinianei, eòq; non ejusdem quidem est artis; etiam ipsa tamen ad suam aliquam juris & æqui (Germanici videlicet) artem pertinet: si hoc nomen quidē meretur circa unius alicujus reipubl. leges occupata opera.

Nimirum notissimum est, (si accuratè loquendum) artes & scientias universalium esse, h. e. cum ἀφαιρέσει τῶν κατ' ἕκαστα argumentum quod vis suum agitare, eoq; nec juris & æqui artem sive scientiam in Romani aliorumq; singularum gentium juris peritia proprie collocari; etsi ad juris illam veram ac non fucatam philosophiam, plurimorum populorum præcipuè autem cultissimorum, (quos inter tamen potissimi olim Romani) jura ac instituta pernoscere plurimùm conducat. Quod si igitur sive à me sive ab alio quopiam fuerit dictum, Germanici juris peritiam distinctum quid esse à vera juris & æqui arte, non vituperium sed laudem meruisset oratio. Ego tamen scripto aliquo in publicum edito nusquā hactenus id docui; ac proinde hactenus quidē ejusmodi dicto nullo bilem Taboris commovi. Ne quidem docui juris

Germa-

Germanici publici doctrinam Romani juris doctoribus perperam committi, aut aliis committendam, vel Philosophiæ alicui parti transcribendam esse. Etenim nec Philosophiæ ulla pars ad singularia sese demittit, adeoq; nulli Philosophiæ itidem convenit circa jura Germanica occupari. Particularis hæc quædam opera est, & cui optimè hodiè vacaverit Romani juris consultus. Non quod non utriusq; juris ingens sit diversitas, atq; ita & ars (ut ita dicam) diversa. Sed quod affinitas studij utriusq; uni artifici quam commodissimè se commendet: quisi juris illam veram philosophiam simul calleat non minus rectè circa utrumq; hoc jus versabitur, quàm Medicus circa corporum humanorum varios status. Certè ut in universum rerumpublicarum singularum dignotio Civilis est philosophi, ut corporum humanorum Medici; sic variarum legum sive Germanicarum sive Romanarum judicium ab uno legum philosopho, aut juris & æqui artifice, seu vero Themidis sacerdote, dum nobilissimam Politices partem occupat, rectissime omnium expeditur. Verùm hac de re agere non est hujus loci: nec enim hac parte Tabor à me quidem læsum se se jure conqueri hactenus potuit; tum vero clarius omne hoc docetur à nobis libro de Civili prudentia.

Illud solum expendi nunc velim: quod ego disserui, de auctoritate Iuris publici Iustinianei per Germaniam, non probari tantum publico usu omnium Germanici Imperij Ordinum (quippe quorum nemo non aliis legibus rempublicam instituit) sed idem cum alios magni nominis ICtos Germanicos, tum Reinh. Bachovium disciplinæ Iuridicæ æternum decus in commentar. ad §. ult. de I. & I. *ipsomet Tabore* c. 5. n. 3. *observante, docuisse. Non aliam vim auctoritatemq; omni Iustinianeo juri à præclarissimis Galliæ & Hispaniæ ICtis attribui, liquet abunde ex iis quæ* cap. 23. libri de Origine Juris Germanici *à nobis in medium sunt ex optimis scriptoribus adducta. Præclarè seorsim, quam nullius*

hodiè sit usus Ius publicum illud Iustinianeum in Gallia, docuit Franciscus Hotomannus Antitriboniani c. 2. & 3. Contentionem de regno Lusitaniæ inter Philippum regem Catholicum & reliquos competitores, deq; omnium juribus sententiam ICtorum enarrans doctissimus historicus Hieronymus Conestaggius, l. 3. de Portugall. & Castell. conjunctione *inter alia sic loquitur:* Contra Ducissam Brigantiæ dicebant Jurisperiti, quia regna essent antiqui juris gentium, illorum successiones non debere exigi ad amussim Juris civilis, pleni subtilitatibus & fictionibus, quas post tot annos Imperatores invenissent. Et licet Reges absoluti Jus civile in sua regna ad commodiorem justitiæ inter subditos administrationem introduxissent, tamen illos non propterea mutasse simplices regulas naturalis successionis regiæ: quas dicebant in hoc casu sequendas; perinde ac si evenisset antequam nasceretur Justinianus, qui fuit inventor juris repræsentationis: & parum ad rem facere quod nonnulli doctores successiones regnorum civilibus institutis temerè subjicere tentassent. *Addit historicus:* & ii qui hanc opinionem amplectebantur erant homines docti, & peritiores antiquitatis quàm vulgus Jurisconsultorum esse solet. *Huc faciunt quàm maxime etiam illa quæ Ferdinandus Vasquius, summus Hispaniæ ICtus, cum alibi passim tum* illustr. controversiar. l. 2. c. 51. n. 28. 30. & sequentib. *disserit: nempe Principem quemq; & populum liberum civili jure* non magis teneri, quam si scriptum aut inventum numquam fuisset, *solo autem jure naturali & gentium mutuò constringi. Quæ si vera sunt, utiq; id quoq; certissimum est, Germaniam non teneri publico jure Iustinianeo, utpote quod à jure gentium & naturali multum est diversum; nisi fortè Germanicum Imperium non sit sui juris respublica, quod dictu absurdissimum est. Hos omnes verò,*

imo

imò longe hisce plures (plærisque Iuris Romani interpretum à publico Iustinianeo jure, indubie quod illud nullius hodie auctoritatis vel usus esse censeant, manum abstinentibus) cum astipulatores auctores q; habeam; nescio num & illos omnes, læsæ justitiæ, & juris artis violatæ, postulare Tabor ausit. Ego sanè mihi persuadeo, tantorum Iurisconsultorum consensu, me à suspicione illa maligna apud æquum bonumve judicem quemvis facilè excusari. Aut enim omnes illi juxta mecum rei sunt, aut per injuriam ego tam levi de caussa atrociter adeo sum accusatus. Par omnium sive culpa sive innocentia est. Nisi vehementer autem fallor, ne Tabor quidem audebit ICtos adeo multos ac doctos reos agere.

Hac igitur parte quidem non est quod metuam famæ ab injuriosa Taboris epistola. Nihil verò etiam est quod mutem in ipsa mea Dissertatione. Etenim etsi Tabor edidisse commentarium suum maximè in id videri voluerit, ut Iustinianei illius juris publici auctoritas conservetur, & me præ aliis studuerit petere: primò tamen adeo negligenter caussam agit, ut vel ideò non mereatur responsum. Quid enim? Cum sic satis prolixè multis q; argumentis sententiam meam adstruxerim, nonne par erat singulas meas rationes & producere in medium, & productas examini subjicere? Neutrum vero factum est à Tabore. Recitat quidem mea nonnulla n. 4. cap. v. sed mutile, magisque perverse quam ille Fidentinus olim libellos Martialis: quod conferentibus sole est clarius. Plera q; sane argumenta mea silentio præterit: alia imperfecte adducit. Affingit mihi quasi scientiam juris publici Germanici Politicæ adscribam: cum ex professo contrarium ostenderim. Ad nullum autem argumentorum meorum vel levi verbulo respondet.

Porrò cum thesi meæ: Jus publicum Justinianeum non obligare hodie Germaniam: verè contradicere ille debuisset, passim

paſsim nihil crepat aliud, quàm uſum ejus aliquem ſupereſſe. Hinc in epiſtola fingit contendi: Juſtinianeæ legislationis uſum ad juris publici cognitionem ne hilum quidem conducere. *Item:* legislationis Juſtinianeæ uſum in juris publici cognitione exſibilari. *Quod ipſum an à quopiam ſit factum, dubito: mihi numquam in mentem venit id uti facerem. In ipſo Commentario tantum ita loquitur:* n. 7. Haud quaquam temerè aut perperam fecerimus, ſi fontem boni & æqui planè divinum, Juris Romani, etiam in hac parte adeamus. *Item* n. 9: An non ex Iure noſtro ea generatim & ſpeciatim fundamenta hauriri poſſunt, quæ in hodiernâ quoque Romani Imperij conſtitutione, & graviſſimis circa res ſtatus ſubcreſcentibus controverſiis uſum habeant. *N. porro 14:* Taceo complurima æqui bonique fundamenta, quæ tanquam univerſales regulæ & rationes, illis legibus comprehenſæ, ſemper uſum ſuum inveniunt. *Porro cum ipſemet fuiſſet diſerte faſſus* n. 15 *mutaſſe rempublicam Romanam, eoq; magnam inductam hypotheſibus (ita loquitur) varietatem; hæc duntaxat addit*: non tamen theſes ipſæ quæ nobis reliquæ ſunt omninò floccifaciendæ veniunt. *At verò nusquam ego aſſerui: in publici juris quæſtionibus Romanos fontes temere adiri: vel, nihil indè hauriri poſſe quod uſum in republ. inveniat; aut, quæ ibi inveniuntur flocci eſſe facienda. Si nihil aliud ergo probatum vult Tabor, perperam profectò in ſimpulo fluctus excitat. Cæterùm probandum erat: ad Romanum illud jus publicum Germaniam hodie adſtringi, ita ut negotiorum publicorum juſtitia & iniquitas ad illam amuſsim debeant exigi. Hoc ipſum enim ego impugnaveram: impugnaverat idem Bacchovius: non aliud improbaverant alij, quos Tabor tam injuriosè exagitare non dubitavit in ſuo proœmio.*

Scilicet ita ſeſe res habet. Juſtinianeæ leges magnæ meritò

apud

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [300] - 280
PUBLIC DOMAIN

apud prudentes omnes sunt existimationis; vim legum tamen non habent hodie ullo in libero populo, nisi ubi illæ publico consensu eam vim sunt consequutæ. Multùm verò refert, sitne aliquid in existimatione solùm, an verò pro lege observari debeat. Nec enim si quid etiam prudenter constitutum in Romano isto jure occurrit, populum aliquem liberum legis instar obligat: utpote cum cuivis populo liceat ex arbitrio minus prudenter sese gerere. Nec quæ regulæ ibi reperiuntur ex naturali & gentium jure deprompt æ, ideo majorem aliquam merentur auctoritatem, quoniã Justinianeo sint codici insertæ. Omnes nimirum omnium gentium civiles leges habent quædam naturalis juris. Omnes habent nonnulla quæ prudentiæ laudem mereantur. Omnes dignæ sunt adiri. Ex omnibus aliquid hauseris quod tuæ sit reipubl. utile. Nullæ earum flocci faciendæ sunt: multæ meritò maximi habendæ Nec tamen diversarũ gentium leges gentibus aliis pro legibus obtrudi aut possunt, aut debent, aut solent. Justinianei illius juris omnia vel ita esse naturali juri consentanea, ut ab iis discedere sit iniquum; vel adeo providè & sapienter constituta, ut diversa omnia sint reipublicæ noxia, non profecto Tabor probaverit. Multò minus probaverit, Romanum illud jus, fontem esse boni & æqui planè divinum. In Hebræis legibus multa longe sapientius & æquius instituta inveniri, nos alibi probabimus: nec ideo tamen illa Germaniam legum in morem obstringere arbitramur. Probavimus etiam alibi, boni & æqui fontes maximè genuinos esse, utilitatem publicam sive universi humani generis, sive gentiu aliquot, sive cujuslibet populi.

Ipsas Epidemeticas Iustiniani leges antecellere ejusdem argumenti aliarum gentium instituta, si demonstrare tentasset Tabor, sensisset sane hærere sibi aquam. Vt antecellant vero; hinc tamen minime est consequens, illas vel alibi vel in Germania legum vim obtinere: sed hoc quidem non aliunde probari potest

quàm

quàm ex nova aliqua populi nostri consensione. Quam tum non produxerit Tabor, nec forte possit producere, vereor ut vel Epidemetica illa Iustinianea in legum Germanicarum numero sint habenda. Idquod si ita est profectò ineptus est conatus, illorum exemplo Iuri omni publico Iustinianeo auctoritatem conciliandi. Ideoq; rectissimè fortassis operam collocasset Tabor, si productis in medium metatorius & epidemeticis cum Romanorum tum aliorum populorum institutis, illa mox ad naturalis æquitatis & publici boni lancem expendisset: atq; ita Germaniam docuisset, non tam quid fortè hic alibi institutum sit quàm quid in usum sit reipubl. sive simpliciter sive pro temporum nostrorum ratione. Ita sanè bonum juris interpretem juxta & bonum νομοθέτην, verum item non autem fucatum juris philosophum se præstitisset, titulique sui implevisset majestatem. Verùm hæc monere non est forte hujus loci, certe immune est facinus. Satius igitur est ut, relicto Tabore, illa quæolim de Iuris publici Iustinianei auctoritate disputavimus, decerpta iterum hîc producamus; facta æquis lectoribus judicandi facultate.

Cæterum

CÆterùm nec abludunt multum ab hoc consilio ea quæ nunc passim tractantur studia. Qui enim ad rempubl. aliquam nostram appellunt animum, sui esse officij censent, jus Imperij publicum versare. Floruitque inter alias hæc quoq; doctrina jam à centum annis in Germanicis Academijs: quas inter nonnullæ & nomen hinc magnum consequutæ sunt. Neq; verò defuere ingenio atq; eruditione præstantes quidam viri, qui & usum ejus viderunt & viam quâ ad illam pervenitur. Vereor tamen multum, ut omnes perinde scopum suum sint assequuti. Quidam certè hoc in negotio duos errores videntur committere: quod scil. primò non satis hanc doctrinam ab ipsa civili prudentia distinguant: quod deinde non ex justis illam fontibus, sed peregrinis atque turbidis hauriant. Apparet autem cuivis vel leviter in hanc publici juris scientiam intuenti, nihil illam aliud polliceri quam notitiam eorum quæ circa publica hoc in Romano Germanorum Imperio sunt constituta, adeoq; sive consensu Cæsaris Ordinumq; aperto, sive tacitâ consuetudine vim legis acceperunt. A quo profecto multùm diversa Civilis prudentia est. Hæc enim nihil sigillatim de hac nostra republ. ut nec de ulla alia, præcipit; sed in communi tantùm occupata, ut natura est artium omnium & scientiarum, ad singula neutiquam demittitur. Hæc non respicit unius tantùm civitatis salutem, sed omnium omnino in universum æqualem curam habet. Hæc denique non jubet, quid agendum sit ex decretis ante factis, sed quomodo ipsa sint decreta condenda, quid eorum observandum, quid mutandum & qua cautione, usu idipsum publico postulante. Tanto scil. discrimine distat utraq;

In juris publici studiis à nonnullis duplicem committi errorem.

Primum, confusionem ejus doctrinæ cum civili prudentiâ.

hæc cognitio, quanto medica ars ipsa ab ea cognitione abest, qua novit medicus quid in Socrate ex. gr. sanum sit aut invalidum: respondet enim medicina prudentiæ civili, & juris publici scientia penè gemina est illi notitiæ quam de Socratis valetudine sibi medicus comparavit. Verum hic primus error levior fortassis est quàm ut animadversionis egeat; estque jam tum à nobis ante reprehensus, alterâ quâ Aristotelem laudavimus oratione. Est vero fortassis haud paulò major posterior; etsi frequentia sua ac vetustate mitiorem nonnihil sententiâ mereatur. Videmus enim homines nonnullos clarissimos de Imperij nostri constitutionibus juribusque publicis, non nisi in subsidium testimoniumque Justinianeis legibus advocatis, differere: quasi hæ norma sint ad quam publicæ Imperij res veniant exigendæ. Itaque ad tertium quodvis verbum cernere est citatam ex illo volumine legem: ceu unicum veritatis robur inde sit petendum.

Alterum, deductione illorum jurium ex legibus Romanis.

Origo illius secundi errotis.

Atque in exordia quidem ejus opinionis inquirentibus apparet, non uno illam tempore ubivis terrarum Imperij nostri invaluisse, sed in Italia natam sero demum in Germaniam hanc nostram trans Alpes penetrasse. Quingenti præter propter enim sunt anni, quum in Italiâ è tenebris & situ in lucem est reductum illud Romanarum legum corpus ut appellant, quod Justiniani Augusti mandato Tribonianus olim confecerat. Erat tum gens Itala ut avida novarum rerum, ita demortuæ dudum Romanorum potentiæ ac libertatis desiderio tumida; quod facto magnam partem Germanicorum Cæsarum per Italiam robore, Germanos nos ut barbaros habentes Itali imperium quoque nostrum aut detrectarent, aut vellent mutatum. Involarunt itaque avidè in reviviscentes illas leges, easque abro-

abrogatis ſuis inſtitutis quibus jam aliquot erant ſeculis uſi, in forum, neſcio temerè ne potius an conſulto, traduxerunt. Creſcente verò iſtarum legum auctoritate, non ad privatas tantùm illæ controverſias adhiberi cæptæ, ſed ad earum mentem de publico etiam Imperij ſtatu, inter doctores præcipuè Academicos, fuit diſputatum. Quæ res cum Pontificis Romani immenſæ ambitioni adverſaretur, ille contrà â ſe aut latas leges aut approbatas (quibus aut illa unicè nititur) doceri fecit ac defendi. Ita de maximi momenti negotijs, Imperijque ſummam attingentibus, cæptum varias in partes apud Italos tùm controverti, hactenuſque inaudita ultrò citroque adferri. Quum enim Romani Iuris doctores invenirent majeſtatem Iuſtiniani Cæſaris admodum auguſtam, potentiamq; ejuſdem per Europam, Aſiam, Africam latè porrectam; quum viderent multa de libertate ac dignitate Romani populi prædicari, multa quoq; de præſidum, judicum, præfectorum, Epiſcoporumq; officijs juberi: quidam illorum eam demum Imperij Romani faciem juſtam atque legitimam judicantes, eandem majeſtatem ac potentiam convenire Germanicis illis ſui ævi Cæſaribus, eandem competere Romano populo etiam nunc dignitatem, eaq; eſſe Ducum ac Comitum quæ præſidum olim ac præfectorum officia, nec majora nunc Epiſcopis quàm olim deberi, magna animi contentione docuerunt. Quorum profecto nihil auditum erat, ex quo Germanici populi Cæſareum ſibi nomen vindicaverant. Neq; verò inanes tantùm hæ voculæ fuerunt, ſed & eruperunt in nervum, magnisq; motibus & prætextum dederunt & incitamentum: præſertim quum ex adverſa parte Pontificem extollerent Canonici doctores juris, decretisq; Papalibus adductis Cæſaream majeſtatem opprime-

primerent. Iam ſtatim à viſis illis legibus, anno Chriſtiano poſt mille ac centenos quinto quadrageſimo, in Spirenſibus comitijs, oratores Romanæ plebis jugi Pontificij pertæſæ, his verſiculis Conradum Cæſarem ſunt alloquuti:

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem,
Princeps terrarum ceu fecit Iuſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul.

Nec deſierunt illi animorum motus ac bella Italiæ civiliaj aliquot per ſecula: evehentibus Cæſaream dignitatem Romani juris peritis, Papalem vero Canoniſtis. Loquuntur annales feralia illa diſſidia cum horrore quodam: ea vero Cæſari & Pontifici, utrinque à ſuis, legum ſpecie antiquarum ſunt attributa, quæ nemo doctior ſine ſtupore aut riſu legerit. Verùm hæc latiùs narrare alterius eſt temporis atq; argumenti. Tametſi verò illa ætate conflagraverit penè Italia diſputationibus hiſce, & Imperij noſtri forma ad illam Romanarum legum amuſſim novo exemplo fuerit exacta: Germania nihilominus noſtra quievit, nec tale quicquam audiit ante ſeculum quintum decimum; quo tempore videlicet primum aliquis earundem legum in tranſalpinâ hac Imperij parte cæpit uſus eſſe. Ex eo verò ſerpere & apud nos ejuſcemodi ſententiæ, & à nonnullis defendi non ſine detrimento publicæ quietis. A plæriſq; tamen contrà itum, & quidem ab illis etiam, quibus alioquin familiare eſt, nulla non occaſione captata doctrinam hanc juris publici Tribonianeis legibus interpolare.

Refutatio illius erroris.

Atq; origo quidem illius moris progreſſusq; hic ferè eſt. Operæ autem pretium fortaſſis fuerit ſermone non prolixo oſtendere, quantum ille à recto abeat, & juſtitiæ adverſetur. Intereſt enim pacis ac ſalutis publicæ, vel nihil lo-

hil loqui in vulgus de ſtatu publico, quod Platonis conſilium eſt, vel certè non aliter de illo loqui quam ſeſe res habet. Dubium autem nullum eſt, quin periculoſæ ſint illæ quorundam ſententiæ, juſtum eſſe ut ſecundum Romanas leges noſtra reſpubl. conformetur: quum enim noſtra illa longè ſit diverſiſſima maximeq; ab illis remota, injuſtitiæ præſens ſtatus arguitur, quod motibus excitandis nimium ptofecto valet. Neque enim vel Cæſar vel Ordinum aliquis aut Principum eâ debeat eſſe quâ nunc eſt conditione, ſi iſti homines non fallunt nos aut falluntur. Sed non difficile perſpectu eſt quantum decipiantur. Quod ſi enim Romanis iſtis legibus reſpubl. noſtra tenetur obedire, cauſſa ejus rei fuerit: vel quod leges illæ ejus ſint juſtitiæ ut eas non obſervare omnimodo injuſtum fuerit; vel verò quod ſponte in illas ſine diſcrimine juraverimus, & noſtra ætas ultrò ſeſe illis ſubmiſerit; vel denique quod iſtæ leges nobis præſcriptæ ſint ab alijs queîs refragari ſit nefas.

Romanas leges non obligare nos juſtitiæ quadam neceſſitate.

Atqui nihil non horum aſſertu fortaſſis ridiculum ſit. Quid enim aliud quàm riſum mereatur, qui omnes illas leges vel illarum eas quæ publicam Imperij adminiſtrationem cernunt, naturali aut gentium juri velit coæquare? quaſi ſcilicet eas non obſervare fuerit perinde ac ſi æternum illud jus mentibus humanis inſitum violetur. In vulgus quippe innotuit, plæraſque illarum legum (ut fieri aſſolet) ex arbitrio profluxiſſe, neq; aliam habere vim quàm quæ eſt ex conſtituto. Tum verò in univerſum de reipublicæ adminiſtratione natura propemodum nihil ſanxit, ſed humanæ illam prudentiæ & libertati reliquit: certè ubi ab univerſaliſſimis pronunciatis abierimus, honeſti inhoneſtiq; ratio amplius non comparet, eorum lo-

cum utili & inutili occupantibus, quemadmodum illud aliàs oſtenditur. Iam verò ne illud quidem, eam reipubl. formam quæ Iuſtiniano Cæſare obtinuit, aut eſſe omnium optimam, aut convenire moribus noſtris atque huic ætati, quod proximum eſt, temere quis civilis prudentiæ conſultus affirmaverit. Pari autem modo & alterum dictu ridiculum fuerit; omnes promiſcue leges illas, aut vero illas juris publici, ultrò ceu reipubl. normam eſſe admiſſas. Principio enim conſtat, ne forum quidem ullum in privatis controverſiis finiendis ſolo ſtare illo jure Romano, ſed ad hoc leges ſæpe planè adverſas conſuetudineſque domeſticas obſervare: tantùm abeſt, ut omnes illius Tribonianei corporis ulla reſpublica ſine diſcrimine approbaverit. Quo verò tempore Imperium noſtrum Germano Romanum juravit in jus publicum illud Iuſtinianeum? Taciténe illud factum eſt, an apertè? Si apertè; producatur illud aut ſenatus noſtri conſultum, aut plebiſcitum, aut decretum comitiorum. Si non poteſt produci, ſaltim teſtimonium tam grandis ac ſpiſſi negotij ex monumentis antiquis petatur. Atqui iſta nihil tale memorant. Fortè tacito quodam id conſenſu factum. Quando, aut quâ occaſione? An quum Romanorum Imperatores Cæſaresque cæperunt dici primo Francorum reges Carolini, mox reges Germanici à Magno Ottone? id enim video nonnullos velle. At verô ea tempeſtate ſepultæ erant Tribonianeæ iſtæ leges, quî ergo eas voluerint obſervari? Neque in officio Cæſaris eſt Romani has leges probare præ alijs. Fuerit enim ejus Romanas leges defendere: quur adhas præcipuè obſtringitur, quarum magna portio florentibus Romanorum rebus fuit ignorata? Fuerit ejus leges iſtas ſtabilire in ſolo Romano; quo jure noſtræ

Jus jus publicum Romanum numquam Imperium Germanicum conſenſiſſe.

noſtra Germania ſervare illas obligatur, quæ Romano populo numquam olim paruit & nunc Romanis dat Cæſares non autem accipit? Neque verò Cæſar inquantum Cæſar eſt Germanis imperat, ſed inquantum rex eſt Germanorum: quem cum eligunt Septemviri ſimul etiam Romanis eligunt ſuum Imperatorem. Nec, ſi propriè atque accuratè loqui animus eſt, (ut ſane fieri addecet) hæc Germania noſtra pars Romani Imperij eſt, etſi ita à multis temporibus loquamur cum vulgo, quod nunc ſolet etiam Hiſpanico regno illa adſcribere quæ ſive in Germania ſive in Italia ſive alibi terrarum rex Hiſpaniæ diverſiſſimis longè titulis poſſidet. Forte ne Italia quidem omnis iſthoc nomen rectè meretur. Carolus certè cognomento magnus, ille qui Francorum regum primus Cæſareum nomen indeptus eſt, ſtudioſè diligenterque ea quæ Longobardici regni erant in Italia ab ijs quæ Romani Imperij dicebantur, ſeparavit. Verùm hæc alibi rectius clariusque diſputantur. Id patet Germaniam noſtram non obſtringi legibus Romanis ullis eò quod regem habeat Cæſarem Romanum, adeoq; non tacitè ſubjeciſſe ſemet Romano juri ex quo Cæſares Romano populo dedit. Quid, quod ne in ijs quidem terris quæ propriè Romanæ merentur dici, neceſſum ſit leges illas Tribonianas audire? Sive enim populi, ſive Cæſaris, ſive utriuſque fuerit ferendi leges poteſtas, cujus eſt ferre, & abrogare ejuſdem eſt & antiquare. Potuerunt itaque novæ leges condi abrogatis illis Iuſtinianeis aut reliquis priſcis omnibus. Neque vero aliâ in ſententia hactenus fuerunt Cæſares Germanici Principesque. Sive enim Francorum illa priſca tempora, ſive inſequentia ſecula hunc uſque in diem reſpexerimus, apparet profecto clariſſi-

clarissimè, numquam vel verbo monitum de republ. ad normam illam Iustinianei Imperij ordinandi, sed antiquis moribus & servatam illam esse hactenus & servandam judicatum. Tum verò leges illæ Iustiniani non nisi in forum litibus privatis finiendis receptæ sunt, neque initiò tam Cæsarum jussu quam privata quorumdam voluntate. Vt taceam, quod Commentario de Origine juris Germanici probavimus, leges illas intra ducentos primùm annos in Germania cœpisse, nec aliquo publico Ordinum aut Cæsaris decreto, ante institutum Spiræ Nemetum judicium, fuisse stabilitas. Tantùm ergo in foro earum usus est; quoniam hactenus tantùm sunt admissæ in provincijs Imperij hujus Germanici. Qui ad alia itaque & publica quidem illa extendunt eas, vim illi reipublicæ faciunt, certè præter sententiam agunt omnium Cæsarum aliorumque civitatis hujus Ordinum. Scilicet non arctius nos illæ adstringunt quàm vel Galliam, vel Hispaniam, vel Britanniam, quæ & ipsæ in foris suis observari eas mandaverunt, nihilo mutata reipubl. formâ. *Imo ubi Academiæ & professiones Iuris,* (verba recito Iohannis Tilij locupletissimi Francogallicæ reipubl. scriptoris) *in Gallia institutæ sunt & ornatæ privilegijs, nominatim protestati sunt reges, se Iura illa non auctoritatis loco sed rationis tantùm accipere;* quod ipsum & I. Bodinus & Petrus Pithœus, & E. Baro alijque præclarissimi JCti rerumque Gallicarum peritissimi affirmant. *Quinetiam* (ait Bodinus) *reges Hispanorum capitali pœna vetuerunt Romanorum leges sui juris testes appellare, at scribit Oldradus. Ac tametsi nihil esset in moribus ac institutis patriis, quod cum legibus Romanorum discreparet, ea tamen ejus interdicti*

Til. l. 1. c. 1. de republ. Gall.

Bod. l. 1. de republ. c. 8. Oldr. cons. 69.

dicti vis est, ut ab omnibus intelligatur, judices in causis civium Romano jure non teneri, ac multò minus Principem ipsum, qui judicum religionem legibus peregrinis obligari pernitiosum esse judicavit. Nec vero aliud voluit Stephanus Hispanus Castulonum rex, quando, Polycrate teste, Romanorum leges in Hispania doceri prohibuit, quod plebes has esse sacrosanctas patriisque institutis justiores existimaret. Pol. l. 8. cap. 22.

Sed quorsum prolabor? Satis est si probaverimus, (credo autem nos clarissime id probasse) Imperium nostrum, sive cis sive transalpinum, numquam aut expresso aut tacito consensu rempubl. suam Romanis illis Iustiniani constitutionibus subjecisse, etsi earum usum aliquem voluerit in foro esse. Supereſt tertium: nempe non sponte quidem id unquam factum, nihilominus ijs Imperium nostrum obligari, quoniam à Romanis sunt latæ, illis orbis terrarum dominis. At verò primùm non tulere Romani hasce leges Germanis nobis qui trans Rhenum ac Danubium vivimus: non enim Germanici hi populi nisi ad tempus Romanis paruerunt, contrà verò horum potentia omnis à Germanicis est gentibus deleta, & provinciæ potiores ab ijsdem hodieque regnantur. Ad nos ergo certè leges Romanæ isthoc titulo non pertinent. Ex illo enim, quod Imperatores antiqui dominos se mundi vocaverint, aut quod in sacro Lucæ Evangelio Romani Imperij orbis οἰκουμένης voce sit appellatus, credere cum quibusdam nihil non terrarum Romanis paruisse, non amplius fortè error sed stupor est. Reliqua Transalpina Imperij nostri portio paruit illa quidem Romanis olim Cæsaribus: Iustiniani tamen ætate jam dudum isthoc jugum abjecerat. Vnam Italiam fractis Gothorum viribus asse-

Non teneri nos legibus illis eo nomine quæd à Romanis sint latæ.

ruerat ſibi tempeſtate illa Cæſar Iuſtinianus: ſed & iſta maximam partem Romanis per Langobardos ſtatim poſt erepta, numquam illis donata iterùm, multò minus armis vindicata eſt. Ergo tametſi legibus illis olim paruiſſet, poſteaquam tamen bello victa ceſſit victoribus, nihil amplius in illam juris leges illæ Romanæ habent. Multa enim Imperij illius veteris ut bello quæſita ita bello amiſſa ſunt; alia derelicti occupatione, nonnulla pactionibus ut olim parta Romanis ita poſt aliarum in gentium imperium tranſierunt. Neque enim alia ratio acquirendæ ſeu amittendæ poſſeſſionis pro Imperio illo antiquo, quam contra illud valet: ſed quibus quondam modis ac juribus paravit ſua, ijſdem illa nunc amiſit.

EXCER-

EXCERPTA EX

HERMANNI CONRINGII

PROOEMIO AD LECTOREM

Editionis secundæ Taciti

DE MORIB. GERMANOR.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [313] - -
PUBLIC DOMAIN

BENEVOLO LECTORI.

Septimus hodie decimus annus agitur, quum Taciti hunc libellum, variis additis veterum scriptorum fragmentis, pene illo quo nunc modo publicarem: idq; ingratiam potißimum Academicæ noſtræ juventutis, quæ per infelicia illa tempora librario commercio omni propemodum interciſo, non ſine magno ſtudiorum diſpendio, illis veteris ævi præclaris monumentis deſtituebatur. Erat mihi quamvis juveni, omnino jam tum perſuaſum, ad ſolidam perfectamq; ejus etiam quæ nunc ſuperest reipublicæ Germanicæ notitiam, plurimum conducere illam non tantum à Carolino Francorum ævo, quando primum hæc Imperij civitas coaluit, ſed & ab antiquiſſima retro memoria, rei noſtræ omnis publicæ privatæq; factam repetitionem: imò facere illam ad plenum regnorum ferme univerſæ Europæ intellectum, quoniam pleraq; iſthæc à gentibus Germanicis condita plurimum hodieque retinent moris priſci; quæ, inſcitia rerum illarum veterum, turbulenti quidam, tanquam vitio nuper demum introducta, criminantur. Nec vero aliud tum conſilium erat, quam juvenum animos ad rempoſtram parare: cujus naturam atque inſtituta vulgo à paucis, & perperam, addiſci, antequam illi adhibeant manum, idq; ſummo cum ſalutis publicæ damno fieri, ſerio dolebam.

Hinc prolixe tum præfatus ſum de omni reipublicæ noſtræ accuratiore notitia, quis ejus uſus, unde petenda demum ſit, & quam graviter permulti heic vel oſcitanter ſe gerant, vel à regia aberrent via. Qua in re operæ abs me factum pretium aliquod, ſi oſtenderem ſubſecuto doctiorum applauſu, multusq; hinc inde corrogatis teſtimoniis, haud fortaſſis arrogantiæ merito poſtularer; certè non ſine exemplo celebrium in literis hominum, eoque ſic ſatis paſſim recepto peccarem. Verum illud qui-

quidem pudor meus haud siverit: nec mihi hactenus ille mos probare sese potuit. Et tamen qui ista hac in doctrina mea quidquam desiderarit, etsi illa à vulgo haud parum dissideat, vix unus & alter, quod equidem sciam, usq; hucrepertus est, neuter vero mentem meam probe assecutus. Id luculente adeo circiter hosce tres annos ostendi V. Clarissimo Joanni Ottoni Taborita, impetuose antehac in me invecto, ut tametsi in Racemationibus suis Criminalium Definitionum varia reponere sit conatus, non tamen vel verbulo probare fuerit ausus, jure me accusatum, quasi omnem Justinianei juris publici in Germania usum explosissem, & doctrinam illam omnem publici juris transscripsissem Politicæ; quo inter alia nomine graviter de injuria mihi facta eram conquestus. Verum illi videtur familiare, ubi injuriæ & calumniæ est manifestus, culpam veterem dissimulare, & quo memoria illius obliteretur, per convitia & novas συκοφαντίας subsidium petere. Ita calumnia calumniæ protegula est ne perpluat scilicet. Et vero cum in epistola Epidemeticis suis præfixa, ad Serenissimum Dominum meum, Principem & literatissimum & justitiæ legumq; acerrimum vindicem, universum omnes illos qui Justinianei juris publici observantiâ, nisi quantum ejus denuo est liberrime receptum, haud obstringi Germaniam statuunt, ceu hostes ipsiusmet justitiæ & jurisprudentiæ, implorată Principis vindictă publice summa cum injuria perstrinxisset, in ipsoque libro me præ aliis isthoc in censu notavisset nominatim: ad querelam meam nihil regessit aliud quam quod epistolam illam exarans de me non cogitaverit, nec meam in Tacitum præfationem, quam impugnandam sibi sumpserat, vel integram vel cum cura sibi perlectam, in convitiis & novis criminationibus totus occupatus. Cæterum illa quidem confessio propriæ turpitudinis allegatio est: indigna viro qui libris scribendis dat operam. Quid enim magis pu-

ridum,

tidum, quam refellere quod non expendisti, aut tui usq; adeo esse immemorem, ut ex professo accusatione omnium gravissima sine discrimine instituta, oblitus sis ejus quem inter illos ipsos præ aliis nominatim paulo ante eras insectatus? Num qui ita sese gerit idoneus sit conscribendis libris; imo num causis arbitrandis sit aptus, aliorum sit judicio permissum. Nec tamen fortasis omnibus persuaserit temere Tabor, mei memoriam scribenti epistolam excidisse, cum in illa exagitaverit etiam hoc, quod juris publici professio alicui Philosophiæ parti transcribatur, & tamen in ipso suo Epidemetico unum me culpæ illius postulaverit. Verum ut exciderim ego maledo criminatori; manet tamen, iniquissime omnes in universum qui mecum faciunt, in famosa isthac epistola publice traductos esse. Sed & communem injuriam recte me judicasse ad me quoque pertinere, præsertim cum ipso in libro fuerim (non sane honoris gratia) præ aliis accusatus; eoq; immerito Taborem conqueri, quasi famam hominis hoc in occursu (liceat uti familiaribus ipsi Latini sermonis elegantiis) innocentissimi contra omnes Christiani mi regulas, inaudita procacia attentaverim, nemini non scio manifestum esse. Non dubito certe causam hanc cujusvis æqui judicis arbitrio committere. Nec vero ab atrociter licet læso me quidquam contra inclementius jactum est. Arrogantiæ (quod conqueritur) non argui hominem. Nihil per sese vitij habet Cancellariatus, ut ita loquar, affectatio. Quidni enim ambias locum virtute tua dignum? πιστὸς ὁ λόγος· εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. At cum ambias, turpiter simul impotentiam animi ac maledicentiam prodere coram ipso Principe, hoc vero ut indecorum est, ita in Tabore improbavi. Calva sane est excusatio: coactum sese in epistola illa rationes scripti libri reddere, ob instantes

stantes nundinas & dimensum chartarum. Quasi scilicet rationes illæ reddi non potuissent absq; tot improbis calumniis *&* convitiis, aut edicto Amphyctionum jussus esset cum ratione insanire, tantum ut sua chartæ maneret mensura, & in mercem quoq; συκοφαντίαι venirent. Immodestiam & animi impotentiam *objeci: fateor. Notore indiget si illis sese vitiis fœde coinquinatum nesciat. Si mihi non credit, interroget alios, proximos, remotos. Quærat, quare spes suæ majoris loci repulsam hactenus sint passæ. Produnt animũ nonnulla ejus scripta* plena ruris & inficetiarum, λοιδορίας *à capite ad calcem* refertissima. *Ipsemet illæ Racemationes* (ut alia sileam) *in me* sane maledictis scatent. *Quo porro nomine appellaveris illum morbum, qui sic judicij aciem obtundit, ut adversarij sententias raro percipiat, easq; vel sinistrorsum capiat vel iniqua censura vexet? Non est mihi tantum otij aliena nunc ut curem. quid mihimet ipsi in Epidemeticis acciderit jam constat. Longe vero iniquiores sunt Racemationes; affingunt enim quæ in mentem nunquam venere, & innocentissime dicta pervertunt. Inclytam Argentoratensem Academiam* scholam *appellaveram, more cum alias passim doctis recepto, tum in ipsa Argentoratensium urbe probato, id per contemptum abs me factum calumniatur Tabor: à qua suspicione saltim meæ Antiquitates Academicæ me vindicaverint multis locis. Alibi eodem in libro, jam totus in fermento, non dubitat mihi adscribere quod doceam* jus Justinianeum Germanos hodie non obligare: *cum integris duobus capitibus, secundo nimirum & tertio post tricesimum libri de Origine Germanici juris, contraria plane docuerim. Scribit me* pag. 219 *illius libri tradere:* in potestate singulorum ordinum esse OMNE jus Justinianeum abrogare: *ego vero diserte ibi addidi*, quod quidem ex constituto valet. *Dicit me* pag. 225. *ejusdem libri docere,*

cere, Germanicas gentes sine legibus haud omnino infeliciter vixisse: *Mea autem verba hæc sunt:* sine legibus, sive numero multis sive scripto comprehensis, videntur Germanicæ gentes haud omnino infeliciter vixisse. *Aut à memetipso me indigitari eâdem pag.* Politicum Medicum. *At hæc appellatio neq; ibi neq; alibi usquam comparet, imo fuerit mihi quam maxime invisa. Attribuit mihi & hæc:* Germaniam non esse Romani Imperij partem, Cæsarem inquantum Cæsar Germanis non imperare: *Ego vero adjeceram:* si proprie & accurate loqui animus est. *Id quod verum esse, ostendi dudum integro libro de Germanorum Imperio Romano, quem confutet Tabor si potest. Meum item esse dicit:* Justinianeas leges non habere vim legum ullo in popnlo: *Ego vero scripseram:* vim legum non habent hodie ullo in libero populo, NISI ubi illæ publico consensu eam vim sunt consecutæ. *Similiter quod dixissem ego:* In Hebræis legibus multa longe sapientius & æquius instituta inveniri: *Ille accipit atq; ego sim locutus* de Hebræorum Rabbinorum legibus: *cum tamen leges Hebrææ sint Mosaicæ, quas ex Rabbinorum scriptis perperam à nonnullis peti, omnino arbitror. Non dubitavit porro asserere me pag. 223 libri de Origine Iur.* autoritatem constitutionis Carolinæ criminalis ambiguis verbis eludere sategisse: *Et tamen ibi hæc mea fuere diserta verba:* Nec minus notum, ea quæ in publicis regni comitijs decernuntur (cujusmodi inter alia sunt Constitutiones criminales Caroli V. Cæsaris) per omnem Germaniam vim legum obtinere. *Non erubuit quoque asserere, me libri illius* cap. 32. pag. 199. & 204. invitis dentibus *(ita loquitur pro ea qua valet scilicet Latini sermonis peritia)* professum, jam seculo XIII Juris Doctores insigni numero in consilijs & judicijs floruisse:

Et ta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [318] - 298
PUBLIC DOMAIN

Et tamen vel lippus videat, loqui me disertis verbis de ætate Friderici III Cæsaris, qua utiq. non in tertium sed quintum decimum seculum incidit. Indubie quoq. me tactum voluit Racemationum suarum pag 314. scribens: Authenticæ jussu Imperatorum Germanorum Codici insertæ, novam illorum hæresin satis redarguunt, qui Juris Romani auctoritatem ultra seculum in Germania viguisse negant. *Ineptitudinem argumenti non arguam nunc; illud vero vero nequeo dissimulare, quod mihi tribuat, quasi ego seculi unius limitibus circumscribam Romani juris per Germaniam vetustatem; quum tamen ex professo probaverim, paulo ante seculum quintum decimum cepisse, adeoq. jam ultra ducentos quinquaginta annos invaluisse. Paris notæ est illud quod* pag. 442 *adfert Racemator,* me id operam potissimum dare, ut omissa Juris Justinianei & Imperatorij rectitudine in superiorum seculorum barbariem ab omnibus bonis damnatam, relabamur. *E contrario tamen* cap. penult. libri de Orig. Juris pag. 225, 226, 227, 228 & 231. *liquidò ostendi, nequaquam vetera mihi omnia instituta se probare, & cum ex aliis tum ex Romanis legibus, quod utilissimum videbitur, à Iuris peritis ævi nostri melioribus colligendum esse. Enimvero satis ita indicavi ex eo me numero esse, de quibus Aristoteles:* ζητῶσι δὲ ὅλως ἢ τὸ πάτριον, ἀλλὰ ταγαθὸν πάντες. *Passim denique me criminatur, quasi ex Hippolythi à Lapide libro multa acceperim: & tamen Hippolythi illud scriptum anno demum sexto post quadragesimum in manus vulgi devenit: mihi sane antehac neq. visum neq. auditum fuerat. Nec ignorat Tabor, jam tum anno post triceſimum quinto Præfationem in Tacitum, post quadragesimum tertio librum de Origine Germanici juris publicatum esse. Ipso vidente, audiente, probante, Argentorati Doctorum Iuris dignitas, sententiis ex meo opere isthoc potissimum desumptis,*

à G. M. Tilone adversus quædam Hippolythi incommodiora dicta publice defensa est.

Tot tantasque calumnias cui affectui alij quam nimiæ illi animi impotentiæ, quæ judicij aciem, qua alias Tabor non videtur destitui, obtundit, adeo ut in clarissimo meridie cespitet, acceptum tuleris? An alicunde profectum dixeris fatalem stuporem istum, qui non patitur illum advertere, quantum sibimet ipsi adversetur, dum usq; adeo urget: teneri nos Germanos ad Iustinianei juris obsequium: & tamen ultro fatetur, idq; citra omnem indignationem, cum alibi tum l. de metat. cap. 5. n. 6. & 7. *privatum illud jus* miseris alicubi & nimiis subtilitatibus laborare, nec ullum fere caput inveniri, quod non posteriorum Principum ac inprimis modernorum statutorum ac consuetudinum placitis immutatum sit. *Si simpliciter obligamur ad leges Justinianeas, utique omnis qua ab illis facta est secessio iniqua est: si hæc nihil habet iniquitatis, non simpliciter etiam tenemur illas sequi. Quam causam aliam dixeris illius, quod meam de auctoritate Iustinianei juris sententiam paradoxis & novitatibus accensuerit, cum sit apud omnes, etiam Romanarum legum doctores, receptissima? Nec vero, quod equidem sciam vel Germanorum juris peritorum quispiam leges publicas statuta & consuetudines Iustinianeo juri adversantes injustitiæ ist hoc quidem nomine postulavit: omnes secundum illas non minus ac secundum ist hæc Iustinianea populo jus dicunt, & dixere hactenus, idq; potiore auctoritate habita novarum constitutionum & provincialium præ Iustinianeis: ipsimet imo multarum ejusmodi Iustiniano adversantium legum auctores sunt. Scite Matthias Stephani* proœm. Comment. in Novellas n. 52. *& plane ex mente mea:* Leges Justiniani, quatenus à moribus nostris non sunt approbatæ, non magis nobis jus facere potuerunt,

aut

aut nos obligare, quam Leonis Philosophi aliorumque Græcorum Imperatorum Novellæ quæ receptæ non sunt. Vnde nemo non intelligit, nos altero oculo in jus scriptum Iustiniani, altero autem in mores seculi intentos esse oportere, & præsertim quid de unoquoque iuris articulo in Camera Imperiali, tanquam supremo in Romano Imperio judicio observetur. *Christophori etiam Besoldi* c. 5. part. 3. Tractat. posth. de Jure publico *hæc disertæ verba sunt:* Inter regalia Statuum Imperij præcipua videntur esse illa; quod possint statuta condere, secundum quæ in ipsorum territorijs vivere & judicari debent subditi, magistratus item atque judicia constitui. Atque statuta ejus vigoris esse reputantur, ut Assessores etiam Cameræ Imperialis, secundum ea, in causis per appellationem ad illos devolutis, PRAECIPUE judicare teneantur: ac si in casibus demum in statutis illis omissis aut per localem consuetudinem non decisis, jus commune sequi debeant. Kammergerichtsordnung parte 1. tit. 57. *In eandem sententiam differit Gailius* l. 1. observat. 36: *Wehnerus* Practicar. observ. voce Gewonheit: *Carpzovius* ad l. reg. cap. 9. sect. 1. *ut sileam alios. Quid quod nonnulli longe peritissimi Germanici juris, inter eos ipsemet Reinkingius* l. 2. de regim. sec. & eccles. clas. 2. cap. 14. n. 30, *non dubitent asserere, in Camerali Iudicio leges non pro auctoritate sed pro ratione allegari? Quorum sententiæ tamen ego quidem haud temere accesserim: quamvis haud ignorem, eam esse amplissimi illius Senatus auctoritatem, & in legibus non observandis libertatem, ut in ipsomet fori processu Iuris Civilis solennitates & circa processum commissas nullitates haud attendere soleat, modo de meritis causæ constet. Cæterum omnino præclare de vi Romani Iuris in omnibus liberis*

rebuspublicis (qualis utiq; & Germanica est) etiam loquitur. c. 11. libri de Imperio maris *Jacobus Gothofredus, vir summus, & cujus morte cum Iuris vere Romani prudentia, tum omnis res literaria ingens nuper damnum fecit. Cum enim dissertuisset, Rhodiam legem à Romanis admissam solo æquitatis respectu habito, non quod ea tenerentur, addit:* Sic sane Romanis hodie legibus utuntur liberrima omnium regna populique, tanquam æqui bonique fonte. Quo qui aliter utuntur, næ illi perquam suaves sunt, parumque sibi consulunt: cum verso hodie regnorum populorumq; statu in aliam quam Romanum olim Imperium habuit formã, juri Romano non nisi absurdè quisquam sese illiget. Et prudentissime omnium Galli, qui eo loco leges Romanas habent, quo & quatenus fontem boni æquique: quo simul & dignitati suæ recte consulunt, & veram Juris dicundi orbitam tenent. Quod quidem & hic ἐκ παρέργου additum volui adversus irrationalia quorundam hac de re judicia, qui Gallos ea re perquam inique pipulo differunt. *Non patitur institutum similia testimonia plura huc adferre, quorum cæteroquin copia ad manum est: utpote quum hæc Germaniæ consuetudo hodie in omnium passim locorum judiciis sit recepta, ut recte dicit Gailius. Ne quidem nunc urgebo, quod nostrorum Iurisperitorum alij non dubitent ipsam Iustinianei juris æquitatem oppugnare, alij novum jus condendum suadeant. Et vero frustra provoces ad Doctorum suffragia, cum in confesso sit Cæsaris Ordinumq; Imperij libera ferendarum legum potestas: quæ salva esse nequit si adstricta est Germania unico Iustinianeo juri. Certe & qui nunc est Imperij status fuerit iniquus, & actum de libertate reipubl. si verum est quod Tabor profitetur. Ejus sane opinio isthæc ipsamet subruit status publici fundamenta.*

Si ea

Si ea tamen est Tabor confidentia, & si placuerit ipsi exequi quod minitatur, per me licet, eam quam existimat Romani juris privati obligationem propugnet acriter, simulq; originem ejus per Germaniam ostendat aliam quàm à me factum est. Disputet vero argumentis, iisq; non trivialibus sed solidis: non convitiis, non obtrectationibus, non calumniis, armis turpibus impotentis animi, indignis viro doctum se professo, indignissimis juris philosopho ac sacerdote. Habeat rationem cum sui tum mei loci.

Ἔλεγχε ἐλέγχῳ. λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἀνδρὶ φιλοσόφῳ ὥσπερ ἠητοπώλιδας.

Parcat mihi, parcat sibi; nec maledicendo ordinem Professorium dehonestet. Si dicere perrexerit quæ vult, forte audiet quæ non vult: nam & olim fas Senatori habitum re maledicere, quamvis maledicere non liceret. Tunc existimet,

responsum non dictum esse, quia læsit prius.

Neq; dubitet, longe plurima in ipsius libris sese offerre acrem animadversionem commerita: ut proinde nec mihi deesse possint tela acerrima quibus illum petam, si fuerit tanti. De Romani Iuris studio Academico, num diffundere illud etiamnum sese debeat ad quævis Tribonianei corporis, etiam obsoleta, nulla mihi cum Tabore est contentio; ac propterea frustra ille mihi Cujacium obducit. Fateor tamen, operam mihi videri perdere, qui prolixo adeo labore ad forum affectat viam. Cui enim hoc duntaxat est propositum, quid desudet in iis, quæ ex usu amplius non sunt, & in foro nihil valent? Nec verò hæc quidem antiquata sunt forensis nostræ prudentiæ regulæ; quod tamen videtur Tabor affirmare. Ad plenam peritiam historicam Romani juris, (qua cumprimis excelluit Cujacius) non tantum Iustinianeæ leges omnes sine discrimine, sed etiam si quarum ex vetustissimo ævo memoria superat, requiruntur. Ad νομοθετικὴν

prudentiam comparandam facit itidem haud parum omnis etiam dudum abrogati Iuris notitia. Tantum de eo mihi cum Tabore non convenit: Num Iustinianeæ leges ex seſe obligent Germaniam, non attenta ſcil. in eas recentiore Imperii Ordinum conſenſione.

Cogor unum pro me adjicere de Teſtamenti factione Germanis priſcis haud uſitata. Scripſeram ego pag. 225: Indubie ad præcavendas lites multum juvit etiam prohibita teſtamenti factio, eoque hereditatis ratio certa ac plana: qualem tum obtinuiſſe, teſte Tacito novimus. *Ea res male habet Taborem, ac proinde opponit verba quædam ex legibus Bohemicis Ferdinandinis (cum potuiſſet in eandem ſententiam verba Conſtantini adferre ex l. 1. Cod. de S.S. Eccleſ. niſi me opprimere ſtatuiſſet:* Nihil eſt quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſt quam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtilus, & licitum quoditerum non redit arbitrium,) *de omnimoda teſtandi libertate, quæ ſi illa demum cum naturali æquitate conſentiat, adeo ut nunquã majore homo libertate frui debeat quam moriturus circa bona ſua diſponenda. Caterum fac eam eſſe vim nativæ libertatis humanæ; nihilominus poteſt verum eſſe illud, teſtandi arbitrium cauſam multis litibus dare. Verum autem eſſe, utinam non uſus doceret quotidianus!* Omnes pragmatici (*verba ſunt Franciſci Hottomanni Anti-Triboniani cap. 6.*) fatentur, quod materia teſtamentaria ſit fons & nutricula maximæ litium partis, captionumq; quæ ibi fiunt ubi Jus
I. Civile viget. *Ideoq; illa quidem objectio me non ferit. Iam ſi omnino fas eſt, ut cumprimus ultimæ voluntatis libertas undiq; integra ſit, utiq; omnis in univerſum limitatio ejus iniqua fuerit. Iniqui igitur fuerint tantum non omnes populi; utpote cum omni retro ætate, ut & hodieque pene nuſquam non, frenum libertati iſti per leges teſtamentarias injectum ſit, alibi aſtrictius, alibi laxius. Ipſo divino Hebræorum jure ſucceſſio*

aſtrictius

omnis, in bona quidem immobilia, non nisi legitima fuit. Athenis ante Solonem non erat jus testamentum condere, sed penes defuncti genus pecunias & domum remanere oportebat: Hic vero liberum fecit, liberis non existentibus, cui visum esset sua donare. Nec temere tamen aut simpliciter dare indulsit: sed, si non per morbum, pharmacum ve, neque vinculis aut necessitate constrictus, vel uxoris blanditijs inductus esset: *quae fere verba sunt Plutarchi. Indubie nonnisi Atheniensium exemplo apud Romanos item magna illa data est testandi legandiq; licentia, uni tamen patrifamilias, per duodecim tabularum leges, cujusmodi erat illa:* Paterfamilias uti de re sua legassit, ita jus esto. *Verum hanc licentiam plurima reipubl. incommoda attulisse, vel sola illa testamentariarum legum Romanarum prope infinita cum varietas tum multitudo, quae post secuta est, docuerit. Longe scilicet verissimum est, & sapientibus omnibus probatum illud Isocratis:* τὰ γὰρ πλήθη καὶ τὰς ἀκριβείας τῶν νόμων σημεῖον εἶναι τοῦ κακῶς οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν αὐτήν. *Sed & diserte, legandi illa libertas testandiq;, per varias leges, cumprimis Furiam, Voconiam, Falcidiam, Velleiam, Corneliam, Caniniam, plurimis modis iterum restricta & in ordinem coacta: &* quia plærumque parentes sine causa liberos suos exheredabant vel omittebant, inductum ut de inofficioso testamento agere possent liberi, *& data his legitima patrimonii portio.* Ex eo testamenti factio non privati sed publici juris fuit, *ceu loquebatur, Papinianus:* nec nuda voluntate constitutum est testamentum, *ceu idem inquiebat:* & nemo potuit in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum haberent: *quae est sententia Pomponii. Nec vero probata illa Testamenti formula:* Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus quam nimiam & miseram diligentiam; & si minus aliquid legiti-

Vide Tit. d. V. S. 1, 120.

juris-

me, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas. *Emollivit rursus hunc rigorem Cæsar Constantinus, Iustinianus longe plurima abolevit: neuter tamen uni liberrimæ voluntati testatorum omnia commisit, quod notissimum est. Hodiernis Europæ universæ moribus, ut & nostris, ne quidem illa à Iustiniano permissa testandi libertas toleratur in bonis potissimus, qualia fere sunt feudalia; ut nec in aliis. Num igitur & illas divinas Hebræorum, & Romanorum istas, ut & nostras, aliarumque gentium omnium testamentarias leges consuetudinesque injustitiæ accusaveris, propterea quod iis tanquam repagulis libera testatorum voluntas concluſa sit? Vtiq; hoc quidem absurdum factu fuerit; & tamen faciendum est, si est nefas constringere nonnihil ultimam voluntatem.* II. *Quare vero non minus illam liceat frenare, quam reliquam omnem bonorum dispositionem? Imo vero cum simpliciter bona omnia civium sint obstricta publico civitatis commodo, nunquam non integrum reipubl. est jus suum, de bonis disponendi in usum communem Naturali quadam æquitate sane nihil huic rerumpublicarum omnium juri detractum, ideoq; locus est positivæ legi, prout exigit quælibet civitas. Et vero interest multum, cum ad formam reipubl. tum ad civium familiarumque salutem, quemadmodum omnis illa successio sese habeat, ac propterea prudens legislator non sane meræ singulorum voluntati* III. *rem tantam permiserit. Ipsamet illa Ecclesiis & Clericis Monachisq; legandi facultas (cui commendandæ, in favorem pressæ hactenus Ecclesiæ, usque adeo in universum libertatem testandi Constantinus (Magnus laudavit) quàm multum nocuerit passim terrarum rebuspublicis pene omnibus, in vulgus jam innotuit, & præclare ostensum est à Paulo Servita, aliisq; Venetorum contra Papam Paulum V defensoribus. Eoq; ipsimet proxime Constantinum secuti successores, & alibi in Occidentali*

tali hoc orbe summa quæque potestates prudentiores, legem hanc Constantini improbavere, minime id facturi, si illa à magno Cæsare addita legi ratio placuisset. Quî porro saltem originariorum civium salutem tueris illa testandi licentia? Et tamen horum commodis cum maxime studendum est à legislatore, utpote quoniam respub. omnis horum præcipue gratia initio instituta sit. Præclare Isocrates orator prudentissimus in Sociali: καὶ τοι χρὴ πόλιν μὲν εὐδαιμονίζειν, μὴ τὴν ἐξ ἁπάντων ἀνθρώπων εἰκῆ πόλλους πολίτας ἀθροίζουσαν, ἀλλὰ τὴν τὸ γένος τῶν ἐξ ἀρχῆς τὴν πόλιν οἰκησάντων μάλιστα τῶν ἄλλων διασώζουσαν: Ea demum civitas felix est habenda, non quæ è promiscua hominum colluvie multos cives temere colligit, sed quæ antiquissimas & primas familias maxime conservat. Hinc quid utilius plebiscito Voconio de coërcendis mulierum hæreditatibus? dicebat Phavorino apud Gellium ipsemet Sextus Cæcilius Iureconsultorum ejus ætatis facile princeps. Nec vero ille eandem apud Armenios usu receptam de succedendo legem cum Iustiniano ed. 3. cap. 1. appellasset barbaricam insolentemque, & quæ neque Romanos neq; suæ reipublicæ justitiam deceat. Sapientissimus vir Aristoteles quinto Politicor. libro cap. 8. inter Oligarchiæ tutamenta laudat: καὶ τὰς κληρονομίας μὴ κατ' ἀξίαν εἶναι, ἀλλὰ κατὰ γένος. μηδὲ πλειόνων ἢ μιᾶς τὴν αὐτὴν κληρονομεῖν. ὅτο γὰρ ἂν ἧττον περὶ αἱ οὐσίαι εἶεν, καὶ τῶν ἀπόρων εἰς εὐπορίαν καθίσαντο πλείους Idem prudenter l. 2. c. 7. notat, cum lege cautum fuisset ne quis patrimoniũ alienaret, utq; antiquæ hæreditates conservarentur, eo more apud Leucada sublato populare factam eorum rempub. ἃ γὰρ ἔτι συνέβαινεν ἀπὸ τῶν ὁρισμένων τιμημάτων εἰς τὰς ἀρχὰς βαδίζειν. Capite item nono ejusdem libri Lycurgum reprehendit, quod patrimoniorũ venditionem vetuisset, permissa donandi ac testandi facultate: cum hinc tamen eadem incommoda oriantur. Num igitur ex bono reipublicæ Iustinianus IV.

nianus Cæsar laxaverit testandi illud frenum, & annon ex parte in gratiam quorundam testamenti captatorum illud sit factum, judicent prudentes. Sane iis perinde ut olim persæpe aulam illam abundasse, imo horum artibus ipsummet fuisse Cæsarem obnoxium, non patitur nos amplius ignorare Arcana Procopii historia, postquam illam ex Vaticanæ Bibliothecæ latebris produxit Nicolaus Alemannus. Nec enim Procopio non est fides ulla habenda, quoniam interdum est calumniatus; alioquin fidem omnem & Tabor decoxerit tot calumniarum convictus.

Sed non est hîc locus pro dignitate hoc quidem agendi. Facile tamen apparet velex hisce paucis quæ attulimus, potuisse me non uno nomine legitimam successionem, majoribus olim, ut hodieq; septemtrionalium permultis usitatam, testamentariæ præferre, neq; Taboris objectionem momenti ullius esse. Cum igitur tantum unius alicujus commodi causa morem priscum laudaverim, & quidem ejus qui apud omnes paulo prudentiores in confesso est, nonne loliginis succus est & mera ærugo illa Taboris vellicatio? An ex parte & ab juris quadam imprudentia est profecta? Sane sic satis doctum legulejum & lati juris peritum sese ostendit passim, prudentem sive lati sive ferendi juris perquam raro: de quo discrimine dictum alibi est accuratius, & Taborem fortasse jam docuit Antonius Faber, plenius autem docuisset Joachimus Hopperus vir summus, & de quo cive merito sibi Frisia gratuletur, si veræ jurisprudentiæ Tabor dedisset aliquando operam.

Cæterum Tabore relicto (cum enim eos qui violento affectu odioq; semel correpti fuerint perquam sit difficile sanare, *quod recte dicitur* Nov. 40. in f. præf. *frustra cum Tabore mihi multa res est*) revertor ad ea quæ Tacito quondam præmisi prolegomena. &c.

Helmestadij in Acad. Iulia XI. Kal. Sept. Anno c IↃ IↃ c LII.

HER-

HERMANNI CONRINGII

EPISTOLA AD LECTOREM

Operi de Finibus Imperij Germanici annexa

Contra I.O. Taboris nequissimas calumnias.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [329] - -
PUBLIC DOMAIN

HERMAN. CONRINGIUS BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

ANtequam dimittaris, Benevole Lector, audi sodes & judica insignem mihi factam injuriam. Dum hæc de Imperij Germanici Finibus edo, mittitur mihi non uno ex loco Joannis Ottonis Taboris Programma aliquod, Argentorati XII Septembris 1653 publice propositum, mire ingenium auctoris referens, κακῆς κέφαλῆς κακὸν ὠὸν, plenum ineptiarum, turgidum fastu, convitijs mendacijs & calumnijs in me aliosque nonnullos viros doctissimos refertum. Bona verba dicere illum, cum Programma illud publicaret, & locus & tempus jubebant. Invitandi erant spectatores scil. ad solennia diei sequentis, iique in id præparandi, ut candidatis laureæ doctoralis vultu & animo faverent. Id quod & ratio recta exigit, & solet agi à prudente quovis, imo ab omni cui sinciput est sanum. Tabor vero minuto charactere sesquipedales quidem tabulas deformat, sed vix tribus verbis agit id quod debebat: more autem suo (nec enim solet fere, ut legulejum agnoscas, nisi de argumento aliquo juridico declamare, etsi à re plane alieno) incipit mox de testamentis differere, quasi sacra funebria celebranda, aut hercisscunda aliqua hereditas, aut vero mortis candidati in crastinum producendi essent; in me autem calumniando & traducendo chartam omnem occupat, non prout sueverat aliàs, sed plane enormem in modum, ijs calumnijs quas ne à scurra quidem aliquo aut homine nequam

quam vel ſceleſtiſſimo nebulone (fateor) exſpectaſſem. Nec vero ſalſis me dicterijs excipit, quod non didicit homo ruris plenus, aut errores tantum in doctrina commiſſos perſtringit: quod ſolent interdum etiam literati, (bene an ſecus jam non diſputo,) ſed in vitam & mores meos mendaciſſime invehitur, plane ad exemplum eorum qui in fæce vulgi ſcurras agunt & improbos nebulones. Minitatur denique in craſtinum, illum qui locum extremum occupaturus erat candidatorum, dupondium tamen fortaſſis, inquiſiturum: *An probabilis ſit Novatorum* (mutato nomine de me fabula narratur) *diſtinctio inter Iuriſperitum & Iuriſprudentem.* Et vero poſtridie in ipſa ſolemni panegyri, cum ipſi Tabori, tum alijs, quantum intelligo, celeberrima declamatio fui, Novator, Stellio, & quid non? Conringius.

Non ſatis apparet, cur talia factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus. Certe furit.

Tantam ſane intemperiem neſcio an liceat æſtuanti paulo ante Sirio adſcribere. Eſt enim ſideris illius vis magna non in canes duntaxat, ſed etiam in canina ingenia. Verum cum in ipſum Armamentarium Juſtiniani (titulo cum reipſa collato *riſum teneatis amici.*) quod cis paucos dies in manus incidit, proceſſerit rabies, nec per hyemem quidquam mitigata, multum vereor ne qua major cauſſa male tutam mentem exagitet.

Leve fuit initium iræ. Demonſtraveram ego argumentis compluribus anno abhinc nono decimo, cum de Tabore nihil adhuc inaudiiſſem, Jus Germaniæ publicum ab eo quod in Corpore Juſtinianeo traditur multò eſſe diverſiſſimum, nec ad illius obſervationem Imperij noſtri

ſtri rempublicam adſtringi. Id ægre habuit Taborem? Forte quod credi mallet, ſeſe, ut illius juris longe peritiſſimum, in dubijs conſtituendæ tunc reipubl. negotijs præ alijs cum æris pleno ſacculo conſulendum, aut munijs reipubl. potiſſimis præficiendum; quæ ſpes omnis mea doctrina intervertebatur. Itaque libro de Metatis & Epidemeticis in ſpecimen ingentis ſcil. ſui in publico jure profectus edito, me & qui forte alij mecum idem hactenus docuiſſent, cum in epiſtola libro præfixa tantum non tanquam perduelles ad ipſummet Sereniſſimum Principem meum detulit, tum ipſo in libro indignis modis excepit. Silui ego aliquamdiu ad tam atrocem impetum: at cum liber meus de Origine Juris Germanici iterato ante hos ſex annos publicaretur, ac argumenti vicinitas pariter & bonæ cauſſæ fiducia invitaret, tandem illi adjunxi de Juris publici Juſtinianei in Germania auctoritate Diſſertationem; liquidò oſtendens, multa mihi à Tabore falsò afficta, reliqua inepte defenſa, omnia calumnijs convitijs & mendacijs fœde fuiſſe inquinata; ſimulque ipsâ meâ doctrinâ, quam impotenter adeo tractaverat, in medium propoſita, ad ejus ſolidam confutationem hominem provocavi. Ecquis non credidiſſet illum ſeculi noſtri (ſi Dijs placet) Tribonianum, doctis robuſtiſque argumentis propugnaturum tanto ſtrepitu tantaque animi contentione cœptam cauſſam? Ille vero mox in Racemationibus Criminalibus fatetur: Epidemetica commentanti mea non fuiſſe lecta: deſerit locum illum omnem, & alia quædam vellicanda aggreditur: nullâ juſtâ pugnâ, ſed more ſuo per nova mendacia & immania convitia. Adductus proinde ſum, in ea præfatione quam Taciti libro de Germanorum moribus ante biennium ad Lectorem præmiſi, retundere

nonni-

nonnihil hominis vesaniam; cumque illum inter alia tredecim novorum mendaciorum convicissem, denique pro ijs quæ de re testamentaria majorum nostrorum obiter ego antehac dixeram, adversus Taboricas ineptias quædam disputavi. Dixeram nimirum ego: *indubie ad præcavendas lites multum juvit etiam prohibita testamenti factio, eòque hereditatis ratio certa ac plana, qualem tum obtinuisse teste Tacito novimus.* Illis ipse objecerat quædam ex legibus novissimis Bohemicis, fere in eam sententiam scripta qualem præ se ferunt verba l. 1. codic. de SS. Eccles. *nihil esse quod magis hominibus debeatur quam ut suprema voluntatis liber sit stilus.* Ego autem ostendi, perperam illa meis opponi; simulque talem indefinitam licentiam stili ultimæ voluntatis omnium moratiorum gentium institutis adversari, nec ulli reipublicæ utilem, neutiquam vero illam hominibus quasi naturali jure deberi: innuens, crudum quid sonare verba istæc legis, eoque non debuisse mihi illa objici. Obiter subjunxi: Taborem videri sic satis doctum legulejum & peritum lati juris, non item vero prudentem juris sive jam lati sive ferendi: quæ inter multum tamen interesse, cum alios tum Antonium Fabrum & Joachimum Hopperum præclare jam docuisse. Omnia illa mea in medio sunt, Lector, & dictione plana simplicique exarata neque intellectum neque judicium cujusquam morabuntur.

Vltimis illis sentio mihi eveniisse quod Poëta observavit quondam solere, si bacchæ bacchanti quis adversaretur: ex insania enim in rabiem miser prolapsus est. In defensionem tot mendaciorum adfert nihil, nisi quod quædam eorum denuo evomat solito majore impudentia. Mox vero impetum facit in meam de Testamenti illa li-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [333] - 313
PUBLIC DOMAIN

la liberrima factione disputationem; sed, cùm statu controversiæ prorsus mutato, tùm argumentis meis plærisque dissimulatis, alijs in alienum sensum nunc ridicule nunc inique inter fœda convitia corruptis. Pudet referre hominis ineptias, aut ijs convellendis tempora tua, Lector, morari. Si tanti est, rogo te, saltim & mea & Programma illud oculo obiter pellustres: statim apparebit quid lupinis distent æra.

In gratiam eorum quibus sacra tabula illa visa non est, unicum duntaxat adferam. Verba mea hæc fuerant. *Caterum fac eam esse vim nativæ libertatis humanæ* (ut sc. supremæ voluntatis liber sit stilus) *nihilominus potest verum esse, illud testandi arbitrium causam multis litibus dare. Verum autem esse, utinam non usus doceret quotidianus! Omnes Pragmatici (verba sunt Franciſci Hotomanni Antitriboniani cap. 6.) fatentur, quod materia testamentaria sit fons & nutricula maximæ litium partis captionumque quæ ibi fiunt ubi jus civile viget.* Audi jam Taborem: *At ille patronum erroris sui advocat Hottomannum. Resp. scilicet hypobolimæum, vel certe hominem Gallum, neque minus novaturientem ac cum sequacibus Iulianus: plane ergo; Vara Vibiam, quippe cum uterque contra muneris leges & sacramentum, Justiniano insultare, in delitijs habeat. Proinde ejus auctoritas & corruptum per mores Gallicos V.C. Super 28. de privileg. & ibi not. judicium, non magis nobis sub imperio Germanico positis præjudicare debet, quam Præsidis Rhedonensis argumenta &c.* Num hæc sani hominis dixeris? Hottomannum non adduxi ut patronum sententiæ, sed testem ejus quod vulgo fit in vita communi. *Antitriboniamum* esse librum hypobolimæum non audet profiteri, & tamen profitetur timide. Iam quid illud? Num *homo Gallus* testimonium

nequit

nequit dare ejus quod in vulgus committitur? Qua de causa ego *Iulianus* audio? Num Hottomannus *in delitiis habuit Iustiniano insultare*, aut forte Iustinianei juris fuit imperitus? Per quos *mores Gallicos* fuit Hottomanni *corruptum judicium*? Num in capitulo *super specula*, illi mores Gallorum notantur, quibus corrumpi judicium solet? In medio illud est Lector: ubi evolveris miraturum scio intemperiem & corruptum judicium Taboris. Simul vero disces, qua fide leges ille soleat ex utroque codice in argumentum advocare: & vero qualis hæc citatio tales tantùm non sunt omnes. Quasi scilicet, quia in Francia olim Romanæ leges non obtinuerunt, & Parisiis alibique per Galliam doceri eas vetuerit Papa Honorius, ideo hodie Gallus aliquis de negotio Legum inidoneus est judicare: & quasi non ex adverso sit notissimum, jamdudum Galliam produxisse terrarum orbi ipsos Jurisconsultorum principes. Quasi item res testamentaria solis Germanis nobis esset cognita, aut Galli possent ignorare, libera testamenti factio pariat lites necne, cum tamen Gallia litium multitudine Germaniam fortè superet. Pudet ineptiarum. Juro autem tibi Lector, reliqua omnia Taborica quæ pro Testamenti factione vult videri adversus me disputasse, ejusdem notæ esse, multa etiam hisce ineptiora. Nec vero vel τὸ κρινόμενον, vel ullum argumentorum meorum, sive præ stupiditate ingenij, sive potius præ summa animi intemperie, assecutus est, argumentis meis annumerans illa etiam quæ ego directe impugnavi.

Nihil hominem perinde momordisse videtur, quàm quod inter legulejos illum rejecerim, negata ipsi laude prudentiæ juris: quum existimet sese esse Jurisprudentum hodie ἄλφα. Itaque numquam magis quam hoc ulcere tacto incandescit.

Turpia dilatant patulos convitia rictus.

Ego vero nunc longe in sententia isthac viso Programmate illo factus sum confirmatior, quum usque adeo Tabor prodat, ignorare sese, quid verè sit prudentia juris quantumque illa distet à juris quadam peritia. Audiat ex me paucis discrimen illud. Possunt jura reipubl. alicujus sciri, aut ita tantùm ut scias quidem quid sit latum quidve obtineat, nescias tamen ex usu sint reipubl. jura illa necne: aut potest simul cognosci omnium reipubl. institutorum utilitas & noxa, imo quales leges in quaque republ. ferri oporteat. Inter utramque illam notitiam ingens discrimen esse, ecquis non videt? Posteriorem etiam priori multum antecellere, itidem in propatulo est. Attamen & priorem illam reipubl. esse salutarem suaque laude nequaquam fraudandam, nemo quoque negaverit: & sanè in judice forensi sola hæc satis est. Iam vero omnis illa notitia sine discrimine nomen meretur peritiæ alicujus juris: non perinde tamẽ digna est prudentiæ cognomento, utpote quum vere prudens is demũ sit, qui novit quid expediat aut noceat: quæ cognitio cum non semper adsit in priore illa peritiæ juris specie, utiq; palã est non illam semper mereri prudentiæ titulum. Quod si tamen quis etiam illa peritia instructus possit secundum jura causas & negotia hominum disponere & dijudicare, nihil vetat quo minus ille hactenus etiam prudens audiat. Levia hæc & facilia & plana sunt; & tamen ignoravit Tabor. Indubie nenunc quidem præ fastu & animi impotentia ex me hæc discet. Legat ergo tantùm Joachimi Hopperi præclarum illud opus de Vera Jurisprudentia, & quidem cum primis quatuor ultimos titulos libri quarti. Nec vero hæc lectio erit infra Taboricam dignitatem: quum Hopperus JCtus fuerit summus.

mus, munere primùm Professor Academicus perinde ut Tabor, inde Consilij secretioris Belgici regius Senator, demum equestris ordinis & rerum status Germaniæ inferioris apud Philippum Hispaniarum Regem Consiliarius, ac magnus sigilli præfectus. Ne pudeat à viro tanto discere, quod hactenus ignoravit Jurisperitorum non ἄλφα quidem, fortassis ὁμικρὸν tamen. Ipsemet tum, excussis viribus suis, faciat periculum saltim in una aut altera lege sui in vera illa juris prudentia profectus. Hactenus ego sane nullum veræ istius prudentiæ potui in illius scriptis vel leviſſimum aliquod vestigium invenire: si liceat præ indignatione Taboris verum profiteri. Non itaque Tabori injuriam feci, quando dixi: illum *sic satis doctum legulejum & lati jurisperitum sese ostendere passim, prudentem sive lati sive ferendi juris perquam rarò.* Et vero annon cum alibi, tum in doctrina de Altero tanto, talem omnino sese universæ Germaniæ ostendit? Annon ipse sanctissimus & prudentissimus Imperij judicum consessus de homine illo ita mecum judicavit? Annon passim explodituir illius sententia quam adversus me suscepit defendendam: teneri Germaniam ad observantiam Juris Justinianei ita ut ab illo discedere sit nefas? Et vero quid alienius est à prudentia legislatoria, quam leges in usum παμβασιλείας alicujus latas nostræ reipubl. obtrudere? Annon itaque omnium judicio ejus in ferendis legibus imprudentia notatur? Quur in me solum sane hac de caussa usq; adeo sæviat, non sit mea aliqua singulari culpa.

Fudit vero atrocissimas calumnias in corporis staturam, in doctrinam, in vitam denique & mores meos. Quibus vindicandis utinam liceat judicia advocare in auxilium! Verum eo ferè redierunt tres nostræ, ut vitia leges & judicia

judicia in potestatem suam redegerint, neque liceat ex foro nisi tardum pariter & molestum remedium exspectare. Nec vero in calumniatores severe, prout par erat, hodie animadvertitur: & si velis hoc agere infinitæ tibi molestiæ cum sumptuum ingente jactura perferendæ fuerint. Optimum præsidium in recti conscientiâ cum meâ tum aliorum colloco. Scripta scil. mea varij generis sunt in medio, & leguntur non in Germania tantùm sed Italia Gallia Britannia & alibi: idonea proinde calumnias Taboricas diluere, quibus & imperitiæ & nescio quorum non perversorum dogmatum, quæ numquam mihi in mentem venere, inique postulor. Brevior statura caret culpa: ut longior nihil addit solidæ laudis. Vivo porrò in luce hominum, & amplissimis muneribus fungor: quæ non patiuntur ignorare vitam & mores multa hominum millia. Ad omnium illorum testimonium audeo fronte intrepida provocare, *integer vitæ scelerisq; purus:* certus neminem temere fore, qui Taboris calumnias & mendacia non aversetur. Testem Deum invoco, me studiose licet examinatis omnibus meis, hactenus ne ansam quidem invenire potuisse calumnijs plærisque. Stellionatus ad Aquas Hornhusanas commissi crimen impingendi, quem prætextum possit impudentissimus sycophanta adferre, nescio profecto, nisi illum mutuari velit à charta quadam meo nomine publicata. Illam vero neque à manu neque à mente mea fuisse profectam semper professus sum, & nunc adeo repeto. Neque vero hactenus resciui, vel ubi vel quo curante charta illa lucem viderit. Non tamen etiam illa quidquam à vero alienum jactavit, pene ad verbum scil. descripta ex libro Joannis Theodori Tabernæ montani, quem de Aquis ille nostrate lingua per-

eruditum

eruditum edidit, & quidem ex secundæ partis cap. primo quod agit de Viribus aquarum salsarum, cujusmodi erant Hornhusanæ. A me quenquam hominum isthuc inanibus promissis vocatum esse, turpe est & improbum mendacium. Gibbosis nanis proceritatem ab illarum aquarum usu si vult Tabor me esse pollicitum, nequiter mentitur. Excrescentias quasdam subcarnosas, quæ imperitis gibbum fingebant, ab aquis illis detumuisse, certum est, & ab aquis salsis non alienum.

Sed quid immorer mihi purgando à nequissimis calumnijs maledici sycophantæ, quum famam liceat aliquot mille hominum, qui me propius norunt, testimonijs secure committere? Nec vero operæ fuerit pretium cum Tabore super fama mea contendere: utpote qui turpi & fœda maledicentia dudum boni viri nomen decoxerit. Soli, quos summo viro Claudio Salmasio opposuit libellos, satis prodiderunt, quam sit in scurrilem vilitatem usque abjecta ad convitiandum & mentiendum lingua. Multo minus est, quur imposterum super serio aliquo argumento cum illo controvertam. Ipsemet mecum ita judicabis, scio, Lector, expenso, quemadmodum hactenus in defendenda Justinianei juris auctoritate, aut pro Testamentorum faciendorum licentia, sese gesserit. Et sane quî disputes cum eo, quem animi impotentia non sinit unquam vel controversiæ statum vel vim argumenti pernoscere, quive ex adverso pro rationibus non nisi fœda maledicta & mendacia adfert in medium? Nisi igitur vehementer fallor, licebit mihi imposterum jubere hominem illum res suas habere, & meliori menti committere, donec rabie deposita cum sanitate cerebri in gratiam redeat. Tuo tamen, Lector benevole, judicio permitto, quid

facto in futurum sit opus. Si prout decet in bona & utili disputatione, velit sese deinceps gerere Tabor, & à scurrilibus convitijs abstinere, fateor fore mihi gratissimum, cum illo præclaras aliquot controversias in commodum publicum agitare. At num liceat sperare, ut Æthiops mutet pellem? Quicquid sit, prout judicaveris, Benevole Lector, ita me præstabo: hoc est, aut tacebo, quod mihi videtur consultissimum, securus famæ & spretis calumnijs; aut nonnisi de serio argumento disputabo. Nec sane velis tempus & operam, bono publico dicata, abs me perdi. Vale Lector, & sicut feciſti hactenus porro fave.

EXCER-

EXCERPTVM EX

HERMANNI CONRINGII

EPISTOLA PRÆFIXA

HOPPERI VERÆ IVRISPRVDENTIÆ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [341] - -
PUBLIC DOMAIN

SEd hoc discrimen variæ lati juris peritiæ, quodq; adeò hæc demum præ alijs Prudentia Juris sit, quum reliquæ plæræq; non nisi commune illud Peritiæ nomen mereantur, intelligere fortasse non multum est difficile. Videtur sane illa jam assecutus, ipsemet meus stupidus adversarius. Novisti hominem, Vir Magnifice: ideoque nolo ejus nomine chartas maculare. Etsi enim antehac me petiisset isthac sua quæstione: *An probabilis sit Novatorum distinctio inter juris peritum & juris Prudentem*? inq; solemni Panegyri eam adversus me curasset ab uno dupondiorum suorum magnis clamoribus agitari, in nuperrimis tamen cerevisiarijs thesibus scripsit: *cardinem controversiæ nostræ versari* in ijs quæ Hopperus habet initio tituli 23. libri quarti, ibi vero ab Hoppero gravissimis verbis sententiã meam damnari. Summa autem doctrinæ illius loci hæc est: *Politicam legum interpretationem in Senatu & republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum rectè latæ sunt inquiritur, potissimum versari: eoq; nec in communibus scholis tractari debere: ubi leges ipsas juvenes, nisi triginta quinq; annos nati & composito sint animo, non autem judicium de legibus, quas ceu par est colere oportet, addiscere debent: neq; in foro & tribunali ubi secundum leges non de iis est judicandum.* Quorum cum nihil adversetur illi à me propositæ inter juris Peritiam & Prudentiam differentiæ, sed omnia potius ipso statim initio illam roborent, videtur homo, velle hoc jam incauto lectori persuasum: quasi de ipsa illa differentia nihil inter nos fuerit controversiæ, sed fortè de eo: an juris lati prudentiã vel censuram Politicam fas sit in communibus scholis doceri, idq; ipse negaverit cum Hoppero ego affirmaverim. Qualibus figmentis (nec enim illam quam fingit controversiam ego unquam vel verbulo tetigi) mos est hominis, quærere effugia quando captus & convictus est: tanquam scilicet hac ratione in tuto collocetur illius pristina jamque agnita insciti. &c. *Helmestadii Kal. Sextil. Anno 1656.*

GEORGII

GEORGII CALIXTI

τῦ πάνυ

SENARII

ad Ampliſſimum Virum

JOANNEM LÜNINGIVM

Conſiliarium Brunſvico-Lyne-
burgicum.

Helmeſtadi,
Excudit HENNINGVS MVLLERVS CIↃ IↃ C XLVI.

Ss

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [343] - -
PUBLIC DOMAIN

PLeroſque magna inceſſit admiratio,
Inter profeſſos Chriſtiana dogmata
Tot juris & legum peritos ſingulis
Prodire in annis, & referre lauream
Teſtem eruditionis atque induſtriæ;
Nec litium tamen minus deprendier,
Nec terminari rectiùs, nec ocyùs,
Quàm numinis veriqúe cultus neſcios
Inter viros; quin imò & infeliciùs,
Per ſecla protrahuntur, & mortalium
Ætatis ultra limites & tempora.
Moriuntur illi & obruuntur pulvere,
Lites perennant, inéque molem ampliſſimam
Voluminum excreſcunt, & immenſas ſtrues,
Queis bajulandis vix pares cantherij.
Sine fine ſic non una pendet litium
Aſtrææ in ipſo myrias ſacrario.
Exempla quis cognovit umquam talia
In urbe Cecropis, vel urbe Romuli,
Vel inter Indos, vel Tomitanos Scythas?
Viduæ gemunt, & pauperes, & orphani;
Certant familiæ totæ, opesqúe prodigunt,
Dum profugam aucupantur & vagam Themin,
Odiisqúe colliduntur infeſtiſſimis.
Ita exulant & æquitas & caritas,
Queis nil cluet dignum magis Chriſti adſeclis.
Ipſe intuetur ex olympi regiâ,
Quid rerum agant tanto ſuperbi nomine,
Quiqúe eminent peculiari ex gratiâ
Tumultuoſos orbis inter incolas:
Doletqúe & indignatur, & mille ingerit
Plagas, aliam ut exorbitantes in viam
Reducat. Inclamavit olim Apoſtolus

Tar-

Tarsensis ille maximus, plenus Deo:
Si litigatis Christiani, magnus est
Defectus in vobis: sacræ vel infimos
Ecclesiæ viros locate judices,
Qui vestra controversiosa sopiant.
Tanti tamen fecere sancti antistites,
Ecclesiæ vigentis incluti duces,
Lites dirimi & iniquitatem comprimi,
Ne per diutinam dissidî discordiam
Odia invalescerent, ut ipsi tædium
Et audiendi & arbitrandi admitterent,
Atque impetus certantium compescerent.
Non id quidem, quum Christianos Cæsares
Indulsit orbi Conditor, tantæ, ut priùs,
Necessitatis; interim clarissimo
Hipponis, aliisque optimis episcopis
Operosus hic labor satis mansit diu.
Hodie, sui quod muneris fuerit, agent,
Si diligenter auribus fidelium
Quod idem Apostolus docebat, insonent,
Nec seriâ inculcare voce desinant:
Homines iniquos, fraude qui faciant suum
Vel arte, vel quocumque commento ingenî,
Quod non suum sed proximi esse noverint,
Hereditate, quam piis dabit DEVS
Cœlesti in aulâ sempiternam, excludier.
Aut hac carendum, aut abdicandas sordidas
Cupidines, nec transferendas perperam
Actus in improbos, ad alteri sua
Vel auferenda vel neganda subdolè.
Hac imbui sententiâ fidelium
Mentes oportet, atque præpararier.

Erit alterum, ut quid sit meum, quid sit tuum,
Quid in quibusvis sit cuique casibus,
Doceant breves leges, apertæ & cognitu
Faciles. Nequit quod comprehendi legibus,
Id arbitris committier prudentibus,
Et non in amplos ire commentarios,
Rectum est. Ita bene Ecclesia & Respublica
Habebit, & Deiira mitigabitur.
Ita domina erit ars artium Politice,
Et illius ministra fida & obsequens
Dicastice, ad nutus heræ tam consulet
Placidæ quieti quàm saluti civium.

LVNINGE, curæ nunc ab annis plurimis
Tibi est utraque, Dicastica & Politica.
Ad quas per aptos literarum & artium
Et optimarum disciplinarum gradus
Enixus, alto consides fastigio.
Testatur aurum, testis ostro fulgida
Tiara, nec non quidquid hîc solennium.
Sed quidquid hîc solennium, totum nihil
Vel fumus est, vel umbra & umbræ somnium,
Præ rebus ipsis, præque publico bono,
Bono unico. Virtus & eruditio
Sibi ipsa merces sunt opima, ampliſſima:
Et quod reapse publicè prodest opus
Adamantino æviternitatis marmori
Insculpitur; dein ad columnas arduas,
Quæ orbis theatrum fulciunt, suspenditur.
Legentque laudabuntque sera secula,
Et universa posterorum natio:
Laudabit & remunerabit optimus
AUGUSTUS ille Guelfus, inter Principes
Virtute & eruditione maximus,

QVÆSTI-

QVÆSTIONES

DE IRNERIO HISTORICÆ,

A

IVRIS PONTIFICII ET CÆSAREI
COLLEGIIS BONONIENSIBVS
excussæ Decembri MDC XLI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [347] - -
PUBLIC DOMAIN

D. BARTOLDO NIHVSIO
S. P.

VT noſtris auribus pergrato Dominationis Veſtræ deſiderio obſequeremur, quatuor ex noſtris Doctoribus injunximus onus diligenter conquirendi, ex ſuperextantibus antiquitatum iſtius patriæ monumentis, quæ de Irnerio à nobis percontatur. Quorum relatio nobis facta, cum viſa fuerit ex omni parte abſoluta atque fidelis; eam Dominationi Veſtræ tranſmittimus. Cui, nos ad omnia alia paratos offerentes, ſummam precamur felicitatem. Bononiæ, die 17 Decembris, 1641.

D. V.

Addictiſſimi

Franciſcus Palæotus, Collegij Pont. Prior, ac Bonon. Archid.

Dominicus Odofredus, Collegij Juris Cæſarei Prior.

RELA-

RELATIO QVATVOR DOCTORVM.

Ill^mi & Exc^mi Patres.

EXactis menſibus, nobis ex munere delegaſtis, ut Clariſſimo ac Eruditiſſimo Bartoldo Nihuſio, percontanti, (& cujus comendationi penes vos Juris Pontificij ac Cæſarei Collegas Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Fabius Chiſius, Epiſcopus Neritonenſis, pro S. Sede Apoſtolica, ac Sanctiſſ. D. N. Papa, Coloniæ Nuntius, promtè literas præſtitit,) quonam adſcitus imperio, quando Leges illuſtraverit, quo labente ſæculo, & quo demum ſub cœlo *Irnerius* naturæ legem expleverit, ſeriò reſcriberemus.

Nos ut voto pareremus, omnia Patriæ monumenta curioſe perluſtravimus, omnia veterum Juris interpretum ſcripta ac edita, Odofredi vel maxime, qui præceptores *Irnerio* coævos audivit, aſſiduè obvolvimus; ſolum tandem annalium Italicorum, ac Patriæ, vomere laboris invertimus; denique in hujus rei pertractandæ ſententiam ſinguli ivimus.

Ante Lotharium II Imperatorem, Theodoſii Junioris ac aliorum privata lege, Artium ſtudia Bononiæ juſto floruiſſe principio, tum Hiſtoricis, tum Odofredo vel plurimum in *l. Ius civile, de juſtitia & jure*, proditum eſt.

Juris autem civilis ſtudia repullulaſſe, dum Artium Magiſtri de Axe & Aſſe diſputantes, à legislatorum arcanis ingenuam rei veritatem expeterent, conſtans fama, Henrici de Secuſia Cardinalis Hoſtienſis ampliſſimo cumulata teſtimonio, jamdiu celebravit; is namque, ſcholaris in Jure Civili

Civili D. Azonis, *in c. pr. extr. de Teſtam. n. 2.* verbum As cum exponeret, ſcripſit: *As, id eſt, duodecim unciæ; As ergo quandoq; ponitur pro obolo; propter quod verbum venit Bononiam ſtudium Civile; ſicut audivi à Domino meo*, id eſt, Azone.

Cumq; Henricus hæc ab Azone retulit, qui Soldanum habuit parentem, *Irnerio* coætaneum, (fato ceſſit Azo anno labente ducenteſimo decimo ſeptimo ſupra milleſimum, jam ſenio confectus, cum à ſcholis vacaretut; id narrante in vita Azonis ſedulo Bononiæ antiquitatum indagatore Nicolao Alidoſio, in ejus opere, inſcripto, *Li Dottori Bologneſi di legge Canonica è Civile*, fol. 2.) à Soldano parente hæc potuit audiviſſe Azo. *Irnerius* itaque, ab alijs & *Guarnerius* nuncupatus, natione Germanus, cum antea Ravennæ artes profiteretur, poſtmodum Bononiam evocatus, ubi cum alijs artium Magiſtris Axis & Aſſis in diſputationem incidiſſet, ab artibus ad ſtudium legale progreſſus, legibus operam pervigilem ſolvit, in volvendiſque Codice, Digeſto veteri & novo, ac Inſtitutionibus tunc Bononiam perlatis, dehinc Infortiato tribus partibus mutilato ac poſteâ perfecto, ac demum libro Authenticorum invento, (Odofredo teſte, in *l. querebatur, in fine ad l. Falcidiam,*) nunquam feſſus excubavit: quo haud infeliciter peracto, in Civili facultate docentis munera Bononiæ fuit auſpicatus, ejusdem Odofredi teſtimonio, in *Authentica, qui res, n. 3. C. de ſacroſanctis Eccleſiis:* qua de re ſe fuiſſe à majoribus eruditum, cum ibi profiteatur, audiveritque Jacobum Balduinum & Azonem, Azo autem Bulgarum, qui vita exceſſit anno centeſimo ſexageſimo ſexto ſupra milleſimum, Odofredi authoritati, majorum ex ore tunc florentium prædicta enarrantis, haud eſt dubiè ſubſcribendum; & eò vel maximè, cum eodem Odofredo, *Irnerium* inter legum Doctores

res ſuggeſtùs locum primò obtinuiſſe, Forſtero, Fichardo, Cotta, & Sigonio adſtruentibus.

Ab anno autem centeſimo vigeſimo octavo ſupra milleſimum, Bononiæ Juris publicæ profeſſioni exordia dediſſe, priſcorum tradunt memoriæ, ad hæc uſque tempora conſtantiſſimè perductæ. Eapropter publici gymnaſii noſtri inſigni loco, ubi Legislatorum Juriſconſultorum ac interpretum quamplures non ementitæ conſpiciuntur imagines, illa *Irnerij* hunc titulum promeruit: *Irnerius omnium primus leges commentatus eſt anno MCXXVIII*; idem comprobante Alidoſio, (concive, de patria optimè merito, qui ſummis vigiliis, indefeſſisque laboribus octo perluſtrata tabularia publica, ac cœnobiorum archiva, ſtudio pertinaci cum excuſſerit, Viros præſtantiſſimos, & egregia eorum facinora, quæ jam diu hominum memoriam exceſſerant, luci velut poſthumæ reſtituit,) libro, cui inſcripſit *li Dottori Bologneſi de legge Canonica è Civile*, in præfatione ad lectorem, ibi, *l' Imperatore Lothario 2 diede ordine à Guarnerio detto Irnerio Tedeſco, il quale in Bologna leggeva filoſofia, che publicamente le dichiaraſſe, il che egli cominciò à fare circa l' anno* 1128: idem repetente alio in libro Doctorum forenſium in artibus, in verbo *Guarnerius*.

His addimus Sigonij teſtimonium de Regno Italiæ, lib. II, in calce anni 1137, Vrſpergenſis etiam opinionem expugnantis. Cui ſubſcribit Joannes Bonifacius, Hiſtoriæ Tarviſinæ lib. 3, fol. 147, hæc enarrans: *Guarnerio ſommo Giureconſulto cavò à quel tempo fuori delle tenebre i libri della raggion Civile, i quali per le tirannidi de Barbari nemici della Giuſtitia, & delle giuſte leggi ſtavano già multo tempo come eſtinti, e gl' emendò, ordinando Lothario, che ſi leggeſſero nelli Studij, e che ſecondo queſte leggi ſi reggeſſe il ſuo Imperio.* Non igitur

igitur jussu Mathildis, ut fert opinio Vrspergensis, sed Lotharij; tum quia Mathildis è vivis excesserat anno centesimo decimo quinto supra millesimum, IX Kalend. Augusti; cujus hac in re Jura, vel haud necessaria, cum jura Romana tunc legis vim non haberent, vel non sufficerent, cum certis tantum Civitatibus & Oppidis non toti Italiæ imperaret; tum quia Bononiæ nunquam imperavit Mathildis; Vrbs enim, ut ex publicis Archivi documentis erudimur, receptam libertatem solis refert Imperatoribus; ideò legitur in Magno Registro fol. 17, ab anno 1116, idibus Maij, Henricum Imperatorem per flumen Padi Bononiensibus Sacri ejus Imperij fidelibus liberam & sine censu navigationem indulsisse, & æquè ab anno centesimo decimo quarto supra millesimum Canonicis Bononiensis Ecclesiæ prærogativam alienandi bona detulisse: ergo, & ante & post Mathildis funera, justis Imperatorum cohonestati privilegiis, Imperatori, & non Mathildi, obsequia Bononienses præstitere. Nec te turbet, quod Sigonius, de rebus Bononiensibus, sub anno centesimo secundo supra millesimum, ex Vrspergensi retulerit, *Irnerium* Pandectarum interpretationem jussu Mathildis fuisse auspicatum; tum quia ibi se gerit Sigonius, non ut comprehensor, sed ut purus relator opinionis Vrspergensis illius, quam aliàs in Historia de Regno Italiæ consultò expugnaverat; tum quia, cum Sigonius interierit necdum Historia Bononiensi absoluta, Illmi Senatus decreto, ne Auctoris fides labasceret, id suppressum fuisse, publica Vrbis testantur tabularia.

Sanxit autē Lotharius, ut opinamur, de Legibus Civilibus publicè interpretandis, & quod solæ in foro dicerentur, ab anno centesimo trigesimo septimo supra millesimum:

ut

ut propterea non temerè credendum sit, *Irnerium* antè privata auctoritate interpretationi Legum initia dedisse, & postmodum Lotharii lege, in Italia commorantis, id sancitum.

Siquidem cum in foro Jura Romanorum necessariò non dicerentur, & Itali vel maximè Longobardicâ vel Salicâ regerentur, aut Romana lege; vetusque prohibitio, ne Iura Civilia alibi, quàm Romæ Constantinopoli ac Beryti traderentur, jam penes homines frigeret; *Irnerius* idcirco privata authoritate Iura Civilia Bononiæ cœpit exponere.

Neque subscribendum est, Lotharium facultatem Iura publicè interpretandi Bononiensium supplicationi priùs condonasse. Ipsi namque Corrado, Ducis Sueviæ fratri, (qui se Germaniæ Regem profitebatur, illudque Regnum hæreditario velut jure sibi vindicabat, contra Lotharium Italiam obtinebat,) sese applicuere, ac ei ab anno centesimo trigesimo tertio supra millesimum copijs penè destituto Italiam repetenti unà cum Æmilienſibus studio Corradi cum illuserint, eundem rectâ ad Appenninum, ut Pisis Innocentio summo Pontifici ejusq; copijs conjungerentur, repulerunt; Corradus autem Bambergæ Lothario conciliatus ab anno centesimo trigesimo quarto supra millesimum Regale diadema restituit, & Lotharius ab anno duntaxat centesimo trigesimo sexto supra millesimum, intercessore Henrico Bavariæ Duce, Æmilienſibus ac nobis supplicibus veniam dedit.

Quo anno, mense Novembri, cum ferè omnes Itali Principes in Roncalijs convenerint, ut de Jure ministrando subditis Imperij, & Italis vel maximè, quàm graviter discuteretur, enarranre Sigonio de Regno Italiæ lib. 11;

& ſumitur ab exordio legis cujuſdam conditæ per Lotharium de Iure Civili in ſcholis publicè interpretando; utque illud in foro diceretur, ac litium ambigua facta, legum Romanorum imperio, derimerentur, tunc non antè, Lotharius, Principibus ſuffragantibus, decreto conſtituit.

Quod autem *Irnerij* obitum reſpicit; etſi retulerint Valentinus Forſterus & Fichardus, illum exceſſiſſe Bononiæ anno centeſimo nonageſimo ſupra milleſimum, labuntur tamen in tempore; cum *Irnerij* funera ante annum centeſimum quinquageſimum octavum ſupra milleſimum fuerint celebrata, atteſtante Cardinale Baronio, lib. 12. Annalium ſub dicto anno 1158. impreſſionis Ticinenſis fol. 264; qui ex Chronologia Laudenſi Ottonis Murenæ ſic effatur: *Hoc anno*, id eſt, 1158, *Dominus Imperator Fridericus in Roncalia colloquium in S. Martino proximo veniente maximum ſe conſtituit habiturum, præcepitq; omnibus fere Italiæ Principibus, atq; Civitatum Conſulibus, ut ipſi colloquio intereſſent; ad quod etiam quatuor principales legis Doctores, videl. Dominos Bulgarum, & Martinum Goſium, Iacobum, atq; Hugonem de Porta Ravegnana, Bononiæ Magiſtros, intereſſe fecit. Iſtorum autem quatuor Doctorum, & quamplurimorum aliorum, fuit Dominus Guarnerius Doctor antiquior; ad quem, cum in extremis laboraret, acceſſerunt ſui ſcholares, dicentes: Domine, quem vultis poſt mortem veſtram Doctorem nobis conſtituere? Quibus ipſe reſpondit per duo carmina infra ſcripta; quæ qualia qualia non pigeat retuliſſe.*

Bulgarus os aureum; Martinus copia legum;
Hugo mens legum; Iacobus eſt quod ego.

Vt propterea poſt *Guarnerium* Jacobus è ſuggeſtu primus Bononiæ leges interpretaretur; & quo ex loco erudimus antea *Irnerium* naturæ conceſſiſſe: namq; ſi hominem tunc egiſſe,

egisset, eundem Imperatori conterraneum, cæterisque ætate atque doctrina legali præstantiorem, Imperator ipse Fridericus, ut ab ipso Iura Imperij in Italia sciscitarentur, convenisset, non solos illos Juris Magistros, & dudum ejusdem *Irnerij* alumnos. Addamus Ottonis Murenæ testimonium, gesta in morte *Irnerij* enarrantis; qui jam Imperatoris Friderici gestorum conscriptâ historiâ, anno centesimo sexagesimo secundo supra millesimum diem fatalem clausit: & præterea Accerbi Murenæ, parentis historiam continuantis ad annum centesimum sexagesimum septimum supra millesimum, quo & ipse Senis, 14. Kal. Novemb. naturæ lege functus est.

Imò non est cur longè argumenta petamus, *Irnerium* ante annum centesimum quinquagesimum supra millesimum excessisse è vivis. Nam cum referat Baronius ex Murena, D. Jacobum de Porta Ravegnana *Irnerio* superstitem ad publicum legale suggestum Bononiæ successisse, & legamus præterea, eundem D. Jacobum à dicto anno centesimo quinquagesimo supra millesimum publici legum interpretis munera Bononiæ sustinuisse, penes glossam in *c. post appellationem, §. forma*, in verbo *1141, 2. q. 6.* ibi, *Fuit enim editus iste liber S. Decreti, docente Iacobo Bononiensi in legibus, & Alexandro in Theologia, qui fuit postea Papa Alexander 3. & fuit anno Domini 1150, ut ex chronicis patet*; ex his erumpit, *Irnerium* actis jam temporibus decessisse.

Ampliùs, cum à Gratiano Decretorum liber fuerit editus à dicto anno 1150; in quo non semel allegat Authenticorum fragmenta, ab *Irnerio* translata, & Codici inserta, ut in *c. ea etiam, §. hoc Ius porrectum, 6. q. 23.* ubi verba registrantur Authenticæ *hoc Ius porrectum*, Authenticæ *præterea*, Authenticæ *sicut*, & aliorum: idcirco non

non potuit antea *Irnerius* Authenticas Codici non inseruisse: confertque ad hoc Alidosii auctoritas, qui dictum Jacobum de Porta Ravennata sub dicto anno 1150 collocavit, dicens *Giacomo di Porta Ravennata, 1150, fù famosissimo Glosatore del Ius Civile*; quo sub tempore nec non constituit Martinum Gosium, *Irnerij* discipulum: ut concludere ex his oporteat, antea *Irnerium* cessisse fato.

Bononiæ interiit *Irnerius*, docente Forstero, & suffragantibus antiquis traditionibus; quibus adstipulantur à verisimili, quæ ex Ottone Murena in Chronologia Laudensi, loco anteacto retulit Baronius, quod sibi animam agenti assiderent Bulgarus de Bulgaris, Martinus Gosius, Vgolinus & Jacobus fratres de Porta Ravennata, Doctores è prima Bononiensi Nobilitate, ac *Irnerij* dudum auditores.

Ex his autem obiter palam fit, quàm tota erraverint via Forsterus & Fichardus, eruditissimi alioquin Viri, cum tempora *Irnerij* mortis retulerunt: nam Bulgarus de Bulgaris, qui cum alijs *Irnerij* scholaribus præceptoris morti præfuerat, teste Alidosio, Bononiæ ob mortem desideratus est anno 1166, ad Divi Proculi ædes tumulatus: igitur anno 1190, & 1166, *Irnerij* funera præcessere.

Sepulcri locus ignoratur, sicut & Martini, Jacobi de Porta Ravennata, & Jacobi Balduini; opibus, nec non insignium ac natalium splendore, ad posteros haud degeneres longa annorum serie transmissis; cum & marmoreæ tabulæ, & cenotaphia, temporum injuriis fortè conciderint, aut incendio consumpta sint, aut à principio nulla fuerint constructa.

Die

Die 14. Decembr. 1641.

ILlmi & Exmi DD. Priores & Doctores utriusq; Collegij, videl. Juris Pontificij, & Juris Cæsarei, Civitatis Bononiæ, congregati in Sancto Petro, & mansione solita eorum collegiali, in termino Cedularum traditarum & affixarum domi omnium Excellrum DD. Doctorum Bononiæ existentium per Bidellos &c. ut retulerunt pro præsenti die & hora 22, pro præsentatione Illustr. D. Nicolai Vbaldini de Vrciis, Concivis Bonon. pro se Doctorandi in V. l; in quibus Cedulis aderat clausa & ex alijs; Habito colloquio inter eos super negotio Coloniæ; approbarunt relationem auditam, & remiserunt DD. Assumptis id, quod supereſt agendum. omni &c.

Ego Julius Spontonus Civis publicus, Apostolica, Imperiali, & Communitatis Bonon. auctoritatibus Notarius, & dicti Sacri Collegij Juris Pontificij Secrerarius & Scriba, de suprascriptis rogatus fui una cum infrascripto Mco D. Pyrrithæo Bellioſſo. etiam Cive & Not. pub. Bonon. & supradicti Ven. Collegij Jur. Cæs. Scriba & Secr. In quorum fidem hîc me subscripsi, & subsignavi.

Locus signi.

Ego Pyrrithæus Bellioſſus, Civis & Not. pub. Bonon. & supradicti Venerandi Collegij Jur. Cæsarei Secretarius & Scriba, de supradictis rogatus fui una cum supradicto Mco D. Julio Spontono, etiam Civi & Not. Bononiæ, & supradicti Sacri Collegij Jur. Pont. Scriba & Secretario. In quorum fidem hic me subcripsi & subsignavi.

Locus signi.

Nos

Nos Concitor & Conſules Almi Collegij Notarior. Bononienſ.

Vniverſis &c. fidem facimus, & atteſtamur, ſuprascriptos MM. DD. Julium Spontonum & Pyrrithæum Bellioſſum fuiſſe & eſſe Cives & Notarios publicos Bonon. fide dignos, & in Matricula dicti Almi Collegij deſcriptos, eorumque & cujuslibet ipſorum ſcripturis publicis & authenticis ſemper adhibitam fuiſſe & indies ubique plenam adhiberi fidem in Judicio & extra. In quorum &c. Datum Bononiæ, die 24. Decembris 1641.

Locus ſigilli Collegij Notariorum Bononiæ.

Jacobus Caſarius, dicti Collegij Notarius.

CAROLI

CAROLI MAGNI

CAPITVLARIA DVO

DE REBVS SAXONIÆ.

Juxta exemplar Romæ editum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [359] - -
PUBLIC DOMAIN

CAROLI MAGNI CAPITVLATIO DE PARTIBVS SAXONIÆ.

Ex antiquißimo MS. Palatino bibliotheca Vaticanæ.

Hæc de partibus Saxoniæ conſtituta ſunt.

PRIMVM de majoribus capitulis hoc placuit omnibus, ut eccleſiæ Chriſti, quæ modo conſtruuntur in Saxonia, & Deo ſacratæ ſunt, non minorem habeant honorem, ſed majorem & excellentiorem, quam fana habuiſſent idolorum.

I. CAPIT. Si quis confugium fecerit in eccleſiam, nullus eum de eccleſia per violentiam expellere præſumat, ſed pacem habeat uſque dum ad placitum præſentetur; & propter honorem Dei, ſanctorumque eccleſiæ ipſius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem cauſam, in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum, & ſic ducatur ad præſentiam domini regis, & ipſe eum mittat, ubi clementiæ ipſius placuerit.

II. Si quis eccleſiam per violentiam intraverit, & in ea per vim vel furtum aliquid abſtulerit, vel ipſam eccleſiam igne cremaverit, morte moriatur.

III. Si quis ſanctum quadrageſimale jejunium pro deſpectu Chriſtianitatis contempſerit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen conſideretur à ſacerdote, ne forte cauſa neceſſitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem comedat.

IV. Si quis epiſcopum, aut presbyterum, ſive diaconum interfecerit, ſimiliter capite punietur.

V. Si

V. Si quis à diabolo deceptus crediderit, ſecundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam ſtrigam eſſe, & homines comedere; & propter hoc ipſam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipſam comederit, capitis ſententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti hominis ſecundum ritum paganorum flamma conſumi fecerit, & oſſa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.

VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus ſe abſcondere voluerit, & ad baptiſmum venire contempſerit, paganuſq; permanere voluerit, morte moriatur.

IIX. Si quis hominem diabolo ſacrificaverit, & in hoſtiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

IX. Si quis cum paganis conſilium adverſus Chriſtianos inierit, vel cum illis in adverſitate Chriſtianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicunque hoc idem fraude contra regem vel gentem Chriſtianorum conſenſerit, morte moriatur.

X. Si quis domino regi infidelis apparuerit capitali ſententia punietur.

XI. Si quis filiam domini ſui rapuerit, morte moriatur.

XII. Si quis dominum ſuum vel dominam ſuam interfecerit, ſimili modo punietur.

XIII. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commiſſis aliquis ſponte ad ſacerdotem confugerit, & confeſſione data agere pœnitentiam voluerit, teſtimonium ſacerdotis de morte excuſet.

XIV. De Minoribus capitulis consenserunt omnes, ad unamquamque ecclesiam curtem & duos mansos terræ pagenses ad ecclesiam recurrentes condonent: & inter centum viginti homines nobiles & ingenuos, similiter & litos, servum & ancillam eidem ecclesiæ tribuant.

XV. Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad fiscum pervenerit, sive in frido, sive in qualicunque banno, & in omni rediubtione ad regem pertinens, decima pars ecclesiis & sacerdotibus reddatur.

XVI. Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter & liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.

XVII. Vt in dominicis diebus conventus & placita publica non faciant, nisi fortè pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus, vel justis operibus vacent. similiter & infestivitatibus præclaris Deo & ecclesiæ conventui deserviant, & secularia placita dimittant.

XIIX. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobili genere fuerit cxx sol. fisco componat, si ingenuus lx, si litus xxx.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium sibi sortitus fuerit, si nobilis sol. lx, si ingenuus xxx, si litus xv.

XX. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit,

fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit sol. LX, si ingenuus XXX, si litus XV. Si vero non habuerint unde præsentialiter persolvant, ad ecclesiæ servitium donentur, usque dum ipsi solidi solvuntur.

XXI. Jubemus ut corpora Christianorum Saxonum ad cœmiteria ecclesiæ deferantur, & non ad tumulos paganorum.

XXII. Divinos & sortilegos ecclesiis & sacerdotibus dare constituimus.

XXIII. De latronibus & malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & VII noctibus secum detinuerit nisi ad præsentandum, nostrum bannum solvat. Similiter si comes eum absconderit, & ad justitiam faciendam præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persolvat.

XXV. Ut nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro justitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

XXVI. Si quis homo fidejussorem invenire non potuerit, res illius in forbannio mittantur, usque dum fidejussorem præsentet. Si vero super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut sol. X, aut unum bovem pro emendatione ipsius banni componat; & insuper unde debitor exstitit, persolvat. Si vero fidejussor diem statutum non observaverit, tunc ipse tantum damni incurrat, quantum manus sua fidejussoris extitit. Ille autem qui debitor

fidejussori exstitit, duplum restituat pro eo, quod fidejussorem in damnum cadere permisit.

XXVII. De præmiis & muneribus, ut munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, forte comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

XXIIX. Vt universi comites pacem & concordiam adinvicem habere studeant. Et si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXIX. Si quis comitem interfecerit, vel de ejus morte consilium dederit, hereditas illius ad partem regis deveniat, & in jus ejus redigatur.

XXX. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in sold. LX. De minoribus vero causis comitis bannum in sold. XII constituimus.

XXXI. Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si jurare contempserit, fidem faciat, & sold. XV. componat qui inactivus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXII. De perjuris secundum legem Saxonum sit.

XXXIII. Interdiximus, ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque comes in suo ministerio placita & justitias faciat: & hoc à sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.

ALIVD

ALIVD CAPITVLARE.

ANNO ab Incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti DCCXCVII & XXI ac XXII, regnante domno Carolo præcellentiſſimo rege, convenientibus in unum Aquis palatio in ejus obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus, ſeu illuſtris viris comitibus V. kal. Novemb. ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis, tam de Weſtfalahis & Angrarijs, quam & de Ooſtfalahis, omnes unanimiter conſenſerunt & aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum tranſgreſſi ſunt, ſolidos LX componunt, ſimiliter Saxones ſolvent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.

HÆC SVNT CAPITVLA.

I. CAPIT. Vt eccleſiæ, viduæ, orfani, & minus potentes juſtam & quietam pacem habeant; & ut raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præſumptive, & de exercitu nullus ſuper bannum domini regis remanere præſumat.

II. Si quis ſupradicta IIX capitula tranſgreſſus fuerit, omnes ſtatuerunt, & aptificaverunt, ut Saxones ſimiliter ſicut & Franci LX ſol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci ſecundum legem ſol. XII ſolvere debent, ibi nobiliores Saxones ſol. XII, ingenui V, liti IV componant.

IV. Hoc etiam ſtatuerunt, ut qualiſcumque cauſa infra

infra patriam cum proprijs vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol. XII pro districtione recipiant, & pro Wargilda, quæ juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda suprascripros sol. XII ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi XII, id est pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi XXIV. Nam si fuerit aliquis qui in patria, juxta quod sui convicini judicaverint, se pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei causa venerit, & ibi ei fuerit judicatum quod justum judicium judicassent, in prima vice, ut supra dictum est, sol. XXIV ad partem regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare & justitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis XXIV solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contemserit, sol. IV componat, ingenui II, liti I.

VI. De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra justitiam, omnia in duplum restituat ei & componat.

VII. De

VII. De missis regis statuerunt, ut si abeis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præsumpserit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum euua componere.

IIX. De incendio convenit, quod nullus intra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate: excepto si talis fuerit rebellis, qui justitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, ut in præsentia nostra justitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, & si unanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum euua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, sol. LX. componat.

IX. Item placuit ut quandoquidem voluerit dominus Rex propter pacem & propter faidam, & propter majores causas bannum fortiorem statuere, una cum consensu Francorum & fidelium Saxonum, secundum quod ei placuerit, juxta quod causa exigit, & opportunitas fuerit, sold. LX multiplicare in duplum, & sol. C. sive usq; ad mille componere faciat, qui ejus mandatum transgressus fuerit.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum secundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscunque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate utrum interficiendum illis reddat, aut una cum consensu eorum habeat licen-

tiam ipſum malefactorem cum uxore & familia & omnia ſua foris patriam infra ſua regna, aut in marca, ubi ſua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipſum quaſi mortuum.

XI. Illud notandum eſt quales debent ſolidi eſſe Saxonum: id eſt, bovem annoticum utriuſque ſexus autumnali tempore ſicut in ſtabulum mittitur pro uno ſolido: ſimiliter & vernum tempus quando de ſtabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio creſcat. De annona vero bortrinis pro ſol. I. ſcapilos XL donant, & de ſigale XX, ſeptentrionales autem pro ſolido ſcapilos XXX dent, & ſigale XV. Mel vero pro ſolido bortrenſi ſiglæ I & medio donant: ſeptentrionales autem duos ſiclos de melle pro I. ſolido donent. Item hordeum mundum ſicut & ſigale pro I. ſolido donent. In argento XII. denarios ſolidum faciant; & in aliis ſpeciebus ad iſtud pretium omnes æſtimationes compoſitionis ſunt.

EXPLICIT CAPITVLARE SAXONVM.

In alio vetuſto MS. Palat. ſubjungitur concilio Liftinenſi anni DCCXLIII. abrenuntiatio diaboli operumque ejus, & brevis profeſſio fidei, veteri lingua Theotiſca, cum indiculo ſuperſtitionum, à quibus populum epiſcoporum ſollicitudine revocandum ſynodus illa ſtatuit, parte I. can. 5. quo vix ullum antiquitatis Germanicæ monumentum vetuſtius extat: annos enim ſuperat DCCCC.

FORSA-

FORSACHISTV diobolae? Et resp. Ec forsacho diobolae.

End allum diobol gelde? Resp. End ec forsacho allum diobol gelde.

End allum dioboles vvercum? Resp. End ec forsacho allum dioboles vvercum und vuordum; thuna erea de vuoden end saxnote; ende allem them unholdum, the hira genotas sint. *Professio fidei.*

Gelobistu in got almehtigan fadaer? Resp. Ec gelobo in got almehtigan fadaer.

Gelobistu in Crist godes suno? Resp. Ec gelobo in Crist gotes suno.

Gelobistu in halogan gast? Resp. Ec gelobo in halogan gast.

Indiculus superstitionum & paganiarum.

De sacrilegio ad sepulcra mortuorum.
De sacrilegio super defunctos, i. e. Dadsisas.
De spurcalibus in Febr.
De casulis, id est, fanis.
De sacrilegijs per ecclesias.
De sacris siluarum, quæ Nimidas vocant.
De his quæ faciunt super petras.
De sacris Mercurij vel Iovis.
De sacrificio quod fit alicui sanctorum.
De phylacterijs & ligaturis.
De fontibus sacrificiorum.
De incantationibus.
De augurijs, vel avium vel equorum vel bovum stercore, vel sternutatione.

De divinis vel ſortilegis.
De igne fricato de ligno, i. e. Nodfyr.
De cerebro animalium.
De obſervatione pagana in foco, vel in inchoatione rei alicujus.
De incertis locis quæ colunt pro ſacris.
De petendo quod boni vocant S. Mariæ.
De ferijs quæ faciunt Jovi vel Mercurio.
De Lunæ defectione, quod dicunt Vineeluna.
De tempeſtatibus, & cornibus, & cocleis.
De pagano curſu, quem Yrias nominant, ſciſſis pannis vel calceis.
De eo quod ſibi ſanctos fingunt quoslibet mortuos.
De ſimulacro de conſparſa farina.
De ſimulacris de pannis factis.
De ſimulacro quod per campos portant.
De ligneis pedibus vel manibus pagano ritu.
De eo quod credunt quia feminæ lunam commendent, quod poſſint corda hominum tollere juxta paganos.

INDEX

INDEX
RERVM ET AVCTORVM.

A.

Academiæ in Germania. Pag. 283.
Quando cæperint. 145. 158. 204. 209.
Academicarum ſcholarum circa leges officium. 244. 245.
Accurſius. 113.
Acta concilij Pariſienſis ſub Ludovico Pio quare non recepta. 83.
Adaldagus Archiepiſcopus Hamburgenſis. 102.
Adamus Bremenſis. 55. Ejus mendum. 102. Ejus ætas & transſcriptores. ibid.
Adami Olearij itinerarium. 104.
Additamenta ſapientum à quibus ſcripta. 56.
Additiones capitulorum Ludovici Pij, & quales. 60. 67. 73.
Ado Viennenſis. 18. 21. 28.
Adolphus Comes Holſatiæ. 170.
Adrianus. vid. Hadrianus.
Aeneas Sylvius. 205.
Agapetus Conſul Romanus. 17.
Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus. 226. 246. 247.
Aimoinus. 36. 38. 58. 109.
Aiſtulphus Rex Langobardorum. 46. 47. 78.
Alaricus II. Rex Visigothorum. 6. 11.
Albericus de Roſate. 166.
Albertus Stadenſis. 102. 103. 115.
Albinus collector capitularis Caroli Magni. 61.
Alemannia. 25.
Alemanni à quo devicti. 36. Iis ab Auſtraſiæ regib⁹ jura præſcripta. 57.
Alemannicæ leges. 49. Earum auctor. 39. Prologus. 40. Earum magna varietas. 41.
Alidoſius. 121. 123. 124. 129. 254.
Alphonſus Villadiegus. 11.
Alteſerra laudatus. 57. 140. Notatus. 9.
Alvarottus. 152.
Amalphi Pandectæ. 132.
Ammianus. 32.
Ampſivarij. 24.
Andreas de Barulo. 135.
Angliæ veteris incolæ paruerunt Danis. 57.
Angli non tenentur iure Romano & Pontificio. 244.
Anglij non ſunt Thuringi. 56. 57.
Angrivarij. 55. 101. 104.
Anianus collector corporis Theodoſiani. 6.

Annales Francici. 58.59.61.68.80.103. 107. A quo anni tempore eorum scriptor gesta Carolina incipiat. 61
Anſegiſus. 58. 61. 64. 67. 68. 70. 71. 72. 73. 74. 83. 87. 88. 100. 110. 246. Ejus nominis duo. 69. 70.
Antiquæ lectionis monumenta. 246.
Anti Tribonianus à Franc. Hotomanno conſcriptus. 236. 314.
Antonius Faber. 308. 313.
Antonius Auguſtinus. 63. 64. 129. 154. Laudatus. 84. 85. 128.
Antonius Contius. 238.
Apoſtoli. 270.
Apuliæ reges cum quibus non ſint confundendi. 134.
Aquiſgranenſis conventus. 65. 69.
Aquiſgranenſe concilium. 59. 78.
Aquiſgranenſe judicium regium. 52. De eo Caroli M. conſtitutio fabuloſa. ibid.
Aquiſgranenſium jus antiquum. 169.
Arbogaſt. 29.
Ariani ſmus latè diffuſus. 246.
Ariſtoteles laudatus. 307.
Arnoldus Lybecenſis. 154. 156. Emendatur. 169.
Arnoldus. Huitfeldius. 16.
Arnolphus. 91. 92. Ejus leges. 87.
Arogaſt. 28. 29.
Arthurus Duck. 136. Laudatus & reprehenſus. 219. 220.
Aſſeſſores judicij Cameralis. 212. 213.
Athenienſium quoddam inſtitutum. 172.
Avari incolæ Pannoniæ. 37.
Auctor conſuetudinum feudaliũ. 133.
Auctor juris VVeichbildici. 174. 175. 176.
Auctor vitæ Ludovici Pij. 65. 68. 69.
Auctor anonymus de geſtis Francorum. 18. 21. De privilegiis Belgarum. 167. De rebus bellicis. 238. Libelli Schlüſſel des Reichthums. 234.
Auctor anonymus apud VVehnerum laudatur. 234.
Auctoritas alicujus multos in errorem ducit. 149.
Aventinus. 2. 85. 97. 161. 167. Laudatus. 265.
AVGVSTVS Dux Brunſv. & Luneb. 163. 216. 295. 326.
AVGVSTVS Adminiſtrator Magdeburgenſis. 218.
Aurea bulla Caroli IV. 160 164. ſeq. 190. 192. 204. Vbi ejus authenticum exemplar. 164. Ejus editiones diverſæ. 165. 166. Quare Latine conſcripta. 165. Ejus verſiones Germanica. 166.
Aurelianenſis Academia. 138. 139 148.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [372] - -
PUBLIC DOMAIN

Austrasia Gallica. 30.34.
Austrasiæ Reges quibus leges scripserint. 57.
Austria & Austrasia unde dicta. 36. 37.38. Fuit olim triplex. 37.
Austriæ cur Marchionatus titulus adjunctus. 37.
Autharius Archiep. Moguntinus. 71. 72.88.
Authenticæ. 152.153.
Azo Iurisconsultus. 113.126.143.

B.

Bachovius laudatus. 277.
Bajoarij. 36. A quibusnam iis leges præscriptæ. 57.
Bajoaricarum legum auctor. 39. Earum MS. libellus. 40. 41. Earum prologus. 40. Earum magna varietas. 41. Iis addidit quædam Carolus M. 49.
Baldus. 181.205.
Bangertus. 169.
Baptismus Iohannis. 262.263.
Baronius Cardinalis. 62.64.73.77.78. 79. 80. 82. 83. 84. 88. 89. 108. 115. Laudatus. 143.
Bartolus. 205.
Basilica. 26.34.
Basileense concilium. 80. 158. 199.
Bavariæ pars orientalis est Austria. 37.
Beatus Rhenanus. 161
Bedæ Pœnitentiale. 84.85.99.
Bellarminus. 93.265.
Benedictus Papa. 95.
Benedictus Levita. 60. 61.64.67.70. 71.72.87.88.89.100.110. Est suspectæ fidei. 73.74.
S. Bernhardo jus Romanum invisum. 142.
Besoldus. 202.301.
Bibliothecæ Augusta. 163. Vaticana. 54. 308. Academia Iulia. 40.41.
Blondellus laudatur. 73.74.76.77.78. 79.80.99.
Bodinus. 290. Fallitur. 143.
Bodochaim. 27.
Bohemiæ regis titulus. 182.
Bohemicum tribunal. 197.
Bononiæ quando cœpta juris studia. 114.116. 118.127.137.
Bononienses Doctores. 116. 118.119. 120. 125. seqq. 131.144.254.267. Notantur. 121. 122. seqq. Eorum barbaries. 270.
Bononienses cives quando scholam publicam juris instituerint. 137.
Brabantiæ ridiculè VVendelinus tribuit legis Salicæ natales. 26.
Brabantinorum Ducum constitutiones. 167.
Bremenses Haroldo non paruerunt. 102.
Brouweri historia Trevirensis. 37.246.

Bructeri. 24. 25.
Brunſvicenſis & Luneburgenſis Ducatus initium 182. *Quando acceperit jura Romana.* 206.
Budæus. 148.
Bulgarus. 113. 118. *Ejus & Martini contentio de dominio Cæſaris.* 143.
Burchardus Archiepiſcopus Magdeburgenſis. 186.
Burchardus Vormatienſis. 84. 85. 99. 100. *Ejus decretum.* 80. 100. *Ex quibus conſcriptum.* 99. *De eo judicium.* ibid. *Lex familiæ.* 100.
Bureus Suecus. 13. *Fallitur.* 15. 16.
Burgundiones. 109. *Eorum Rex Gundebaldus.* ibid.
Burgundicarum legum initium. 3. 4. 16. 17.
Buſæus. 61. 89.

C.

Cæcilius ICtus. 237. 307.
Cædes. 227. 228. *Ejus pœna apud antiquiſſ. Germanos fuit pecuaria.* 226. *Poſtea pecuniaria, & demum capitalis.* 36.
Calcaria & cingula Epiſcoporum & Clericorum. 66.
Cameræ Spirenſis judicium non obſervat ſolas leges Romanas, ſed etiam priſcas conſuetudines. 212. 213. 214. 215. 301. *Ejus præjudicia pro lege obſervanda ſunt.* 223. 224.
Campanellæ laus. 236. 237.
Caniſius. 64.
Canones variorum conciliorum. 60. 75.
Canones quidam conciliorum ſuppoſititij. 77. 83.
Capitulares leges in Italia & Gallia in uſu. 87. 110.
Capitularia Caroli M. & Ludovici Pij quando exolevcrint. 91.
Capitula Anſegiſi & Benedicti quando non amplius obſervata. 100.
Capitulare Lotharij. vid. Lotharij.
Carionis Chronicon. 149.
CAROLVS MAGNVS. 32. 41. 43. 48. 50. 53. 57. ſeqq. 75. 77. 82. 87. 88. 90. 100. 179. 181. 289. *Addidit quædam ad leges Salicas.* 48. *Vt & ad leges Bajoaricas & Langobardicas.* 49. *Domuit Saxones.* 51. *Illis leges dedit.* 52. 184. *Ejus de judicio Aquiſgranenſi conſtitutio quare ſuſpecta fidei.* 51. 52. *Ejus privilegium Friſiis datum fabuloſum.* 53. *Ante illum apud Saxones nullus uſus Latinæ linguæ, ſcripturæ & religionis Chriſtianæ.* 54. *Ejus capitularia de Saxonia.* ibid. *Solius ejus auctoritate non omnia apud Saxones*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [374] - -
PUBLIC DOMAIN

Saxones & Frisios lata. 55. Ejus vitam quis descripserit. ibid. Quotannis pene concilium populi coëgit. 97. Ejus Ecclesiasticæ leges. 58. Ejus nomine IV libri ad Adrianum Papam scripti. 59. Ex quibus fecerit colligi canones. 61. Ei non probati veterum conciliorum canones. 62. Quot ejus sint leges. 64. Celebravit VVormatiæ conventum ordinum. 86. Ejus bina capitularia. 26. 54. 60. 61. Vbi alterum horum reperiatur. 61. Quot habeat canones. 64. Ejus lex Saxonica. 101. Num instituerit judicium VVestphalicum. 102. Romani juris usum Italiæ veteri permisit. 106. 107. Confirmavit Codicem Theodosianum. 109. 110. Ejus veræ leges interciderunt. 151.

Carolinæ leges. 151. 152

Carolus IV. 190. 193. 198. Ejus edictum. 133. Constitutio quædam. 158. Bulla. vid. Aurea bulla. Romanæ curiæ adulatus. 167.

Carolus V. 197. 213. Ejus constitutiones criminales. 223. 298.

Carolus Calvus. 74. 85. 87. 88. 89.

Carolus Martellus. 51.

Carolus Crassus. 91. Ejus leges. 85. Constitutio de expeditione Romana. 86. Quare ea valde suspecta. 86, 87.

Carolus Cottus commentator legum Langobardicarum. 134. 135.

Carolus Molinæus. 222.

Casimirus Rex Poloniæ. 174. 175. 176. A Germania defecit. 195.

Cassiodorus. 12. 62.

Catti. 24. 25.

Cellensis aula. 217.

Ceremonialis lex Mosaica. 73.

Chamavi. 24. 25. 29.

Characteribus Germanicarum gentium antiquis non tuto creditur. 1.

Chifletius. 26. 31. Refellitur. 22. 23. 24. 30. 34. 43. Laudatur. 135.

Childebertus. 34. 35. 39. 40. 41. In ejus decretis multa rigidè proposita. 36.

Chindesvvindus Rex VVisigothorum. 5.

Chlodovæus Magnus Rex Francorum. 17. 20. 34. seqq. 39

Chlotharius. 20. 34. 35. 39. 40.

Christiana Religio. 226. Ejus quando apud Saxones nullus usus. 54.

Chronicon Cassinense. 133.

Cisalbini populi. 103.

Cisnerus laudatus. 233. 234.

Civilis prudentia. 283.

Clerus Germanicus quando rudis. 154. Ejus dissidia & immunitas. 158. 167.

Cluverius. 14. 15.

Codex canonum Romanus. 62. 75. 84. 91. Ejus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [375] - -
PUBLIC DOMAIN

91. Ejus partes. 76.
Codex Iustinianeus. 111. 112. 113. 121.
Codex canonum universæ Ecclesiæ. 62.
Codicis Canonum Dionysii Exigui editiones. 62.
Collenutius. 221.
Colonienſium jus antiquum. 169.
Colonienſis ſynodus. 91.
Cominæus laudatus. 235.
Comites. 28. Siç dicti judices. 88.
Concilia Epiſcoporum Reges quondam indixerunt. 58. 68.
Concilia quatuor. 68. 69.
Concilium Conſtantienſe. 158. 198.
Concilium Salingeſtadianum. 99.
Concilij Ravennatenſis capitulum. 90. Moguntini. ibid. 91. Colonienſis. ibid. Triburienſis. 91. 92.
Concilij Sinueſſani canones ficti. 81.
Conciliorum multorum Germanicorum canones deſiderantur. 92. Eorum acta rariſſimè comparent. 99.
Conciliorum tomus III. emendatur. 66.
Conradus II. Salicus dictus. 30. 102. Ejus leges. 98.
Conradus Suevus. 127.
Conradus Vrſpergenſis. 19. 28. 32. 119. 120. 146. 150. 267. Ejus ætas & quis fuerit. 124. 125. Defenditur contra Nihuſium & Bononienſes. 125. 261. 265.
Conſtantino & Carolo Magnis multa incertæ originis & aliàs falsò adſcripta. 52. 53. 152. 169. 176. 177. 183. 184. 188.
Conſtitutiones quædam perierunt. 168.
Conſtitutiones Imperij Germanici. 160. Quænam illarum omnium primo vernaculâ linguâ ſcripta. 161.
Conſuetudines. 212. 213. 214. 223. 243.
Contractus & contractuum controverſiæ unde. 225.
Cornelius Papius. 269.
Corpus juris Aniani. 6. Non eſt codex Theodoſianus. ibid. Vbi confectum. ibid.
Corpus juris Iuſtinianei. 311.
Corpus juris Canonici. 155. Emendatur. 91.
Cranzius. 51. 181. Fallitur. 52.
Criſconij Africani canones MS. 62. 63. Ejus Breviarium. 76.
Cromerus laudatus. 195. 196.
Crucem ferre mos Italorum querelas habentium. 141.
Cruſius. 161.
Cujacius. 6. 15. 30. 112. 128. 238. 303.
Cuicfal quid. 55. 56.
Curiæ Romanæ debetur ars rabularia. 202.
Cuſpinianus. 204. 221.

Dago-

D.

Dagobertus. 20. 39. 40. 109.
Dani quantum seculo XIII. in studiis profecerint. 156. *Horum imperio paruerunt veteres Angliæ incolæ.* 57.
Danici juris auctores. 16.
Decisionum volumina. 224.
Decius. 196.
Decretales epistolæ Romanorum Pontificum. 76. 77. seqq. 83. vid. Paparum decretales.
Decretistæ quãdo causas egerint. 153.
Decretum Tassilonis. 41.
Delrio. 154.
Diceneus. 11.
Dionysius Exiguus & ejus canones. 62. 63. 75. *Horum magna auctoritas.* 63.
Dithmarsi. 103. 104.
Dithmarus. 180.
Divitiarum potissimi fontes. 26.
Doctores juris utriusq;. 180. 199.
Doctores Romani juris. 141. 143. 145. 147. 198. 199. 204. 215. 223. 287. 298. *Senatoriâ dignitate quando excluſi.* 202. vid. Juris tam &c. & Romanum jus.
Doctores Canonici juris. 287.
Donatio Constantini ficta. 184.
Duarenus. 221. 222. 233.
Duces leges condidere. 40.

E.

Ecclesiasticæ leges Caroli M. quotuplices. 58. seqq.
Eckardus fidus. 183.
Edictum Theodorici. 12. 13.
Edictum perpetuum. 238.
Edictum Legationis. 61.
Edicta Prætorum Romanorum. 44.
Egica Rex VVisigothorum. 7.
Eginhartus. 42. *Explicatur.* 31. 32. *Laudatur.* 48. 51. 52. 54.
Electores VII. 177.
Elector Saxoniæ. 190.
Elipandus. 59.
Elsatij unde dicti. 43.
Epidemeticæ Iustiniani leges. 281. 282.
Epilogus juris VVeichbildici. 94. 95.
Episcopi Germaniæ & Galliæ se opposuerunt Papis. 80. 82. seqq.
Epistolæ Romanorum Pontificum supposititicæ. 74. 77. 83. vid. Paparum decretales.
Epitome capitularium Carolinorum. 61. 89.
Epitome Novellarum Iustinianearum. 113.
Epko Repkovius. 151. 152. 157. 183. 184. *Ejus ætas.* 51. 53. 180. *Est scriptor fabulosus.* 52. 183. *Quis fuerit, & patria ejus.* 183.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [377] - -
PUBLIC DOMAIN

Erphordia ejusq; Academia. 191.198.
Erycius Puteanus. 268.269.
Eugenius Papa. 153.
Eulogius Cordubensis. 78.79.
Euricus Rex VVisigothorum. 45.
Excerpta Eunapiana. 29.
Expeditio Romana. 86.87.

F.

Fabulas fingere quando familiare Germanis. 177.
Famæ quid tribuendum. 260.261.
Felicis Fabri fabula. 51.
Felicis Orgelitani Episcopi dogma. 58.
Ferrandus collector veterum canonum. 63.
Feuda vexillaria Saxoniæ. 182.
Feudale jus singulis Germanicis gentibus proprium. 208. Geldriæ & Sutfaniæ. ibid. Saxonicum Suevicumq;. 81. vid. jus feudale.
Feudalia jura in Germania. 150.
Feudi vox recentior. 86
Fichardus. 126.
Flacius. 93.
Fli quid. 55.
Florentinæ Pandectæ. 127.128.129.
Fœminæ apud Francogallos à regni successione excluduntur. 35.
Fori incommoda. 318.
Forsterus. 115.
Francia occidentalis & orientalis. 36.
Franci. 109. Primi inter Germanos legibus scriptis usi sunt, & quando id cœptum. 3.4. Illis subditi Gothi. 9. Quando leges sibi tulerint. 18. 19. 21. Quales illorum leges. 226. Eorum nonnulli in Belgium secesserunt. 22. Eorum duo regna. 30. Eis leges duas fuisse non potest probari. ibid. Vsum legum suarum in populos Germaniæ introduxerunt. 36. A Ripuariis distincti. 42. Subjecerunt sibi regnum Langobardicum. 50. Nunquam imperaverunt Anglis. 56. Thuringi fuerunt in eorum ditione. 57. Eorum regnum latissimè patuit. 58.
Franci originarij Salici dicti. 31.33.
Franci Transrhenani. 23.24.
Francicæ leges num in Italia abrogatæ à Lothario. 130. seqq.
Francici imperij pars orientalior Austrasia. 36.
Francici totius populi auctoritate quæ leges latæ. 40.
Franciscus I. Galliæ Rex. 162.
Franciscus Balduinus laudatus. 203.
Franciscus Hotomannus. 30. 35. 139. 148. 202. 203. 236. 238. 266. 278. 304.315.
Franciscus Turrianus. 80.
Franciscani Ludovicum IV. contra Pontificem defenderunt. 166.
Franconia num pars Alemaniæ. 24.25.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [378] - -
PUBLIC DOMAIN

Francorum regnum Austrasicum. 36. 37.
Francorum toti genti lex Salica fertur accepta. 28. 29. 31.
Francofurti amplum celebratum concilium. 58. 82. 152. *Ejus acta quibus debeantur.* 59. *ibi eligitur Cæsar.* 164.
Freherus. 27. 86. 164. 165.
Fridericus I. 134. 135. 138. 141. 142. 187. *Illo annuente Romanæ leges invaluerunt.* 142. 143. *Ejus authentica.* 142. *Alta spiravit.* 143. 144. *Ejus constitutio de Pace.* 146. 150. *Ejus sanctio quædam.* 132. 143.
Fridericus II. 152. 160. 163. 182. 188. 191. 205. 221. *Constitutio ejus de Pontificio jure recipiendo explicatur.* 156. 157. *Ejus constitutio de pace civili.* 163. *Ejus tabulæ quædam.* 170. *Ab illo non est jus Saxonicum feudale.* 187.
Fridericus III 121. *Iniquus ICtus.* 145. 200. 201. *Ejus Reformatio.* 199. 200. 204. *Ejus rescripta.* 211.
Fridericus Barbarossa. 169.
Fridericus à Sande. 208
Friedebrieff. 146.
Frisiæ terminus quidam. 56. 168. *In illa vestigia idololatriæ.* 55. *Quando Romani juris observantia in illam devenerit.* 205. 206.
Frisicarum legum codex. 168.
Frisii. 103. 168. *Eos subegit C. Martellus & Pipinus.* 51. *Eorum privilegium quoddam fabulosum.* 53. *Eorum lex à quo edita.* 54. *Religionis Christianæ apud eos initium.* 54. *Eorum scriptor.* 168.
Furstenbergius Episcopus laudatus. 54.
Furti qualis olim pœna apud Germanos. 36.

G.

Gailius. 301. 302.
Gallia recepit leges capitulares. 87. *Ea Romanis à Francis erepta.* 110. *In illa quando & quare Romani juris observatio.* 109. 130. 138. 139. 147. 148. *Rabulas debet Curiæ Romanæ.* 202. *Ibi non approbatum jus feudale Langobardicum.* 222. *Quibus morbis illa laboret.* 235. seq. *Litium ibi multitudo.* 315.
Gallia Celtica. 36.
Gallica edicta quando primum Gallicè scribi cæpta. 162.
Gallis leges nauticas dedit Oleron. 104.
Gastaldus. 29.
Gasti voce quid significetur. 28. 29.
Geldriæ & Sutphaniæ jus feudale. 208.
Georgius VVilhelmus Dux Brunsv. & Luneb. 217.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [379] - -
PUBLIC DOMAIN

Georgius Calixtus laudatus. 105. 115. 149. 252. 263.
Gerardus Niger. 220.
Gerbertus Archiepiscopus Remensis. 110.
GERMANIA quando Religionis studiis dedita. 75. Illi debentur legis Salicæ natales. 22. seqq. 26. Ea infecta epistolis suppositiis Paparum. 79. Quando ejus fuerit miserrimus status. 92. 154. 163. 190. In illa circa leges à Lothario nihil mutatum. 105. seqq. In illam Romana jura sese insinuarunt. 140. Ejus ut & Galliæ Episcopi se opposuerunt Papis. 80. 82. seqq. Ejus Cæsarem & Regem esse est distinctum. 95. 289. 298. In illam Romanæ leges à Lothario non sunt introductæ. 144. seqq. Quid illi attulerit jus Pontificium. 158. 159. 173. In illa iuris Romani primordia 198. 204. 208. 209. In quantum leges Romanæ in illa receptæ. 219. In quantum jus feudale Langobardicum ibi obtineat. 222. Quem fructum illa à legibus suis consequatur. 225. seqq. Quando iuris peritia ibi efflorverit. 227. 228. An teneatur iure publico Iustinianeo. 278. seq. Ea non est pars imperii Romani. 289. Quando ibi cæperint Academiæ. vid. Academiæ.
Germani antiquissimi quare sine multis legibus non infeliciter vixerint. 225. 226. 298. Eorum mores & iudicia. 2. De iis Taciti elogium. ibid.
Germani quando leges scribere inceperint. 153. 159. Illis plurimum indulsit Lesko Niger. 196. Quando iis fabulas fingere familiare. 177.
Germanici populi à Francis victi. 36. Quando floruerint. 227. Ad tempus Romanis paruerunt. 291.
Germanicæ gentes initio non observarunt leges scriptas. 1. Victos suis legibus vivere permiserunt. 194.
Germanica iudicia à Carolo M. usq; ad seculum XIII. qualia fuerint. 150. 151. 186.
Germanica lingua quando scribi cæpta. 51. 151. 159. seqq.
Germanicarum rerum antiquissima memoria unde sit petenda. 2. 3.
Getæ cum Gothis malè confunduntur. 11. 15.
Gilmanni Decisiones. 224.
Glossatores iuris Saxonici. 206. 209.
Godefridus monachus. 152. 160.
Goldastus. 26. 85. 86. 135. 156. 161. 165. 183. 188. 190. seqq. 198. 199. 210. 212. 224. Fallitur. 87. 89. Reprehenditur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [380] - -
PUBLIC DOMAIN

tur. 27. 95. 96. Laudatur. 121. 160.
Gotfridus Danus. 57.
Gotfridus VVendelinus. 18. 26. 28. 29. Refutatur. 22. 24. 25. seq. 30. 31. 34.
Gothi quàm durè habuerint Romanos. 7. 8. Illis integer mansit suæ legis usus. 8. Vbi in Germania habitaverint. 15. Eorum Reges ius Romanum aboleverunt. 109. Eorum in Scandia superstites leges. 13. Gothorum septentrionalium convenientia legum cum VVestrogothic. Hispan. 14.
Gothicæ leges ubi obtinuerint. 5. Earum emendatio quibus commissa 7. In Ecclesiasticis negotiis valuerunt. 9. Quamdiu fuerint in usu in Hispania. 9. Latina linguâ primo scriptæ. 11. Vnde omnia ferè in iis sint petita. 15.
Gothicum Suecicumq; jus. 16.
Gothofredus. 189. Laudatur. 113. 247. 302.
Græcarum literarum affinitas cum Runicis. 14.
Gratianus. 76. 80. 89. 107. 124. Eius quædam verba emendantur. 90. Notatur. 91. Eius Decretum apud nonnullos parvæ auctoritatis. 153. 154. seq.
Gravionesi. 28.
Gregorius Turonensis. 17. 22. 109.
Gregorius II. Papa. 76.
Gregorius IX. Papa. 153. seqq. Eius Decretales. 155. 182.
Gregorius XI Papa. 192. 193.
Gregorianus codex. 238.
Grimoaldus Rex & Legislator Langobardorum. 44. 45. seqq.
Gulphilas Toletani characteris inventor. 10. Runicarum litterarum auctor. 14.
Gundebaldus Rex & legislator Burgundorum. 16. 17. 109. 246.
Gundebada lex. 17. 246.
Gundemarus. 5.
Guntherus. 141. Eius Ligurinum. 86. 87.
Guntramnus. 109.

H.

Hadrianus I. Papa. 63. 65. 77. 81. 82. seqq.
Hadrianus Iunius. 28.
Hagemeierus laudatus. 164 165.
Hahnius ICtus laudatus. 217 218.
Halberstadiensis Cancellariæ ordinatio. 218.
Hallæ Saxonicæ. 175. 195.
Hallense judicium. 96. 175 197.
Hamburgenses à quonã jus ferendarum legum acceperint 170 171. Cæperunt uti jure VVeichbildico. 176.

Hambur-

Hamburgenſium rerum ſcriptor. 170. 176.
Hannoverani iudicii Aulici & Cancellariæ ordinatio. 217.
Haraldianæ rupis vetuſtas incertæ fidei. 15.
Haroldinæ leges. 102. 103.
Harudes. 104.
Heidelerii qui. 103
Heidelbergenſis Academia 190. 204. 209.
Heinonij unde dicti. 43.
Helmoldus. 102. 115. *Ad eum H. Bangerti nota.* 169.
Helmſtadium olim in ditione Thuringorum. 57.
Helvetia quare in fora non admiſerit jus Romanum. 207. 208.
Helvetii Germaniæ populi. 168.
Henelius. 196. 197.
Henrici II. leges. 98. 99. *Ejus conſtitutiones.* 108. 111.
Henricus Cardinalis Oſtienſis. 126.
Henrici Kaltheiſen. 80.
Henricus Suevici. 137.
Hermannus Contractus. 43. 71.
Hermenfredus Rex interemtus. 36.
Hermionis conſtituta fabuloſa. 2.
Hermogenianus Codex. 238.
Heroldus editor legis Salicæ. 19. 32. 33. 48. *Vt & legis Friſiorum & Saxonum.* 54. *Nec non antiquarum legum Germanicarum.* 56.
Heruli. 3.
Hieronymus Balbus. 166.
Hieronymus de Cævallos laudatus. 229. 230. 236.
Hieronymus Conceſtaggius. 278.
Hincmarus Lauduenſis. 79. 81.
Hincmarus Rhemenſis. 61. 71. 77. 81. 63. 84. 87. 89 110. 112. *Fallitur.* 78. *Laudatur.* 79. 88.
Hiſpania quando acceperit Romanas leges. 6. *Recepit leges Gothicas* 7. 9. *Sero inſtituta Gothica mutavit.* 10. *Ejus Rex.* 289. *In illa leges Romanæ prohibitæ.* 290. 291.
Hiſpani quare admiſerint jus Romanum. 138. 139.
Hiſtoriæ veritas non poteſt ſtare conſenſu populi h. e. fama. 260. 261. *In hiſtoriis facilis lapſus.* 149.
Holſatia. 169. 170. 205. *In illa ſero lotus juri Romano.* 206. 216.
Holſingi qui. 103. 104.
Honorius III. cur prohibuerit in Gallia doceri jus Romanum. 130. 147. 315.
Hopperus laudatur. 308. 313. 316. 317.
Hugo Grotius laudatur. 104. 208. 244.
Huldericus Mutius. 166.
Hungari ſucceſſerunt Avaris. 37.

I.

Jacobus Spigelius. 135.
Jaskierius Polonus. 175. 195.

Imaginum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [382] - -
PUBLIC DOMAIN

Imaginum adoratio. 82. 83.
Infortiatum. 126.
Ingelramnus Metenſium Epiſcopus. 63. 77. 81.
Inſtitutiones juris Romani. 244.
Joachimus Hildebrandus edidit Reginon. Prumienſem. 93.
Joanna Papiſſa. 261.
Joannes IIX. 111. 112. ſeqq.
Joannes Semeca primus gloſſator Decreti. 155. 156.
Johannes Tilius. 6. 59. 236. *Laudatur.* 130. 138. 290.
Joannes Magnus ridiculè errat. 15.
Joannes Baptiſta Nanna. 135.
Joannes Andreas. 198.
Joannes de Ianduno. 166.
Jornandes fallitur. 11. *Quos exſcripſerit.* ibid. 15.
Irnerius. 113. 116. 118. 120. 131. 144. 145. *Mathildis rogatu jus Romanum interpretatus eſt.* 118. 119. 125. 126. 129. 137. 264. *Ejus obitus.* 119.
Iſidori Hiſpalenſis Chronicon. 4. 5. 6. 8. 14. *Et falſo adſcripta collectio epiſtolarum decretalium ſuppoſititiarum.* 78. 84.
Iſidori Mercatoris fraus. 64. 77. ſeqq. 84. 91.
Iſocrates laudatus. 307.
Italia Romanis ab Oſtrogothis vi non eſt erepta. 12. *Illi Romanum jus non intulit Lotharius.* 105. ſeqq. 131. ſeqq. *Illi legem Salicam intulit Carolus M.* 50. *Ejus veteres incolæ,* 44. *In illa leges capitulares in uſu.* 87. *In illa leges latæ.* 98. *In illa quædam exiſtimatio juris Iuſtinianei.* 111. ſeqq. 203. 264. *In illam Lotharij expeditiones.* 127. *In illa hodie arbitraria obſervatio legum Romanarum.* 136. *Quare in illa cæperit in veneratione eſſe ius Romanum.* 137. 142. *In illa multi juris Doctores educati.* 202. 203. *Ejus motus.* 286.
Itali indigenæ non coacti jus Langobardicum obſervare. 47.
Italicæ ſcholæ. 209. *Adillarum normam omnes Germanicæ conſtitutæ.* 209.
Iudicia Germanica. 2.
Iudicium Camerale quando inſtitutum. 210. 212. *Ejus aſſeſſores & judices.* 212. 213.
Iudicium Aulicum Cæſareum. 214. *Quomodo ſec. XIII ſe habuerit.* 191.
Iudices. 227. *Vrbium Germanicarum antiquitus quales.* 151. 172.
Iulius epitomator Novellarum. 113.
Iulianus Cæſar quanam tribuat veteribus Germanis. 1. 2.
Ivo Carnotenſis 18. 21. 28. 29. 80. 110 *Ejus ætas.* 112

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [383] - -
PUBLIC DOMAIN

Iura Romana quando in Gallia docere cœpta. 130.147.
Iurisperiti & jurisprudentis discrimen. 316.317.322.
Iuris tam canonici quam civilis Doctores ab omnibus judiciis in Germania aliquando excluſi. 199. 200.201. *Qua de cauſa.* 202.
Iurisconſultorum laus. 203. *Eorum ſententiæ.* 243. *Habent hodie vim legis.* 223. *Idq; quanto cum reipublicæ detrimento.* 231. *Illi de jure ſunt conſulendi.* 269.
Ius norma civilis vitæ. 232.
Ius publicum Imperij. 283.
Ius publicum Iuſtinianeum an Germaniam obliget. 278. ſeq. *In illud nunquam Imperium Germanicum conſenſit.* 288.
Ius civile cur Iulius Cæſar contrahere voluerit. 237.238. *Qua de cauſa id fecerit Iuſtinianus.* 238.239.
Ius Romanum quare ex Hungaria mox expulſum. 203. *Ejus ſtudium quomodo Bononiæ cœperit.* 127. 137.141. *Illud inviſum S. Bernhardo.* 142. *Ejus primordia in Germania.* 198. vid. Romanum jus.
Ius Canonicum. 147. 159. 231. *Ejus Profeſſores.* 190.
Ius Feudale Saxonicum. 181. *Non eſt à Friderico II.* 187. *Quando & quomodo conſcriptum.* ibid.
Ius Danicum. 16.
Ius Suecicum Gothicumq;. 16.
Ius Langobardicum unde conflatum. 220. 221. *An à Friderico III. confirmatum.* 221. *Num in Germania & Gallia in uſu.* 222.
Iuſtellus laudatur. 62.75.76. *Edidit Codicem canonum univerſæ Eccleſiæ.* 62.63. *Vt & codicum canonum Romanorum.* 62. 75.
Iuſtinianus Imperator. 62. *Ejus exiſtimatio per Italiam.* 111. *Ejus pragmatica.* ibid. *Ejus Codex.* 110. 150. *Ille operam ſuam in contrahendis legibus ſucceſſoribus non probavit.* 240. *Non abolevit leges antiquas.* ibid. *Quid circa leges egerit.* 228. *Ejus majeſtas.* 287.
Iuſtinianeæ leges. 281. *Num in Italiam à Lothario reductæ.* 130. ſeqq.
Iuſtitiæ laus. 228.

L.

Lambecius laudatus. 170.176.
Langobardi gens Germanica. 43.106. 141. *Ad eorum edicta novas leges adjunxit Carolus M.* 49. *Vt & Pipinus.* 50.
Langobardici regni ſocius Pipinus. 107.
Langobardica jura feudalia. 208.209 *Lan-*

Langobardicarum legum initium. 3. 4. 43. *Cur Edicta vocatæ.* 44. *Num per Lotharium II. abrogatæ.* 130. seqq. 134. 135. *Adhuc patrum memoriâ alicubi in Italia in usu.* 135.
Langobardicus codex. 46. seqq. 50. 98. 123. 150. *Quando conscriptus.* 108. 133. *Ejus error.* 50.
Latina linguæ apud Saxones nullus usus ante Carolum. 54. *Quando illa in tabulis scribendis exoleverit.* 162.
Latrocinia apud quosnam olim non infamia. 226. 227.
Laubacha quid. 55.
Laurentius Surius. 59. 60. 92. 99.
Laymannus. 154.
Legandi facultas Monachis & Clericis quantum noceat rebus publicis. 306.
Leges nullas gentes antiquæ Germanicæ observarunt. 1. *Illis societas nulla potest carere.* ibid. *Nostræ multum laborant.* 231. 232.
Leges obscuriores populo proponere ad quid conducat. 172.
Leges omnes plebi in urbibus Germanicis communicatæ. 172.
Leges singulis provinciis Germanicis propriæ quando obtinuerint. 189. seqq.
Leges à Francis latæ nec bonæ nec malæ. 226. 227.
Leges Germanicæ. 151. *Quæ à sec. XIII latæ bonæ.* 227. *Quarundam nulla superest memoria.* 98.
Leges quæ in Germania hodie obtineant, & unde petendæ. 224. *Earum ferendarum potestas penes quosnam.* 159. 167. 302.
Leges post seculum XIV in Germaniam introductæ quid commodi habuerint. 228. seqq. *Quantum damni dederint hodieq; dent reipublicæ, & quam ob causam.* 229. 230. 286. *Earum peritiæ acquirendæ quanta difficultas.* 230. 231. *Quomodo omnibus his malis possit remedium inveniri.* 232. 241. seqq.
Legum scriptarum Germanicarum initium. 3. 153.
Legum multitudo. 238. *Paucitas.* 227. 243. *Earum emendatio quibus committenda.* 242.
Leges Romanæ. vid. Romanæ Leges.
Leges in Roncaliis latæ. 98.
Leges positivæ. 261.
Legislatoris officium. 244.
Legislatoria prudentia. 303. 304.
Lehmannus. 86. 157. 162. 164. 190. 212. 227. *Laudatur.* 171. seqq. 210.
Leo IV Papa. 76. 77. 79. 89. 107.
Leo Ostiensis. 67.
Leschasserij error. 76.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [385] - -
PUBLIC DOMAIN

Lesko Niger R. Polonia. 172. *Quanto affectu prosecutus sit Germanos.* 196.
Levvigildus R. VVisigothorum. 5.
Lex Saxonum & Frisiorum. 54.
Lex Rhodia. 104.
Ligeris fluvius. 31.34.
Ligures Plinio memorati. 23.
Limnæus laudatus. 166.
Lindenbrogius. 19. 41. 131. 132. 140. *Laudatus.* 16. 45. 105. *Fallitur.* 54. *Edidit legem Salicam.* 32. 48. *Vt & antiquas Germanicas leges.* 56. 74. *Ejus Glossarium.* 29.
Literæ. 152. *Apud antiquos Germanos nullæ.* 1. 3. *Runicæ.* 14. 15.
Litium copia unde. 151. 159. 228. 304. *Earum raritas.* 227.
Livius. 152. 237.
Lotharingicum regnum. 37.
Lotharius I. 58. *Voluit abrogare leges Romanas.* 107. *Italis permisit juris professionem arbitrariam.* ibid. 108. 114. 136. 137. 142. *Ejus capitulare.* 49. 50. 60. 61. 89. *Ejus sanctio.* 108. *Quando Cæsaream dignitatem deposuerit.* 72. *Ejus constitutio.* 88.
Lotharius Saxo. 105. *Ejus tempore in Germania non cæpit juris Romani usus.* ibid. *Ante eum leges Romanæ in Germania Transrhenana non sepultæ.* 106. 109. *Ejus jussu num doceri cæperint leges Iustinianeæ.* 114. seqq. *Ei in nullo vetusto monumento id tribuitur.* 115. seqq. 124. *Falso id illi adscribitur.* 124. seqq. *Ejus lex de jure civili publicè interpretando fabulosa.* 122. 123. *Vel potius nulla.* ibid. *Ejus lex quædam de bonis feudalibus.* 123. *Ejus in Italiam expeditiones.* 127. *Num ab illo leges Iustinianeæ in Italiam reductæ.* 130. seqq. *Ejus lex quædam confictæ.* 132. *Quando ab illo in Roncaliis conventus regni sit habitus.* ibid. *Ab illo non antiquatum jus Langobardicum.* 134. 135. *Qui factum ut ei adscripta fuerit reductio juris Romani.* 137. 149. *Non introduxit leges Romanas in Germaniam.* 144. seqq. 149. 263. 264.
Lovanienses. 115. 253. 267. 268. 270.
Lucas Holstenius. 54.
Ludovicus Pius. 64. 82. 84. 85. 87. 88. 90. 92. seq. 226. 247. *Ejus regula de vita monachali.* 65. seqq. *Ejus epistola quædam.* 66. 68. *Cur adversus eum propry filij rebellaverint.* 67. *Ejus filius Lotharius.* 69. 107. *Ejus additiones capitulorum.* 60. 67. 73. *Ejus jussu concilia habita.* 65. usq; ad 70.

Ludovici

Ludovici IV. constitutio de Iurisdictione Cæsaris & Papæ, & cur suppressa. 166. Ejus ætas. 167.
Ludovicus Bavarus. 166.190.195.
Ludovicus XI Rex Galliæ. 235.236.
Ludovicus Vives. 203.
Luitprandus Rex Langobardorum. 37.45. seqq. Ejus sanctio de uxoribus. 47.
Lullus. 78.
Lupoldus Pabenbergensis. 198.
Lybecam quænam urbes soleant provocare. 170.
Lybecense jus & ejus auctoritas. 169. 170.

M.

Mævius ICtus laudatus. 170.
Magdeburgum. 175. Otto M. illam urbem maxime excoluit. 96. Illa urbs à Carolo V. proscripta. 197. Ottonis M. ævo antiquior. 247.
Magdeburgense jus. 94. 150. 152. 174. 192. Ejus scriptor & usus. 94. seqq. 169. 205. Epilogus fabulosus. 94. 95. Glossator itidem fabulosus. 179. 181. Ejus juris usus in Prussia. 174. Quando illud conscriptum. 176. Quando in Polonia receptum. 174. 176. 193. Abrogatum. 175. 195
Magdeburgense forum quando exortum, & ejus auctoritas. 197.
Magdeburgensium tabulæ privilegiorum quales. 65.
Majores domus. 39.
Mallinkrot laudatus. 235.
Mallus. 20. 21. Quid sit. 29.
Manni constituta fabulosa. 2.
Marchia orientalis. 37.
Marcomirus. 18.19.22.
Marculphi formulæ. 109.
Mariana notatur. 9.10.
Marsilius Patavinus. 166.
Martinus Braccarensis collector veterum canonum. 63.
Martini V. Papæ bulla. 158.
Mathildis. 124. 125. Ejus rogatu Pandectas interpretatus est Irnerius. 118. seqq. 125. 126. 129. 137.
Matthias Van der Heve. 27.
Matthias Mechovus. 175. 195. 196.
Maximiliani Cæsaris constitutio. 212.
Medicina. 284.
Melanchthon confecit partem chronici Carionis. 149.
Meldensis Synodus. 72. 88. 89.
Mercator quare dictus Isidorus Cordubensis. 79.
Meursius. 205.
Mervvungorum familia. 40.
Michaëlis Hospitalij laus. 236.
Middendorpius. 122.
Moguntiæ confictæ epistola suppositi. tia Pa-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [387] - -
PUBLIC DOMAIN

titia Paparum. 77.79.
Moguntiaci unde dicti. 43.
Moguntinum concilium. 89.84.90.92. 161.163.
Moguntinenſia comitia. 189.199.
Moguntini Canones. 60.
Moguntina tabularia. 160.
Moiſſiacenſe chronicon. 18.21.
Montaltij epiſtolæ. 246.
Monumentorum priſcorum auctoritas. 114.
Mulcta. 25. Ex ea non colligitur ſitus regionis. ibid.
Münſterus. 190.209.
Mynſingerus. 230. Laudatus. 234.

N.

Narſetes. 43.
Naufragorum bona. 220.
Nauticæ leges. 104.
Nebogaſt. 29.
Neugebauerus. 195.196.
Neuſtria. 38. Quondam duplex. 37.
Nicena ſecunda ſynodus. 82.
Nicer fluvius. 25.
Nicolaus I. Papa. 79. 81. 84. 92. Epiſtolas Pontificum decretales Gallis ſubdolè obtruſit. 80.
Nicolaus Faber. 62.
Nicolaus Kaltheiſen. 80.
Nicolaus Boërius. 135.
Nihuſius. 113. 115. 116. 121. Notatus. 119.125.252. ſeqq. 271.
Notitia imperij quando conſcripta. 23.
Novellæ Iuſtinianeæ. 121. Romæ in precio. 110. 114. Vt & in Gallia & Italia. 110. ſeqq. Earum auctoritas in rebus Eccleſiaſticis. 113.114.

O.

Obertus de Orto. 220. Auctor conſuetudinum feudalium. 134.
Occam. 166.
Odo Cluniacenſis. 110.
Odofredus. 113.121.126.152. Notatur. 134.
Olaus M. 104.
Oleron inſula. 104. Ejus leges. ibid.
Onuphrius Panvinius. 265.
Opſtalbomicæ leges. 168.
Oroſius. 4.15.
Oſterreich. 37.
Oſtfali. 55.101.
Oſtfriſia. 168.
Oſt quomodo olim pronunciatum. 36.
Oſtrogothi non leguntur leges ſuas ſcriptis mandaſſe. 11. Sub Theodorico Rege receptas Romanas leges non mutarunt. 12.106. Illis proprias quaſdam fuiſſe leges eſt veriſimile. 13. Quando in Pannoniam admiſſi. 15.
Oſtrogothicarum legum initium. 3.4.
Othgarius Archiepiſcopus Moguntinus. 71.72.77.78.84.

Otto

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [388] - -
PUBLIC DOMAIN

Otto Viterbiensis notatur. 66.
Otto Magnus. 85. 87. 92. seqq. 101. seqq. 179. 180. 247. *Quando Imperator factus.* 95. *Ejus lex de successione nepotum.* 96. *Ejus leges duæ.* 97.
Otto II. 102.
Otto III. 177.
Ottonis IV tabulæ. 97.
Otto Ruffus. 94. 95. 177. 180.
Otto Murena. 143.
Otto Frisingensis. 19. 28. 29. 31. 32. 39. 87. 115. 138. 182. 194. 290. *Ejus ætas.* 33.

P.

Pancirollus. 221.
Pandectæ. 129. 205. *Earum minor usus ante Lotharium atq; Codicis.* 112. 113. *Ex quibus consarcinatæ.* 238.
Pandectæ Florentinæ. 127. seqq. *Ubi inventæ.* 132.
Pannoniæ incolæ. 37.
Pannonia Ripariensis quænam. 43.
Paparum Decretales epistolæ supposititicæ. 74. seqq. *Iis infecta Germania.* 79. *In Galliam serò penetrarunt.* ibid. *Plerasq; illarum confutavit Baronius.* 80. *Earum olim maxima vis & auctoritas.* 82. *Ante eas confictas quomodo Germaniæ Galliæq; Episcopi se opposuerint Papis.* 80. 82. seqq.
Papiani liber Responsorum. 109.
Parisiense concilium. 68. 82.
Parisiis quando omnium Facultatum Professores. 148.
Paulinus collector capitularis Caroli Magni. 61. 62.
Paulus Diaconus. 114.
Paulus Servita. 306.
Petavius. 162.
Petrus Diaconus auctor Codicis Langobardici. 133.
Petrus de Andlo. 164. 205.
Petrus Pithæus. 4. 9. 12. 13. 65. 103. 148. *Laudatur.* 11. 74. *Editor legis Salicæ.* 19. 32. *Ejus judicium de capitulis post Ansegisum collectis.* 74.
Peutingeriana tabula. 24. 25.
Pharamundus Rex. 4. 18. 19. 22.
Philippus Pulcher. 138. 139. 148.
Philosophia ad singularia se non dimittit. 277.
Pileus Cardinalis. 164. 165.
Pipinus Italiæ Rex, non Imperator. 49. 50. *Domuit Frisios.* 51. *Sub hoc conditi canones.* 74. *Langobardici regni socius vivo Patre.* 107.
Pisas translatæ Pandectæ. 129. 132.
Placentinus. 147.
Platinæ notatu digna quædam verba. 67.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [389] - -
PUBLIC DOMAIN

Plutarchus. 172.
Pœnitentiale Romanum & Bedæ suppositiția. 85.
Pœnitentiale Rabani Mauri. 84.
Poëta anonymus Saxo scriptor vitæ Caroli Magni. 55.
Politici officium. 225. 245. 277.
Polonia. 175. Ex ea appellatum Hallas & Magdeburgum. ibid. 176. 195. Quando ibi jus Saxonicum receptum. 194. Quis eam Germanico imperio subtraxerit. 195.
Polonicarum legum codex. 176.
Polonos subegit Henricus II. 194.
Polycrates. 140. 291.
Pomponius Mela carpitur. 2.
Pontifices Romani. 58. Eorum nova quædam paradoxa. 81. 82. Subjecerunt se capitulis Lotharÿ. 89. Serviliter olim culti. 91. 166. Eorum magna quondam auctoritas. 75. 147. 155. 166. 188. 203. 287. Quando in Germania defecerit. 158.
Pontificia decreta. 243.
Pontificia auctoritas quî ita creverit per Occidentem. 81.
Pontificium jus. 173. Receptum in Germania publica auctoritate. 153. 156. Non obtinuit tamen omni ex parte. 157. seqq. 223. Quos fructus attulerit Germaniæ. 158. Ejus juris interpretes Germania prius dedit quàm Italia. 130.
Possevinus fallitur. 72. 88.
Prædicantes monachi. 167.
Præjudicia Cameræ Spirensis. 223.
Prætores Romani. 44.
Pragensis Academia. 190.
Principum negotia majora ante Cameram Spirensem à quibus judicata. 191. 192. 211. In eorum officio jus dicere. 231. seqq.
Probabilitas. 230.
Processus judiciorum civilium. 157.
Processus forensis urbium Germanicarum qualis olim. 172. 173.
Procopÿ Arcana historia. 308.
Professoribus partem proventuum sacrorum dandam esse, quando & ubi in Germania decretũ. 198. 199.
Prussia. 176. Quando ejus magnam partem acceperit Casimirus Rex Poloniæ. 174.

R.

Rabanus Maurus. 84. 90. Ejus Pœnitentiale. 84.
Rabulæ. 232. 233.
Rabularia ars. 232. Omnis ista originem abet ab haula Pontificia. 202.
Radevicus. 141. seqq. 187.
Ratchisus Rex Langobardorum. 37. 46.
Ratisbonæ habitum concilium. 58.

Raven-

Ravennatense concilium. 90.
Recaredus Rex VVisigothorum. 11.
Recesvvindus. 57 8.
Reformatio Friderici III. 199. 200. 204.
Regino Prumiensis. 60. 92. *Ejus ætas.* 97. *Ejus libri de disciplina Ecclesiastica.* 93. 97. *Hos edidit Joach. Hildebrandus.* 93.
Regualdus Ingermundus. 16.
Regula vitæ canonicæ Ludovici Pij. 66.
Reichsabscheide. 204. 212.
Reinerus Reineccius. 55.
Reinkingius. 301.
Reipublicæ quis utilissimus. 203.
Religio Christiana. vid. Christiana.
Responsa juridica. 197. 233. *Obscura.* 228.
Richordus Chronographus. 147.
Riculphus Archiepiscopus Moguntinus. 71. 72. 78. 81.
Ripuarij unde dicti. 42. 43. *Eorum sedes.* ibid.
Ripuaria lex. 109. *Non est altera Francorum apud Eginhartum.* 142.
Ripuariis legibus aliquid addidit Carolus M. 49.
Rittershusius. 86. 122.
Robertus Cocus. 80.
Rodericus Rex VVisigothorum. 8.
Rodericus Toletanus. 10.
Romana lingua à quibusdam leges scriptæ. 3.
Romanæ Ecclesiæ inter Francos reverentia. 110.
ROMANAE LEGES. 4. 12. 207. 228. *Earum usus in foris Hispaniæ & Septimaniæ.* 5. 6. *Vt & in Aquitania.* 7. *Quando abrogatæ* ibid. *Eas non abrogarunt Ostrogothi.* 12. 106. *An eæ à Lothario in Italiam & Germaniam introductæ.* 105. seqq. *Ante illum eæ in Germania Transrhenana non sepultæ.* 106. 109. *Quando eæ Romæ in vigore.* 107. *Eas voluit abrogare Lotharius I. Imperator.* 107. *Earum in Gallia usus.* 109. 147. 148. 203. *Earum arbitraria observatio in Italia.* 136. 147. *Eas aboleri jussit Stephanus Rex Castellæ.* 140. *Eas non introduxit in Germaniam Lotharius.* 144. seqq. *Sine illis quando non potuerit regi Germania.* 203. *A Principum negotijs quando excluſæ.* 210. *Secundum illas quando in Cæsareo judicio causæ judicatæ.* 212. *Secundum illas solas vivere nefas.* 216 *Quomodo illis legib⁹ teneamur.* 219. 220. *Quare sint obscuræ.* 230. 231. *Ad illas non componendæ respu-*

da respublica Germanica. 287. Quando ea in Hispania prohibita. 291.
Romanæ scriptæ leges tempore Taciti multum creverant. 2.
Romani homines. 31.
Romanum Pœnitentiale. 84. 85.
ROMANVM IVS. 190. Docetur ubi tamen non est receptum, & quare. 130. 138. seqq. Introductum est sola æquitatis opinione. 137. 138. seqq. Cœpit in Germania seculo XV. 145. 146. 200. Quando in Saxoniæ Frisiæ & Hollandiæ fora penetraverit. 205. 206. Quando primùm comitiorum decreto receptum. 210. Quare in Helvetia nullus illius usus. 207. 208. Eo in Germaniam introducto non abrogatæ tamen sunt priscæ leges & consuetudines. 210. 212. seqq. 216. 300. Quando in Germania doceri & in foro cœperit. 204. 205. 208. 209. In quantum in Camerali & Aulico Cæsareo judicio sit receptum. 212. 213. seq. In Germaniæ fora nulla communi imperij sanctione traductum. 214. Quomodo illud in fora transierit. 215. Illius auctoritas per Germaniam. 219. Quinam illud corrigere voluerint. 237. seqq. Ejus usus in Italiæ foris. 136. Ejus Doctores quando primum comitiis regni Italici interfuerint. 141. Quomodo in Italia reflorescere cœperit. 142. Quando in Partitas digestum. 147. Illud per Galliam doceri vetuit Honorius III. ibid. Quando ejus Doctores consiliis & judiciis in Germania adhibiti. 198. 199. 204. 215. vid. Jus Romanum, Angli, Frisiæ.
Roncalienſia comitia. 98. 122. 123. 132. 141. seqq. 150. 187.
Rotharis Rex & legislator Langobardorum. 43. seqq.
Rotvvilense judicium. 197.
Rudolphus I. 161. 190. Ejus tempore secundum leges & consuetudines singulorum locorum jus dictum. 163. Scriptis item in foro agi cœptum. ibid.
Rulandini coloſſi. 179.
Runica literatura quando cœperit. 1.
Runicarum cum Græcis affinitas. 14. Quis earum inventor. ibid. Argumentum quoddam pro earum vetustate lubricum. 15.

S.

Saal Germanica vox quid notet. 32.

Saal-

Saalbuch quid. 32. 33. Saalguth. 32.
Sacrilegij apud Frisios ethnicos pœna. 55.
Salegast. 28. 29. 32. Salegasti. 246.
Salia amnis. 23. 30. Ab illo non dicuntur Salij. 24. 30. 32.
Salici qui dicti. 33.
Salij qui, & eorum sedes. 23. 24. 30. seqq. Vnde dicti. 30. 32.
SALICA LEX quando lata controversum. 17. Vnde dicta. 18. 32. Quid de ea tradatur in antiquissimis monumentis. 18. 19. Vbi sit lata. ibid. 20. 21. Ejus editiones differunt. 19. 32. 48. Quinam ejus natales Galliæ Belgicæ voluerint vindicare. 22. Quisnam Brabantiæ. 26. Germaniæ debentur ejus natales. 26. Quis eam attribuerit magnæ Bataviæ. 27. Ejus natalitiæ villæ certò non possunt ostendi. ibid. Quinam ejus auctores. 28. 29. Ejus præfationes recitantur & explicantur. 20. 21. Quando lata. 21. In quorum usum condita. 30. 31. Ad quænam faciat. 32. Quando illius vis exspiraverit. 33. Ejus prima ἔκδοσις nusquam forte reperitur. ibid. Eam legem Franci multum auxerunt. 34. Ea lex Francorum olim κατ' ἐξοχὴν appellata. 35. Ejus prætextu fœmina à successione Regni Francici exclusa. ibid. Ejus & Visigothicæ legis differentia. 36. Ei addidit quædam Carolus Magnus. 48. Hic eam Italiæ intulit. 50. Illi adjecta quædam capitula. 68. De ejus observatione Senis. 135.
Salingestadiensis synodus. 99.
Salmasius. 112. Laudatus. 319.
Samuel Purchassius laudatus. 1.
Sanctius Rex Castiliæ. 9. 10.
Savaro. 5.
Saxmundus. 56.
Saxo anonymus. 55.
Saxones expulerunt Toxandrianos Salios è Batavia 24. Eos domuit Carolus M. 51. Ante hunc legibus scriptis non sunt usi. ibid. His leges Carolum dedisse non est dubitandum. 52. Eorum lex à quo edita. 54. Eorum quatuor ordines. 100. Tres populi. 55. 101.
Saxones Transalbini qui 102. Eorum jura antiquiora Haroldinis. 103.
Saxonia quando jus Romanum acceperit. 205.
Saxonica lex de conjugio. 101.
Saxonicarum legum Carolinarum additiones. 100. 101.

Saxonicum Speculum. 152. 157. 194. Non comprehēdit leges Carolinas. 53. A quo & quando conscriptū. 51. 53. 146. 180. seqq. Ejus editiones. 183. 185. Nulla publicâ auctoritate promulgatum fuit. 185. 186. In multis locis receptum & quare. 186. 193. Quam latè fuerit observatum. 192. 193. A Gregorio XI. damnatum, & quare. 157. 193. Ejus glossator. 187. Fabulosus. 52. 53. 94. 181. Ejus ætas. 180.
Saxonicum jus. 150. 186. 192. 205. Vbi olim receptum. 194. Quando in Poloniam introductum. ibid. Ejus ibi & in Silesia summa auctoritas. 196. Ejus glossatores. 206. 209.
Scabini. 151. 167.
Scandinaviâ egressi V Visigothi & Ostrogothi. 14.
Schartovienſis Ducatus. 96. 179. 180.
Scholarum circa leges officium. vid. Academicarum.
Schonbornerus laudatus. 234.
Scotus. 271.
Scriptionis usus. 159. 160.
Scripturæ usus apud Saxones nullus ante Carolum M. 54. Quando in Germania cœperit. 159.
Sebastianus Rotenhan. 92. 93.
Seldenus laudatus. 104.
Sententiæ Hadriani I. 81.
Sententiarum de jure varietas. 229. 230.
Septimāia Gothicas leges recepit. 5. 7.
Sibrandus Siccama. 168.
Sichardus edidit Anianum codicē. 6.
Sigebertus Gemblacenſis. 19. 69. 96.
Sigismundi Cæsaris quoddam decretum. 210. 211.
Sigismundi Imp. & Ordinum propositio de quarta parte reditū sacrorum Professoribus danda. 198. 199.
Sigismundus III Rex Poloniæ. 194.
Sigonius. 44. seqq. 49. 50. 98. 108. 119. 121. seqq. 129. seqq. 137. 253. 254. 265. Ejus diligentia laudatur. 116. 117. Ejus historia Bononienſis. 118. 120.
Sileſia Poloniæ quondam pars. 196. Ex ea Magdeburgum appellatū. 197.
Simlerus laudatus. 207. 208.
Sincfal. 56.
Sirmondus. 59. 63. 83. 85. 87.
Sibebuthus. 5.
Sleidanus. 115. 116.
Sleſwicenſis provincia. 205.
Socratis historia Eccleſiaſtica. 14.
Sodomiticum crimen. 109.
Solicheim. 27.
Solidis olim facta omnis compoſitio. 25.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [394] - -
PUBLIC DOMAIN

Soltdalensis conventus. 235.
Spangenbergius. 101. Fallitur, 170. 182.
Speculi titulus multis aliquando arrisit. 139.
Spigelius. 221.
Spirensis Camera. vid. Camera.
Spirensium leges scriptæ quàm antiquæ. 171. Eorum privilegium quoddam. 190.
Spirensium rerum scriptor. 171.173.
Statbücher. 171.
Statrecht. 176.
Stelæ an jura Saxonum recensitæ. 101.
Stephanus Castellæ Rex. 140.
Stormarij. 103.
Stralendorf laudatus. 235.
Strauchius laudatus. 113.
Suabi. 103.104.
Suconum leges. 16.
Suevi. 3. 146. Apud VVitikindum qui. 103.104.
Suevicum jus. 156. 152. Feudale. 209.
Suevicum Speculum. 152. Quando conscriptum. 157.181.188. Explicatur. 157. Quam latè fuerit observatum. 192. In multis fallitur. 188.
Suffridus Petri. 53.
Sunno. 18.19.22.
Sutfaniæ jus feudale. 208.

T.

Tacitus 15.43.56. 237. Laudatus. 225. Quid tribuat veteribus Germanis. 1.2. Ejus mos quidam. 2.
Tabernæmontani tractatus de aquis. 318.
Tassilo Dux Bajoariæ. 41.
Taurellus. 113.127.128.
Tenctteri. 24.
Testamenti factio apud antiquissimos Germanos prohibita, & quam utiliter. 225.304. seqq.
Theodoricus Chlodovæi Regis Francorum filius. 35.36.39.56. Galliæ Arelatensi Romanas leges reddidit. 12. Studuit sibi conciliare populum Romanum. ibid.
Theodoricianæ leges. 5.
Theodori pœnitentiale. 84.99.
Theodosii II tabula de schola Bononiensi fabulosa. 122.
Theodosianus codex. III. A quibus editus. 6. Confirmatus à Carolo M. 109. 110. Ejus epitome. 110. Quo instituto confectus. 238.
Theudes. 11.
Thuanus laudatur. 129.236.
Thuringi. 104. A Francis devicti. 36. Non sunt Anglii & Werini sive Varini. 56.57. Eorum nomen quando floruerit. 56. Illis à Francis lex data. 57. Quan-

57. Quando apud illos nullus Canonici juris usus. 191. vid. Helmstadium.
Tiraquelli laus. 228.
Toletana lex. 10.
Toletani characteris inventor. 10.
Tolosanum regnum à Francis destructum. 6.
Toxandriani Salii. 24.
Transalbini Saxoniæ populi. 102. 103.
Transalpina Germanici imperii portio. 291.
Tribonianus. 284. Defenditur. 238.
Triburiense concilium. 91.
Tricassinum concilium. 111.
Tridentinum concilium perstringitur. 262. 263.
Trithemius. 93.
Trivium & Quadrivium de artibus liberalibus. 148.
Tuschus Cardinalis. 155.
Tutor Batavus apud Tacitum reprehenditur. 2.
Typographica ars. 160.

V.

Valens Cæsar. 15.
Valerius Andreas. 269.
Vandali. 3.
Vbbo Emmius. 206. Laudatur. 53. 168.
Vehmicum jus. 102.
Velserus. 86.
Venetiis quid in judiciis obtineat. 136.
Viglius Zuichemus laudatus. 233
Villæ natalitiæ Salicæ legis non possunt hodie certo ostendi. 27. 29.
Viterbiensis. 39.
Vlricus Huttenus. 205.
Unctio sancti olei. 78.
Unstrut fluvius. 57.
Vorburgii opus laudatum. 37.
Vratislavia. 196.
Vrbes quando conditæ. 227.
Vrbium leges scriptæ non antiquiores Vsipij 24. (seculo XIII. 171.
Vulemarus. 56.

W.

Waldemarus I & II. 16. Waldemari leges. 205.
VVamba Ervvigius. 5.
VVaramundus. 4.
VVarnefridus. 41. 43. seqq. 111.
VVehnerus laudatus. 233.
VVeichbildicum jus. vid. Magdeburgense jus.
VVendegast. 28.
VVendelstinus. 75.
VVendrockius. 246.
VVerini non sunt Thuringi. 56. 57.
VVernerius. vide Irnerius.
VVestfali. 55. 101.
VVestphalicum judicium. 101. 102.

VVestra-

VVestrasia. 37.
VVestrogothicarum legum initium. 3.
VVestrogothorum regnum quid comprehenderit. 5.
VVichmannus Archiepiscopus Magdeburgensis. 181. 182.
VVingenhaim. 27. VVinheim. ibid.
VVintherus. 202.
VVippo scriptor Vitæ Conradi II. 102.
VVisby urbs. 104. VVisbyenses leges. ibid.
VViseva. 55.
VVisigastaldus. 29.
VVisigothi quando leges scribere cœperint. 3. 4. Quis eos in Thraciam & Mœsiam receperit. 15.
VVisigothica lex apud quosnam in precio. 8. Ejus & Salicæ legis differentia. 36.
VVisigothicæ leges cur Theodoricianæ dictæ. 4. 5. A quibus latæ. ibid. & seqq. Quando abrogatæ. 9. A quibus editæ. ibid. Illarum laus. 11.
VVisogast. 28.
VVitikindus Corbeiensis. 87. 96. 100. 101. 103. 104. 180.
VVolfenbuttelensis Cancellariæ & judicii Aulici ordinatio. 216. 217.

Z.

Zasius. 221.
Zenonis Cæsaris concessu Ostrogothis tradita Italia. 12.
Zosimus. 32.


EMEN-

EMENDANDA.

(:)2.b.l.8. *Ipſiusmet.*(:)(:)b.l.3.*doctrina.* Pag.21. lin. ult. *Salicæ.* P.25.l. 10. *abluit.* P.40.l.27.*illas.* P.43. l. 7. *à.* P. 44. l. 10. *bardorum.* P. 46. l. 10. *De.* P. 50. l. 22. *titulo.* P. 64. l. 3. *Romanorum.* P. 68.l.ult. deleatur *Mogunti.* P. 70 l. 9. *Abbas.* P. 8. l. 22. *fruſtra.* P.83. l.2.*diligentißime.* P. 84. l 26. *næniis.* P.86. l. 27. *indicium.* l. 29. *uſitatæ.* P. 90. l. 12.*Ioannem.*P.92.l.14. *Epiſcopi.*P.93.l.12. *Id.* Pag. 96. l. 21. *obiiſſent.* l. ult. *Imperatorum nominibus.* P. 113. l. 14. *ſecundus.* P. 122. l. 21. *ſuppoſititia.* P.127. l. 27.28. *Franciſcus.*P.129. l.19. *translatæ.* P.134.l.14. *non eſt.* P. 147.l. 4. *Alphonſo.* P.148. l. antepen. *non.* P. 149. l. 10. *Melanchthone.* P. 152. l. 24. 25. *Titus.* P. 157. l. 2. jeglicher. P. 164. l. 28. *liber erat.* P.165. l. 7. *Quartus.* P. 217. l. 11. gewonheiten. P. 228. l. 18. *conſtitutionum.* P. 229. l. 9. *quam.* P. 244. l. 6. *induſtriam.* P.246.l. 20. *verſ. veteri.* P.247. l. ult. *n.11.*P.274.l.24. *protulit.*P.275. l. 25. *ῥήσει.* P.281. l. 26. *gentium.* P.319. l. 15. *maledicentia.* P. 341. l. 10. *bapti.* In indice voce Frider. III. leg. *ICtis.* Voce Holſatia leg. *locus.* Quia Paginarum numeri 177 & 178 per typothetæ incuriam ſunt omiſſi, index, ne tota ſeries turbaretur, juxta ordinem quo paginæ jam conſpiciuntur collocatæ, eſt confectus. Reliqua ſi quæ ſuperſunt minutiora *παραράματα* B. L. nullo negotio emendabit.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 82, [398] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [399] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 092

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [400] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XIII 205

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [401] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [402] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 82, [403] - -